

R 3765

Paris
1660

Du Hamel, Jean Baptiste

*Joan. Bapt. Du Hamel Astronomia
physica, seu de Luce, natura et motibus
corporum caelestium libri duo...*

janvier

IOAN. BAPT. DV HAMEL
ASTRONOMIA
P H Y S I C A ,

S E V
*DEL VCE, NATVRA, ET MOTIBVS
CORPORVM CÆLESTIVM*
LIBRI DVO.

IN PRIORI libro de lumine, & coloribus agitur.

IN POSTERIORI vniversa Astronomia tum speculatrix, tum practica Physicè, & Geometricè, citra Euclidis opem demonstratur.

A C C E S S E R E

PETRI PETITI *Observationes aliquot eclipsium Solis & Lunæ:
cum Dissertationibus de Latitudine Lutetiae, Declinatione Ma-
gnetis, necnon de novo Systemate mundi quod Anonymus du-
dum proposuit.*



P A R I S I I S,
Apud PETRVM LAMy, secundâ columnâ magnæ Aulae
Palatii, sub Magno Cæsare.

M. D. C. LX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

27/5



EMINENTISSIMO PRINCIPI
ANTONIO
BARBERINO
S. R. E. CARDINALI

CAMERARIO, EPISCOPO TVSCVLANO,
Magno Franciæ Eleemosynario, Archiepiscopo
Rhemensi, primo Franciæ Duci, ac Pari desi-
gnato.

ET SI *mibi jure extimescen-*
dum est, (PRINCEPS
EMINENTISSIME)
ne invverecundè facere vi-
dear, qui hunc libellum non alia for-
sitan re magis, quam argumenti sui
ā ij

E P I S T O L A.

*magnitudine commendandum , Emi-
nentia tua nuncupare prasumam. Ma-
lim tamen temeritatis culpam depre-
cari , quam vel pudore subrustico à
suscepto labore desistere ; vel hoc mu-
nusculum verbis exornare : quorum
alterum levitatis , & inconstantie ; al-
terum ostentationis plenum videri pos-
sit. Mibi sanè gloriari licet istuc ope-
ris , quantulumcunque sit , editionis
honore non indignum jam à te judica-
tum fuisse. Nam qua tua summa est
humanitas , posthabitis gravioribus cu-
ris non designatus es hujus libri , qui
jam tanti nominis præsidio juri publi-
co vindicatur , primas paginas oculis ,
& animo lustrare : Nec tibi nostra in
Philosophiâ tractandâ ratio omnino*

E P I S T O L A.

displicuit. Quò mihi major diligentia causa accedit, ut spem quam de me conceperisti impleam, atque ut ipsum opus quod aggredior, magni Princpis exspectationi respondeat. Honorem tui judicii non satis intelligam, si aliorum laudes auccuper, aut multum sim sollicitus qualem hominum opinionem emerear. Si qui sint autem, quibus instituti nostri ratio non placeat, vel quòd à Mathematicis disciplinis penitus abhorreant; vel quòd ab usitatis scholæ formulis, & receptis opinionibus nos aliquando non timidè recedere graviter ferant; cum iis sane pugnare nolim. Neque ullam committerus culpam esse videor, quòd sublimem scientiam, qua motuum caelestium inti-

E P I S T O L A.

mas rationes , ac stabiles leges perse-
quitur , à Mathematicis usurpatam
Philosophia naturali restituerim. An
flagitium erit pulcherrimæ scientiæ
membra quasi dispersa , & dissoluta
in unum colligere , ac suo velut corpori
reddere? Quod verò Philosophiæ ge-
nus ingrediar , quod iter insistam , nihil
necessè est dicere : nam mihi religio est
longo sermone Eminentiam tuam re-
morari ; eamque à rebus gravissimis ,
ad leviores traducere. Philosophia
quidem nobis placet non nudis rationi-
bus , ut nervis adstricta , sed corpore
etiam operta , & suavi aliquo colore
nitens. Malim sane cum Crasso indi-
sertam prudentiam , quam stultitiam
loquacem : at orationis lucem , & or-

EPISTOLA.

namenta à Philosopho aliena non iudico. Quòd si illud consequi non possim, ut de rebus illustribus politè, & copiosè dicam, non idcirco minus id ita esse faciendum censeo. Lucubrations quidem nostra non sunt ex eà notà, quæ ex elegantiâ styli, & rerum splendore aliquam laudem mereantur: sed tamen nefas esse credidi ea non modò mandare literis, verum etiam Eminentia tua offerre, quæ non essent, quantum mibi liceret, elaborata. Si quid à me peccatum est, quòd hoc opusculum sub auspicio tui nominis publicaverim, magnam profectò culpa parrem sustinent, tum optimus frater, qui in potissimâ felicitatis ratione ponit, quòd eum benevolentia tua honore dignaris;

EPISTOLA.

tum vir nobilis omni genere laudis
præstans, intima apud tuam Eminen-
tiam admissionis, eique integratatis, fi-
dei, & aliarum virtutum commenda-
tione gratissimus, rerum quidem asti-
mator eximius, nisi quod nugis nostris
paulo impensis faveret. Si sane laban-
tem animum, & dignitatis tuæ fulgore
percussum impulerunt, ut id audie-
rem; quorum auctoritatem defugere
non potui; quantumvis multæ, & gra-
ves rationes me in diversum retrabe-
rent. Quocumque enim me animo, &
cogitatione converto, nihil in hoc opere
video, quod non longè infra dignita-
tem tuam subsistat. Quid enim in te
nisi summum, & veneratione dignum?
Cum natalium tuorum splendorem, &

nobi-

E P I S T O L A.

*nobilissimum genus à vetustissimis da-
Etum temporibus reproto : cùm Ponti-
ficem verè Maximum Urbanum in me-
moriam revoco , non illustrissimæ modò
familiae tuae , sed etiam totius Ecclesiæ
decus , qui non tam supremo honoris
fastigio , quām vita sanctitate , admi-
rabili prudentiâ , & invictâ fortitudi-
ne , nomen suum perennitati consecra-
vit. Cùm denique intelligentia tua lu-
men , ingenii aciem abditissima qua-
que penetrantem , judicium acerri-
num , atque alias animi tui dotes se-
rià estimatione perpendo : cum ingenuo
pudore suffundor , qui tam exiguo mu-
nusculo observantiam in te meam testi-
ficari non dubitem. Enimverò summa
humanitas , qua tanta dignitatis ful-*

ē

EPISTOLA.

gorem temperat, non mediocriter me.
reficit. Non enim tam consideras,
quid meritis tuis debeatur, quam
quid nostra possit industria: nec minus
libenti animo tenuissima munera exci-
pis, quam maxima quaque largiris.
Vtrumque profectò aquè pertinet ad
liberalitatem, quæ inter virtutes tuas
familiam dicit, quaque omnium ore
celebratur. Hanc nulla temporum ve-
tustas, nulla obscurabit oblivio. Ibit in
secula te munificentia singulari disjun-
ctissimas regiones admovisse, atque
immensa terrarum spatia contraxisse.
Neque enim Italia finibus tam effusa
benignitas coercetur; dirempta etiam
mari gentes, atque à patria ob reli-
gionis causam extorres, ut parens pu-

E P I S T O L A.

blicus tuis sumptibus alis, & foves.
Nullum impendii genus magno Ec-
clesiae Principe dignius, quam quod
erogatur in eos, qui maluerunt solum
mutare, quam à Corporis Christi uni-
tate recedere. Illud quoque magnifi-
cum, & tuum, quod florentissimam
Rempublicam opibus tuis juves, quo
se ab infensissimo Christiani nominis
hoste tueatur, eumque à nostris ar-
ceat finibus. Ingens gloria tua, quod
in commune consulis; quod publicis
utilitatibus, non privatæ ambitioni
servis; quod non impetu, sed consilio,
& ratione facultates tuas profundis;
quod cum tam multa largiaris, omnia
supersunt; quod thesauros tuos calo-
condis, in quos nihil flammis, nihil se-

EPISTOLA.

nio, nihil prædonibus liceat. Hanc ve-
rò munificentiam ornat animi magni-
tudo, qua nihil ad ostentationem, om-
nia ad conscientiam refert; ornat in-
credibilis quædam sapientia, quâ olim
Legatus à Latere jam ardentes belli
faces, cuius incendio potissima regna
brevi conflagrassent, extinxisti; & pa-
cem inter Principes Christianos, non
Italie modò, sed etiam toti Europæ sa-
lutarem composuisti: ornat denique om-
nium laudum admirabilis quidam
concentus. Nam (ut hoc summi Orato-
ris verbum usurpem) nihil severitati
tuæ hilaritate, nihil gravitati simpli-
citate, nihil majestati humanitate de-
trahitur. Verum ne in immensum dif-
fundatur oratio, & modestæ fines vi-

E P I S T O L A.

*dear perfringere, vela contrabo, ac
Deum optimum maximum ex intimo
pectoris sensu precor, ut te in longum
avum, nobis & Ecclesia servet incolu-
mem: sic voveo,*

E M I N E N T I A E T V A E

Addictissimus IOANNES BAPTISTA
DV HAMEL.



AD CLARISSIMVM VIRVM
IOANNEM BAPTISTAM DV HAMEL
in Astronomiam Physicam.

QVAMVIS s̄epe fidem speculantum sydera
fallant,
Non astris, HAMELI, decipiere tuis.
Ingenio si quæ lateant ignota sagaci,
Semper amica piis mentibus astra patent.

ANTONIVS TURGOT
de Saint Clair.

AD E V M D E M.

ASTR A negata oculis hominūmque impervia
menti
Divinum hoc manibus sydera subdit opus.

ABBAS DE PVRES.

AD E V M D E M.

QVIS novus hic Sophiæ Interpres super æ-
thera sese
Arduus attollens cominus astra videt?
Nec solùm videt ille sibi, sed & indice tanto
Sydera terrigenis jam p̄fopiora micant.
Notius haud quicquam simul ac ignotius astris,
Nil magis obscurum lumine nuper erat.

At quæ oculis toto jamdudum affulserat orbe,
Mentibus, en cunctis orta repente dies.
Ne cui visus adhuc lucem caliget ad ipsam,
E tenebris tandem prosilit illa suis.
Ex quo nempe orbi cælum reseravit H A M E L V S,
Clarius incœpit Solec nitere jubar.

GEORGIVS DE BREBEVF.

S O N N E T.

ESPRITS, qui desirez penetrer les merveilles
Que la Nature étaie en ses effets divers,
Et qui ne recueillez de vos penibles veilles,
Que des doutes nouveaux de mille ombres couvers.

D'un Genie élevé les clarez sans pareilles
Les font voir dans ce Livre aux yeux de l'Univers;
La douceur de son style y charme les oreilles,
Et les plus grands secrets nous y sont découverts.

Soit qu'il courre les Mers, ou se promene en Terre,
Soit qu'il monte en ces lieux, d'où tombe le Tonnerre,
Ou que son vol le porte au celeste séjour;

Il imite par tout l'Astric de la Nature,
Qui chasse les brouillars de sa lumiere pure;
Et mesmes au Soleil il donne un nouveau jour.

LE CLERC.



Γερέ Ιωαννου Βαπτισοῦ τῆς Αμελίου ἀσφενομίδω
Φυσικὴ ἐκπόνησις

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

MOYSON Αμέλιος πεικελέα βίσσατο δίφεν,
Αύτὸς τ' αἰδρώποις ἀσπεται ὅλον ἔδω.
Ἐν πινυτῇ βίβλῳ δῆ κῆπῳ πολυδίνδρῳ
Σπεώσατο ἐσυράμβως περισκέφαλα τὸν·
Πηγῆς οἵ ἐγένετο περὶ ποταμοῦ σκιεροῦ ρέενδρα
Νοῦ λαῦδι μονστᾶν γάμεστοι Φαιδροπότοις.
Ἐν διη θυμὸς ποιητὴ μὲν περιφερέσατος θεῖ,
Νοῦ τῷ δέκτινος δεξιότητα φέρει.
Μήδον αἰγαλοίδηνα καὶ τὰν φρένα μοῦσαν, ἔθιπον,
Εξιθι, οὐδὲν ἔχει μῆμε κακηγέρειν.

PHILIPPVS LE PRIEUR Prior
B. Petri de Romasi.



PRÆFATIO



P R A E F A T I O .

PHILOSOPHIAM naturalem, non quidem restituere, (neque enim adeò frontem posui, vt istuc mihi arrogem) sed tamen non mediocriter illustrare, atque eam omnibus suis partibus absolutam tradere mihi est in animo. Diu est quod in id opus serio incumbo, & quantum ego auguror, non nisi post multum laboris exhausti, supremam manum imponam. Quæ sit mihi mens, quod consilium, breviter aperiam. Non Physicam modò, sed etiam omnium scientiarum quæ cum illâ quâdam societate junguntur complexum (si Deus mihi usuram hujus lucis concesserit) pertractare institui. Hæc enim scientia cùm sit latissimè fusa rerum ferè omnium cognitionem sibi vindicat, reliquis artibus, ac disciplinis, quas suâ vberitate complet, modum & fines præscribit. Verùm cùm plerique circa verborum controversias molestissimâ diligentie perversitate hærent, Mathematici, Medici, Alchimistæ potiores Physicæ partes occupant, & tamquam in vacuas possessiones irrumpunt. Philosophi autem quasi in pilstrinum detrusi exilibus, & angustis disputationibus illigati, circa res tenues, & jejunas versantur. Non id mihi assumo, vt adversus præapidum consuetudinis, quæ quotidie magis invalescit, torrentem brachia dirigam: at si nostra cepe-

P R A E F A T I O.

tere fas non sit, licebit saltem quæ ad hujus scientiæ splendorem conferunt, ab iis à quibus expilatum sumus, mutuari. Mirus sanè omnium quasi consensus scientiarum, concentusque reperitur: nulla fere à cæteris avulsa per seipsum constare potest, nulla alterius subsidio non indiget, nec tam videntur fontibus, quam rivulis diduci. Omnem denique doctrinam artium liberalium uno quodam societatis vinculo contineri, atque ex Physicâ, tamquam ex communi stirpe præcipuas Matheos, & Medicinae partes oriri, nemo nisi in rerum contemplatione parum versatus negaverit. Cæterum eam Philosophiæ naturalis partem nunc tractandam suscipio, quæ cum reliquis minus est conserta, & colligata, eaque separatim tradi facile potest. Duobus libris vniversam Astronomiam complectimur; in priori, naturam, causas, & motus luminis inquirimus; atque ut hæc disputatio sit plenè cumulatæque perfecta, de essentiâ & varietate colorum fusè differimus. Posterior liber naturam, & motus corporum cælestium explicat: ubi celeberrimæ controversiæ, de maculis Solis & Lunæ, cometarum generatione, telluris motu, & mundi systemate excutiuntur; sphæra cælestis, planetarum Theoria, & praxis Astronomica evolvuntur. Occurrent nonnulla è Geometriæ fontibus paululum difficiliora, quorum tamen partem maximam ad libri calcem rejectimus, ne iis qui huic generi demonstrationum minus sunt assueti aliquam moram objiciant. Nihilo tamen secius licebit nobis, sine Elementorum Eucli-

P R A E F A T I O.

dis adminiculis Astronomiam non physicè modò, sed etiam Geometricè demonstrare: adeò ut vel tyronibus constare possit quâ arte, quâve ratione Astro nomi motuum cælestium leges, & periodos definire; eclipses prænuntiare; ac siderum à terrâ distan tiam, & magnitudinem potuerint dimetiri. Nihil magis affecto, quâm eruditam brevitatem cum perspicuitate conjunctam: utrum id perficerim, mallo in aliorum opinione relinquere, quâm quid sublatius de me effutire. Dedi etiam operam, quoad ejus fieri potuit, ut seriam utilitatem ingenuâ delectatione temperarem. Quocirca hoc opus in dialogos digessi, qui suâ varietate Lectoris animum demulcent. Nam jucunditate aliquâ ducti libentius ad discimus ea, quorum jejuna & arida traditio avertit animos legentium, & aures præsertim delicatas radit. Mihi tamen religio est in digressiones ex præparato quæfitas evagari, vel in longos sermones me diffundere, aut denique ordine tumultuario (quo nihil in dialogis solennius) atque ut ad manum vennere quæque pertractare. Nullam porrò disciplinam improbo, ex omnibus delibo quod similius veri mihi videtur. Maledictis, & conviciis velitai i infra Philosophi dignitatem puto. Abolitas, atque abrogatas opiniones retinere insolentiæ cujusdam, & minutæ ambitionis mihi videtur: quamquam, ut præclarè sentit Tullius, non hominum interitu sententiæ quoque excidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant. Profectò hîc, si usquam alias, temperamentum quoddam moderatioque tenenda est: nec

P R A E F A T I O.

Philosophus nimius sit antiquitatis admirator, aut recentiorum inventa omnino contemnat. Non enim rogationibus, aut plebiscitis sancta sunt veterum decreta : nec nos tarditatis natura damnavit, ita ut nulla scientiis fieri possit accessio. Cavendum tamen est, ne gratia novitatis capti juniorum opinionibus ultrà quam par sit indulgeamus. Quare non dubito Philosophos, tum veteres, tum recentiores sequi, sed libero incessu: hoc enim sum solutior, & liberius, quod nullius auctoritas me adstrictum tenet. Antiquorum gloria satietate quadam non debet languescere ; nec recentiorum operibus obesse debet, quod adhuc vivunt. Hoc, inquit Plinius, pravum malignumque est non admirari homines admiracione dignissimos, quia videre, alloqui, adire, complecti , nec laudare tantum , verum etiam amare contingit.

E R R A T A.

PAGINA 11. linea 22. color tactu, leg. calor tactu. p. 37. lin. viii. omnia conver-
tat, leg. connectat. p. 88. lin. 34. forte quadam, leg. forte.

SVM MARIA CAPITVM.

L I B E R P R I M V S.

De lumine, & coloribus.

CAP. I. **D**E naturâ luminis.ⁱ

Tres præcipua de luminis natu-
râ sententiae expendun-
tur.

i. Est Peripateticorum, qui
lucem & lumen inter qua-
litates numerant.

ii. Epicuri & Gassendi, qui
lumen esse putant efflu-
vium quoddam substancialis,
à corpore lucido ju-
giter dimanans.

iii. Cartesii, qui lumen æthe-
reæ substancialis, quam secun-
dum elementum vocat, im-
pulsum definit, ab agitatio-
ne corporis lucidi profe-
ctum. Rejectis alius, Aristoteli-
onis sententia defenditur.

CAP. II. De luminis
motu. ¹³

i. Lumen in orbem diffundi,
adeò ut singula corporis

lucidi puncta in orbes
partes radient.

ii. Occursu corporis opaci ita
refilire, ut angulus inci-
dentiæ æqualis sit angulo
reflexionis: quæ sit hujus
æqualitatis causa.

iii. Cur lumen refringatur
ad perpendiculum, cum è
raro corpore in densius in-
currit. Cartesii rationes
discutiuntur.

iv. De refractionis legibus
multa.

CAP. III. De causis lu-
minis. ²⁸

i. De natura perspicui potissimum differitur: variae
recentiorum opiniones re-
felluntur.

ii. Veri propior adferuntur.

iii. Quæ sit effectrix causa
luminis, quæ finalis?

CAP. IV. De naturâ, &

ⁱ iiij

S V M M A R I A

- diversitate colorū. 39 **III.** *Vtrum colores ab exter-
se generis, & vanam esse
colorum in veros & appa-
rentes distinctionem.*
- I.** *Colores omnes ejusdem es-
se generis, & vanam esse
colorum in veros & appa-
rentes distinctionem.*
- II.** *Omnes à luce dimanare,
colorem nihil esse quām lu-
men modicatum.*
- III.** *Vtrum colores ab exter-
se generis, & vanam esse
colorum in veros & appa-
rentes distinctionem?*
- IV.** *Tandem ab extrariā luce
non proficiē concludimus.*
- V.** *De numero & serie colo-
rum, nec non quis lucis gra-
dus singulis competat.*

L I B E R S E C V N D V S.

De natura & motibus corporum caelestium.

- CAP. I.** *Vñ sit cæ-
li, & side-
rum materia.* 62 **CAP. II.** *De motu diur-
no.* 77
- I.** *Stellas à planetis secerni,
quod illæ propriâ luce ful-
geant: planetæ vero sint
opaca corpora, & lumine.
emendato reuceant.*
- II.** *Causæ scintillationis stel-
larum adferuntur.*
- III.** *De Solis natura & ma-
culis variae opinione ex-
cutiuntur.*
- IV.** *Agitur de cometarum
loco, & generatione.*
- V.** *Cælum esse instar aëris
spirabile & liquidum con-
cludimus.*
- I.** *Problema de telluris motu
vel quiete solvitur.*
- II.** *Quædam ex Euclide, &
Theodosio demonstrationes,
ad sphæræ caelestis expli-
cationem necessariæ pre-
muniuntur.*
- III.** *Circulorum qui in sphæ-
ra delineari solent, usum
percurrimus.*
- CAP. III.** *De Solis theo-
riâ.* 102
- I.** *Quæ sit anni magnitudo
definitur, ubi de emenda-
tione anni Iuliani.*
- II.** *Varii Solis motus, juxta*

C A P I T V M.

*omnium ferè Astronomo-
rum hypotheses explican-
tur.*

C A P . IV . De Lunæ theo-
riâ. 114

i. *Corpus lunare non esse ter-
sum & politum, sed aspe-
rum & terræ simillimum.*

ii. *Lunam collustrari lumi-
ne à terrâ reflexo, & eas-
dem terram subire phases,
quas in Lunâ deprehen-
dimus.*

iii. *In corpore lunari, ut in
terrâ montes assurgere, val-
les deprimi, lacus & ma-
ria diffundi.*

iv. *De Lunæ influxibus, de
mense, atque aliis quæ ad
calculum Ecclesiasticum
pertinent, agitur.*

v. *Lunares motus juxta om-
nium ferè Astronomorum
hypotheses explicantur.*

vi. *De Solis & Lunæ defe-
ctibus multa speculatione
digna proponuntur.*

C A P . V . De reliquorum
planetarum theoriâ,
vbi fusè de vero mun-
di systemate. 141

i. *Systema Copernici propo-
nitur, phases Veneris, sta-
tiones, directiones, & re-
gressus planetarum, juxta
hanc hypothesim explican-
tur.*

ii. *Tria Ptolemæi, Tychonis,
& Copernici systemata re-
felluntur.*

iii. *Expositus omnibus phæ-
nomenis novum P. Fabry
systema expenditur.*

C A P . VI . De stellarum
fixarum theoria. 163

i. *Systema Cartesianum pro-
ponimus.*

ii. *Multis illud oppugnatur
rationibus.*

iii. *Expositio firmamenti mo-
tu, quædam ex Euclide
theorematâ præmittuntur.*

iv. *Trigonometria ferè uni-
versa, scilicet triangulorum A-
nalysis ad præciam Astro-
nomicam necessaria pau-
cis demonstrationibus ab-
soluitur.*

C A P . V L T . De praxi
Astronomica. 182

i. *Inchoatam capite secundo
de sphærâ cœlesti tractatio-*

SVMMARIA CAPITVM.

nem absolvimus : quibus viantur instrumentis A- stronomi ; quâ methodo li- neam meridianam , Solis et aliorum siderum alti- tudines ; poli elevationem , locorum longitudines au- cupentur ; quæque ad sphæ- rae , vel globi cœlestis usum pertinent , compendiosè ex- ponuntur.	jecturalis pervellitur , et vanitatis revincitur.
II. Quâ industriâ Solis , et aliorum planetarum ex- centricitates investigant ; tabulas Astronomicas con- ficiant , atque ex iis motus cœlestes , et siderum loca ex- plorata habeant , uno itâ et altero problemate edocetur.	PROBLEMA I. Lineam Meridianam indagare. 185
III. Doctrina parallaxium , ex quibus planetarum à terrâ distantias colligunt , nec non quâ arte eclipses prænuntiari et delineari possint , aperitur.	PROBL. II. Solis et alio- rum siderum altitudinem reperi. ibid.
IV. Agitur de variis defecti- bus observationum , vete- rum et recentiorum errori- bus ; ubi de refractionibus et crepusculis nonnullis ; ac demum Astrologia con-	PROBL. III. Altitudinem poli , seu latitudinem loci indagare. 186
	PROBL. IV. Gradum zo- diaci in quo Sol versatur investigare. 190
	PROBL. V. Longitudinem loci invenire. ibid.
	PROBL. VI. Globum cœle- stem , vel sphæram in de- bitâ positione collocare. 193
	PROBL. VII. Horologium solare describere. 200
	PROBL. VIII. Excentri- citatem Solis , et locum Apogæi invenire. ibid.
	PROBL. IX. Vera siderum loca ex tabulis Astrono- micas eruere. 203
	PROBL. X. Parallaxes , et siderum à terrâ distantias scrutari. 208
	PROBL. XI. Eclipses Lunæ , et Solis prænuntiare. 210

ASTRONOMIA PHYSICA.

SE V
*DE LVCE, NATVRA ET MOTIBVS
CORPORVM CÆLESTIVM
DIALOGI.*

LIBER PRIMVS.

De lumine, & coloribus.

CAPVT PRIMVM.

De naturâ luminis.

Tres pricipù de luminis naturâ sententia expenduntur. I. est Peripateticorum, qui lucem & lumen inter qualitates numerant. II. Epicuri & Gassendi, qui lumen esse putant effluvium quoddam substantiale, à corpore lucido jugiter dimans. III. Cartesii, qui lumen aetherea substantie, quam secundum elementum vocat, impulsum definit, ab agitatione corporis lucidi profectum. Rejectis aliis, Aristotelis sententia defenditur.

MENANDER, THEOPHILVS, SIMPLICIVS.

MEN.



V B S I S T E quæso mi Theophile, te ipsum volumus. Satin salva sunt omnia? nescio quid subtristis mihi videre.

TH. Tot nunc sollicitor rebus, tot negotiis distrahor, ut mihi vix aliquid temporis vacui concedatur quod Philosophia studio impendam.

A

2 ASTRONOMIA PHYSICA.

MEN. Idem mihi vnuuenit; sed subcisia quædam incurunt tempora, quæ perire non patior. Cum igitur hic dies nobis ad rusticandum datus sit, negotia civilia paulisper facescant. Quò id fiat magis, juvat in rerum cælestium contemplatione versari: nisi quid Simplicio videtur secùs.

SIMP. Mihi consilium perplacet; atque hoc ipsum agamus. Vnde porro nisi à lumine incipiemus, quod res cælestes cum terrenis conciliat, ac vinculum vniuersi, flos, decor, & cæli pulcritudo jure vocitatur? Ante omnia quid sit, substantia an accidens, vel etiam motus, inquitendum nobis est.

- Lumen esse
qualitatem.*
- TH. Altè verò, & vt oportet à capite repetis quod discutiendum est. Vetus opinio est, eaque omnium ferè Philosophorum firmata consensu, lumen nihil esse quām accidens: nam qui lumen corpus esse, vel substantiam dixerit, idem necesse est vt vacuum in naturam inducat. Duo quippe corpora ex eodem loco sese mutuò extrudunt. Audio vos Epicureæ philosophiaz assertores: non ægrè inane disseminatum admittitis, & quod ipsa natura vacuum aversatur, non horretis. Velim tamen vt luminis per aëra trajectiōnē mihi explicare dignemini. ad poros vndeaque rectos configietis. Verūm cūm lumen ex aëre in aquam incidens refringitur; cur omnes radii perpendiculari excepto franguntur, atque à recto trāmite deflectunt? Iam hoc argumentum alias, vbi de calore agebatur, sumus prosecuti, cuius hæc ferè summa est. Quòd si pori corporum ex omni parte in lineas rectas, instar quincuncis, porriganter, nullus radius, ne obliquus quidem, frangetur. contrà, si meatus corporis diaphani, per quos lumen trājicitur, non sunt vndeaque recti: nihil est causæ cur radii etiam perpendicularares non refringantur. omnes quippe incurvati, & à recto itinere deviare necesse est. Sed de corpore diaphano suo loco dicendum. Addámne, quòd si lumen corpus sit, vel substantia, nullâ mentis contentione instantanea illius diffusio comprehendendi poterit? An idem corpus simul, & in eodem momento in pluribus locis existet, cælum, & terram pervadet? Quomodo tanta luminis moles indefinenter generatur, & corruptitur? quid ex illius corruptione procreatur? quæ causa effectrix adeò potens cælestem illam substanciæ.
1. ratio
- 2.
- 3.
- 4.

tiam tam citò destruit? quâ porro ratione fieri posse credam, vt ex Sole lumen jugiter dimanet, citra vllum corporis solaris dispendium. Iam si ad fidem nostram provocare liceat: cùm lumen, & color ejusdem sint speciei, vt fortè aliquando demonstrabimus; cùmque lumen sit substantia, erit itidem & color. Quid igitur dicturi sumus de sacrosancti Sacramenti speciebus? an aliquid substantiae ibi remanet? Hæc sanè cum religionis nostræ decretis non convenient, imò nec pura pura Philosophia ea probabit: novit enim, non substantiam sed qualitatem sub sensu cadere, cùm sensus ipse sit in qualitatum censu; cùmque sit facultas quædam, & potentia operatrix; non ergo lumen, vel color aliud erit quâ in qualitas. quæ quidem demonstrationi proxima mihi videntur, nec vllâ ratione infringi posse puto.

SIMP. Non is sum qui à receptâ Philosophorum opinione facilè recedam: sed neque Philosophum decet temere, & quasi inauditâ causâ proferre sententiam; nec vt puto Epicureorum opinio, qui lumen esse tenuissimam flaminam existimat, adeò absurdâ est, vt plerique omnes Peripatetici arbitrantur. An illud corpus non erit, cui omnes corporis affectiones apprimè convenient? nunquid lumen suâ mole, suâ extensione, figurâ, motu denique suo donatur. Dimensiones sibi proprias, neque à subjecto mutuatas habet; in omnes partes diffunditur; figura suæ adeò tenax est, vt si lumen Solis per foramen quadratum transierit, circularem tamen figuram in chartâ oppositâ delineet. Quid de motu luminis dicam, quod resilit ex occurso corporis, & refringitur non secùs ac globus impactus, vbi ex aëre in aquam incidit. Postremò lumen calefacit, vrit, vapores attollit, quæ profecto in purum accidens non cadunt. Quod si lumen nihil sit quâ accidens, quodnam est illius subjectum, quod illius vehiculum: numquid aér? sed agitato aëre, lumen minimè moveatur. quot faces lumen suum per angustissimum foramen, sine confusione trajiciunt; nec tamen plura ejusdem speciei accidentia in eadem sede morari possunt? Cætera quæ sunt accidentia in subjecto quiddam imprimunt, quod non statim extinguitur: sed lumen adeò leviter aërem afficit, vt subducto

*Sententias
Epicureorū
proponitur.*

1.

2.

3.

4.

A ij

4 ASTRONOMIA PHYSICA.

corpore lucido, nullum sui vestigium relinquat. Mirum si accidens à subjecto suo minime dependeat, ac de subjecto in subjectum commeare possit: idem quippe radius cælum, aëtra, & aquam pervadit. At negas duo corpora in eodem loco simul posse consistere, hoc ipsum in vacui disseminati argumentum, trahunt Epicurei. Eādem certè ratione ignem non esse corpus conficies, est enim flamma in fumo, ut lumen in aëte. Quid porro lumen nisi flamma tenuissima? nam ut aqua in vapores, sic flamma in lumen circumfusum extenuatur, atque ut aqua in vaporem rarefacta minus madefacit, sic lux ita attenuata minus calefacit, quam flamma, quæ solidior est & compactior. denique ut vapor in superiore aëmbici parte, præ frigore condensatur, ac pristinam aquæ formam induit; sic lux dispersa, in speculis concavis iterum coalescit, & comburit; adeò ut lumen esse caloris vehiculum, nemo dubitare possit. Quod sumebas de instantanea luminis effusione, magis me movet; neque enim corpus tantum spatiū in momento potest occupare, sed nisi me fallit animus, in eodem luto hæsis; nec facile explicabis quomodo accidens, vel qualitas in punto temporis propagari possit. an hix à Sole, huc usque pervenit? sed accidens de loco in locum non migrat. an potius lux quæ in Sole est-propagatur, atque aliud lumen sibi cognatum, & simile procreat, quod subinde aliud diffundit? At obstat tam præceps, atque ut putant instantanea luminis effusio. Magnum quiddam putant se asserre, cum aiunt luminis propagationem in instanti perfici, quod lumini nihil aduersetur, nihil illius effusionem removetur. quasi verò corpus in vacuo constitutum, ubi nulla esset resistentia, in momento moveretur? quasi sonis cui nihil contrarium est, in instanti diffundatur? quis tot luminis propagationes seu novas productiones simul perfici concipiatur? hic igitur nodus utrisque communis, solvendus est. Nec facile concessero lumen in instanti propagari. quemadmodum enim quod oculis nostris instar puncti apparer, non utique punctum est, sed innumeris constare partibus, ex microscopio deprehendimus; sic quod raptim movetur in momento ferri credimus. lumen quidem perniciissime movetur: nam

inter corpus, & spiritum quasi ambigit; quo verò res magis à materiâ secernitur, eo mobilior est, & ad agendum efficacior, vt videre est in spiritibus animalibus, qui subtilissimi sunt, atque vivacissimi, omnis aded motus, vel actionis principia. Sed ne tibi parum liberalis videar: concedam luminis propagationem in puncto temporis perfici: quid hinc colliges, lumen nihil esse quām accidens? imò hinc conficio lumen esse tenuissimum corpus, quod Soli induit adhæret, vñā cum Sole circumagit, nec de novo gignitur, adeò vt necessè non sit causam inquirere, quæ tantum corpus destruat. Manet, inquam, idem lumen, quod in mundi condizione fuit procreatum; radii solares tanquam virgulæ subtilissimæ Soli affiguntur, atque illius comam, vel potius coronam efficiunt. Neque vt puto aliâ ratione luminis effusio explicari potest. Quocirca lumen reflectitur quidem, & refringitur; sed à suo fonte nunquam separatur; generationem vel corruptionem nescit. Quod de naturâ perspicui addebas, id separatim, & distinctius alibi expendemus; neque dissimilandum est, omnium quas in medium adduxisti rationum, eam esse adversus Epicureorum sententiam longè maximam. Postremò, quod ad fidem nostram provocasti, atque ex Sacramento altaris lumen substantiam non esse, demonstrare conatus es: multa occurruunt, quibus hanc heresios notam absbergant Christiani Philosophi. Primum enim lumen est quid extraneum, nihil ad panis substantiam pertinet; quid igitur refert, substantia sit, vel accidens? Quemadmodum si quid pulveris adhæreat speciebus hostiæ consecratæ, nihil ad panis substantiam attiniebit. At inquires, color panis est ipsi intrinsecus, & tamen nihil aliud quām lux est. Vtrumque in quæstione versatur; an color nihil à luce differat, atque vt hoc verum sit, rectè inquirimus an color sit quiddam à lumine extraneo distinctum: nam recentiores ferè omnes sentiunt colorem nihil esse quām lumen varie reflexum, vel infractum. Verum hæc omnia ab hac quæstione quæ in manibus est, separantur. Habes ô Theophile, non quid mihi, sed quid Epicureis proberetur.

M.E.N. Iam si ita tibi videtur, non quid alii, sed quid tu

A iij

6 ASTRONOMIA PHYSICA.

ipse sentias, dic aperte: nescis quantâ cum attentione simus te audituri.

SIMP. Quando solis sumus, licet verum exquirere sine invidiâ. vix animum induco ut lucem substantiam, vel tenuissimam flammam esse putem: nam Theophili disputatio, si non penitus hanc opinionem sustulit, certe non patum labefactavit. Maximè ratio illa, quam à refractione deprompsit, lumen nihil esse quām qualitatem, jam ferè mihi persuasit. Sed quodnam est illud qualitatis genus, quod à subiecto suo non pendet, neque vñā cum illo movetur? quā etiam ratione producitur? nunquid de potentia subiecti eruitur? quis hoc crediderit? Corpora quæ sunt opaca cælestem illam qualitatem non possunt ex se fundere. Accidentia quæ nihil sunt quām corporum modi, vt humiditas, & siccitas, raritas, perspicuitas, è subiecti potentia eruuntur; non item cæteræ qualitates, nedum ipsum lumen. An fortè à corpore lucido propagatur? sed illa propagatio quæ in momento perficitur, nec explicari potest, nec concipi. Vbi radius in speculum incidit ad perpendiculum, atque in seipsum reflectitur, nunquid fortasse radius qui resilit, ab eo qui incidit procreatur? at duo accidentia ejusdem speciei, in eodem subiecto non possunt existere. Quorsum quæso te, radius ille in speculum cadens, alium producit? an sibi subiectum aërem ut assimiler? sed ante reflexionem, jam illam adeptus fuerat similitudinem. Frustra ergo reflectetur. Hæc atque alia ferè innumera, quæ circa luminis naturam tenebras nobis offundunt, cum divinâ propè mentis acie meditatur singulari vir ingenio Chambræus, novum, ac ni fallor verisimilimum lumenis systema ponit ob oculos, quod vt vobis expliceam, necesse est vt rem ab altiori deducam exordio. Lumen quod per aërem diffunditur ejusdem esse speciei cum luce, quæ in Sole fulget, nemio vt puto ibit inficias. Cùm enim visus sit proprii sui objeceti arbitr̄, ac nullam differentiam inter lucem Solis, & ejusdem in speculo resurgentis imaginem; nec inter lucem stellarum, quæ proprio nunciant splendore, ac planetarum mutuatium lumen animadvertat: quis lumen à luce specie disjungi crediderit? maximè cùm vñius facultatis vñum sit ob-

*Vera sen-
tientia illu-
siōnū; &
objec̄ta di-
bantur.*

jectum; cùmque lumen in aëre exceptum, sit ut plurimum lucis solaris effectus univocus: atque adeò ut calor calorem, sic lux lumen ejusdem secundum speciei procreabit. Imò lumen ab ipsâ luce, ne quidem numero distingui contendō: non enim lumen est lucis effectus, ut plerique omnes Philosophi sibi persuadent: illam quippe lucis propagationem esse impossibilem, jam fermè evicimus. Quid igitur restat, nisi ut radii luminis ad corpus lucidum pertineant, atque eādem veluti lucis massam constituant; adeò ut lumen sit quādam qualitas, eaque permanens, nec ab aëre in quo excipitur, sed à Sole ipso dependeat. Neque recens procreatur: est enim lux ipsa Solis in omnes partes diffusa; non igitur lumen est lucis effectus; sed illius quādam appendix. Hinc non mirum est si lumen vñà cum Sole circumferatur, ac recessente Sole, nullum sui vestigium relinquat: non enim aëri tanquam subiecto inest, ab eo dūrata sustinetur; principio autem suo adhærescit, à quo divelli non potest. Excipiat aliquis: nulla qualitas de subiecto in subiectum migrat; nulla est à subiecto suo independens. Hæc larva est, quæ nos ab inveniendâ veritate deterret. Accidentia quidem quæ è situ sui subiecti eruuntur, sine illo non possunt consistere, ab eo quoque multum dependent; non item accidentia quæ ab alio fluxerunt principio. Exemplo sit vis magnetica (si tamen est qualitas) imò omnes aliæ vites specificæ de subiecto in subiectum commeare possunt. Vniversi ordo id quoque videtur exigere: nam ut quādam sunt accidentia quæ sine subiecto, nec esse, nec concepi queunt, ut raritas, & densitas; alia quæ non nisi virtute divinâ separari possunt, & separata existere, ut vide-re est in speciebus sacrosancti altaris Sacramenti: sic quādam à subiecto sustinentur, à quo tamen nec quoad eorum productionem, nec quantum ad conservationem dependent. in quo censu lumen esse, tam certum est, quād quod maximè non enim lumen suam extensionem, vel motum à subiecto repetit. hoc habet cum naturis spiritualibus commune, ut totum sit, vel in minutissimâ sui subiecti portione. Nullum est punctum in aëre, in quo tota Solis imago non col-luceat. Videmus etiam lumen juxta corporum lucidorum va-

3 ASTRONOMIA PHYSICA.

rietatem multiplicari, per angustissimum foramen citra confusionem, fermé instar rerum spiritalium trajici; tot umbras projicere, quot faces ascenduntur. ex quibus facilè colligitur lumen non à subjecto, sed à corpore lucido unitatem suam, vel naturam repetere. quid tibi videtur, Menander.

M E N. Pulcrè quidem, & sapienter dicas: vnum tamen superest mihi scrupulus, quo facile me liberabis. vbi lumen ex occurso corporis opaci reflectitur, non sine aliquo motu resilit: locum quippe, & situm mutat. neque hunc tamen motum à corpore lucido mutuatur, vt patet; sed ipsi radio proprius est. Iam si radii lunainis nihil sunt quām linea stabiles, non assequor quomodo possint resilire. An motus ille instantaneus est? sed nullum corpus, nulla qualitas in instanti locum mutat. ergo hic motus in tempore perficitur: quod si ita sit, quantum temporis radius exiget vt à Luna, vel alio planeta ad nos usque reflectatur. Præterea, extrema pars radii lucidi corpus opacum feriens, reflectitur: non igitur radius erat linea stabilis, ultra corpus opacum porrecta. Iam vbi radii solares clausæ fenestræ ab ingressu cubiculi arcentur; tum certè resilunt, nec quicquam de suâ longitudine deperdunt. quid enim lumen potest destruere? An opacitas, quæ vt sic qualitas quædam, ut plurimum passiva erit, non activa. Nulla est causa quæ lumen in aëre producat, nulla quoque affiri potest, quæ illud possit extinguere. nunc apertæ fenestræ quomodo radii reflexi subire poterunt? id profectò non assequor, ne cogitatione quidem; seu lumen tenuissimam flamman; seu qualitatem statuas, in radios stabiles, & corpori lucido coæuos diffusam. quidquid attigeris, vñcus est. Quanto probabilius mihi videtur sentire illustris Cartesius, qui lumen nihil esse quām motum tenuissimæ substantiæ poros aëris replentis existimat; adèd vt vera sit Aristotelis sententia lumen esse actum, sive motum corporis perspicui: cùm enim nec qualitas sit, nec substantia; quid restat nisi vt motus censatur? Neque hoc mirum videri deberet. nihil quippe sensu percipitur nisi motus. quid sonus nisi motus aëris? quid ergo lumen nisi motus substantiæ cœlestis retinam ferientis. Quo vero res fiat illustrior, lucem à lumine discernamus; illa est

*Opinio
Cartesii.*

L ratio

in corpore lucido, lumen in aëre, vel in aliis corporibus excipitur. Lux adeò nihil est quam particularum insensibilium primi elementi, seu ignis purissimi celerima agitatio; quam quidem globuli ætherei (quibus secundum elementum constat) vndeque premuntur, & ad rectas lineas impelluntur. Hic igitur cælestium globulorum impulsus lumen vocatur. Neque verò illam partium corporis lucidi agitationem temere inducimus: nam & manifestè se prodit, ubi liquorem tanto impetu ignis disjicit, atque in vaporem, vel fumum explicat, quod sine motu, ne concipi quidem potest; ut nec lapis sursum fertur, nisi à projiciente impellatur. Præterea, omnia lucis, ac luminis phænomena hinc facilimè explificantur. Adeò ut nemo, nisi idem occupatæ opinionis præjudicio labore, ultro in hanc non concedat sententiam. Hinc sanè planum fit, cur lumen in momento diffundatur; non scèus ac si quis extremo baculi vel cælum ipsum rangeret, eodem instanti hunc motum manu perciperet. Nónne cæcus baculi adminiculo lutum à lapide discernit? Imò duritiem, figuram, molémque corporis baculo dignoscit; neque necesse est ut species à lapide per baculum transmittatur. Sic ubi corpus lucidum suâ agitatione globulos cælestes per totum aëra diffusos premit, eodem tempore visus hunc motum percipit, atque illius beneficio omnes colores dijudicat, ut quam mox dicturi sumus. Cùm verò corpus lucidum reedit, tum lumen evanescit: nihil perit tamen; nam ubi Sol radios emittit, nihil novi generatur. Hinc etiam liquet cur moto aëre, lumen non agiteretur: siquidem baculi motus à movente dumtaxat pendet. Opaci corporis occursu lumen resistit, atque sublato impedimento radii luminis pristinam restitudinem sibi restituunt; quæ quidem omnia facilimè juxta nostra principia exponuntur. Ut semel finiam, non possum globuli ætherei Soli propiores moveri, premi, vel impelli, quin uno, & eodem tempore, cæteri secundum lineas rectas dispositi propellantur. Nec plura lumina per angustissimum foramen trajecta confunduntur: quemadmodum ubi vas unico impletur, ac fundum ejus uno, & altero foramine aperitur, nulla est vini guttula, quæ per illa foramina non sibi quæ-

10 ASTRONOMIA PHYSICA.

rat exitum, ac per rectas lineas, partes omnes vini erumpere moliuntur; nec tamen tam variae ad motum inclinationes se- se mutud præpediunt: sic cùm lumen nihil sit quām motus, vel potius inclinatio, & determinatio ad motum, non min- rum est, si plura lumina idem foraminulum inconfusa per- transeant. Hæc est, nî fallor, Cartesii sententia, cui non subscrbit Theophilus, huic philosophiæ infensissimus.

*Refellitur
Cartesii sen-
tentia.*

1. ratio.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

*Elegia
Cartesii.*

T H. Ego hæc commenta meo calculo comprobarem? an cæco persuadebis, lumen nihil esse quām motus? Itaque cùm in primâ rerum institutione lux creata est, nihil quām motus quidam, qui nec concipi potest, nec enarrari, è te- nebris emersit. Non satis sibi constat Cartesius: nam lumen aliquando motum, nonnunquam inclinationem ad motum definit. Si motus sit, quænam est illius effectrix causa, qui motor? materia, inquit, corporis lucidi: sed materia cùm ni- hil sit, quām triplex dimensio, quid agere, quid moliri po- test? Quod si lux nihil est quām inclinatio, seu nūs ad mo- tum; quomodo sensum ferit? quā ratione comburit, atque alios effectus innumeros exerit? Sive sit motus; sive inclina- tio ad motum, non erit quid absolutum; sed relatio dumta- xat quædam. Quis ita mente captus, vt hoc vel somniet? sed pulcrè exemplo baculi, luminis perceptionem, & pro- pagationem nobis explicat. est dissimile totum. Nunquid forte radii luminis solidi sunt, ac rigidi instar bacillorum, vt uno, atque eodem tempore omnes partes moveantur? Cùm duo lumina eidem opponuntur foramina; profectò illi globu- li contrariis motibus agitati, mutuò sibi occurrent, atque alii alias disjicient: nec duo homines poterunt simul se se in- tueri; neque eodem momento oculos alter in alterum defi- gere, quin globuli ætherei perturbentur, & collidantur. Quis etiam intelligat, quā ratione imago Solis tota per angustissi- um foramen trajiciatur, citra villam radiorum confusio- nem? Qui fieri poterit, vt tot globuli in idem punctum co- gantur? Vbi aër, vel cælum celerrimo motu agitatur, quo- modo globuli ætherei à rectis lineis non aberrant? Viden quæ & quanta tuam sententiam sequantur absurdæ.

MEN. Non equidem difficile factu puto has nebulas, quæ

nos à libero lucis intuitu impediunt, disjicere. Negas lucem nihil esse quām motum, quod primo die creatam fuisse sacri testentur codices. Nunquid eadem ratio tuæ opinionis jugulum petit? Nam si lux qualitas est, an solitaria, atque ab omni subiecto secreta prodiit è tenebris? Ergo necesse est ut communi solutione utramur, & utrique fateamur, in principio creatum esse mundum, qui sex diebus in suas partes distinctus, atque ornatus fuit. Quod anceps ac lubricus tibi videatur Cartesius, qui aliquando lumen nihil esse quām nūsum, seu propensionem ad motum existimat: aliquando motum esse illud definit. Facile ab hac levitate animi eum liberabo. Lux semper cum aliquo motu conjungitur, vti & caior: lumen verò nihil est quām quædam pressio globulorum cælestium, quæ sine motu rectè potest consistere. Quemadmodum duo pugiles, qui sic collectantur, vt neuter alteri prævaleat, minimè moventur; vel si quis aliquod pondus manu sustentet, nec cedat tamen; nihil movebitur. Quæris causam effectricem hujus motus. Deus est, qui corpori lucido eum impressit. Times tu quidem, ne si lumen nihil sit quām motus, non aliquid absolutum, sed relativum dumtaxat futurum sit; hoc ipsum quod metuis, nihil est: quid enim nihil, dummodo lumen visu, vt color tactu, percipiatur? Sed ne subterfugere videat, tibi respondebo, omnem motum cum imperio esse coniunctum; sive impetus sit quædam qualitas à motu distincta; sive nihil aliud sit, quām motus; constat eum ad relationem non pertinere, sed esse quid absolutum. Cætera quæ de baculi rigore, radiorum confusione, & occursu, objicis, plusculum difficultatis habent. Pautis respondeo, totum hoc intervallum, quod inter nebulosum aërem, & Solem intercedit, substantiâ æthereâ esse compleatum. Solidi sint an fluidi cælestes globuli, nihil moror. Id unum mihi certum est, quod si vel minimum à corpore lucido premantur, uno & eodem tempore subiecti globuli impellentur: non secùs ac si concipias ingentem tubum instar syphonis inflexum, ubi repletus aquâ fuerit, si vel paululum aquæ adjeceris, que altero tubi brachio continetur, statim attolleretur, atque efflueret. Nec est quod vereare, ne subtilis illa

12 ASTRONOMIA PHYSICA.

materia, quæ à corpore lucido continenter premitur, ac visum ferit, huc illuc à ventis impellatur: nam motus ille à ventorum agitatione profectus, quantus quantus sit, longè tardissimus est, si cum motu æthereæ substantia conferatur: crassiores dumtaxat aëris partes, non cælestem illam materiam discutit. Finge animo vinum ingenti vase conclusum, per aliquot foraminula diffluere; agitetur vinum, vel manu, vel quocumque vides modo; nihilo tardius dilabetur, atque à perpendiculari linea non deflecter.

S I M P. Doleo eximium Cartesium tantam sui irridendi facultatem Philosophis dedisse. Quis enim non rideat illud opinionis monstrum? Nihil, inquit, à corpore lucido ad nos visque, præter motum transmittitur: ergo solus videbitur motus. Non, inquires, sed per motum videntur quæque corpora, vt motu baculi lapidem discernit cæcūs: nam & similibus abundatis. Iam quod videtur lumen est, vel color; utrumque, si vobis credimus, in motu positum est: nihil igitur præter motum percipimus. Sed hæc fuerit tanquam levis armaturæ prima disputationis excursio. Nunc cominus agamus. Cedo qualis sit ille motus, quo corpus solare totam materiam cælestem tanto imperu propellit; neque enim (vt video) satis vobis constatis. An quædam Solis quasi palpitatione, seu motus similis systoles, & diastoles cordis? Sol igitur radios emittit, & retrahit, neque jugi effluxu eos ad nos transmittit. Nihil, vt puto, absurdius dici potest. An potius Sol circulari motu circa suum centrum agitatus; substantiam ætheream undequaque premit? Sed hunc motum in face accensâ non animadvertis, quæ tamen radios in orbem vibrat. Nec video quâ ratione Sol qui circa suum centrum contorquetur, magis premat corpora sibi proxima: non enim locum mutat; nec majorem extensionem adipiscitur. Non etiam satis assequor, quomodo Solis ambitum visu percipiamus; nec, vt puto, alia pars Solis sub obtutum caderet, quam ea quæ inter Solis centrum, & visum nostrum directè interjacet. Postremò, quid causæ est, cur globuli ætherei crystallum penetrant, non item papyrum, quæ laxior est, & magis pervia? Sed de his jam nimis.

Tu. Pudet me, non tui, Menander, cuius ingenium admiror; sed Cartesii, Regii, & aliorum, qui has nugas tanquam oracula venditant, ut soli sapere videantur: Jain abeamus à fabulis, ac veri propiora videamus. Verumtamen de motu luminis nobis injecisti scrupulum; hunc ergo, si tibi ita videtur, Simplici, nobis exime.



C A P V T S E C V N D V M.

De luminis motu.

I. *Lumen in orbem diffundi, adeò ut singula corporis lucidi puncta in omnes partes radient.* II. *Occursu corporis opaci ita reflire, ut angulus incidentie aequalis sit angulo reflexionis: que sit hujus equalitatis causa.* III. *Cur lumen refringatur ad perpendiculum, cùm è raro corpore in densius incurrit. Cartesii rationes discutiuntur.* IV. *De refractionis legibus multa.*

S I M P L I C I V S.

SE QVAR igitur, vt institui, eximium virum nostro hoc saeculo Philosophiae facilè principem, atque ex illius sententiâ de variâ luminis emissione, directâ scilicet, reflexâ, & refractâ (qui locus patet latius) differam. Nec profectò nobis delectatio deerit, aliud ex alio quætentibus.

D. de la
Chambre.

MEN. Iam ergo, quæsto te, ordire nobis exponere, quî fieri possit ut radii luminis, lineæ stabiles cùm sint, atque à corpore lucido circumferantur, interjectu corporis opaci resiliant. Quod si id perfeceris, ne dubita me in tuam iturum sententiam.

SIMP. Quid ergo, si dixerit aliquis lumen à corpore lucido non aliter propagari, quam ignis in pulvere pyro accenditur? Ego sanè malim ad hanc luminis effusionem confugere, quam absurdæ tuæ opinioni subscribere. Sed in has nondum coarctamur angustias, quas sanè patiuntur, qui lumen esse tenuissimam flammam putant. Nos qui lucem ni-

Quomodo
lumen reſi-
litat.

B iij

hil quām qualitatem esse arbitramur, facile totum hoc negotium absolvimus. Negamus enim qualitatem quæ corpus inter, & spiritum ambigit, item uti corpora fluxu continuo, & successivo moveri. Angelus certè, qui punctum loci occupat, potest in momento, majori spatio applicari: neque illius motus, temporis successionem ullam exigit. Sic lumen, quod instar spiritus totum est in minima sui subjecti parte (nullum enim est punctum in aere, in quo tota Solis imago non cernatur) occursu corporis opaci reflectitur, & subducto corpore, pristinam rectitudinem suam recuperat. Radius quippe luminis totus est in singulis partibus; non secus atque anima in corpore. Iam ubi manus abscinditur, nunquid anima aliquâ sui parte mulctatur? Sed partibus caret. Quid sit igitur in seipsum reddit; nec tamen mole augetur. Quod si peritissimi Chirurgi arte manus abscissa restituatur, iterum ab animâ vegetabitur: idque citra aliquem motum fieri non posse verisimile est; quidquid reclament Philosophi. Cessat, inquietunt, anima manum amputatam vegetare. Hoc certè nihil est; pars quippe illa animæ, quæ manum informat, non perit: quandoquidem partium expers est animus: nec superstes manet in manu abscissâ, vt cuique manifestum est: restat igitur, vt anima in seipsum quodammodo revertatur, quod sine aliquo motu concipi non potest; qui quidem motus, neque attractio est, neque impulsus; sed majorem cum motu elasticò, per quem res quæque suam sibi extensionem restituit, videtur habere cognitionem.

T H. Credo hercle ita esse; atque huic responsioni potissimum assentior: sed redde cætera, & varias luminis emissiones, ita uti institueras, nobis expone.

S I M P. Reddam, & si potero brevi: sed antè præmunienda sunt quædam disputationi nostræ, de naturâ, & actione radiorum, de quibus cum per pauca dixero, tum ad ipsam luminis emissionem descendam. Radius luminis nihil est (si bene auguror) quām punctum corporis lucidi in rectam lineam continuatum; adeò ut radius puncti illius, à quo dimanat, imaginem, ac splendorem secum vechat. Neque enim vlla ratio adduci potest, quæ imaginem puncti lucidi ab ipso splen-

*Quid sit
radius:*

dore separare nos cogat. Radius quippe luminosus punctum, ex quo fluxit non exhibet, nisi quatenus id reddit sensibile: sensu autem percipitur per splendorem radio congenitum. Non igitur necesse est ut in radio imaginem à splendore discernamus: quid enim imago quædam (ut loquuntur) intentionalis efficeret, quod ipse splendor per se non præstet? quid stultius quām lumen inter qualitates intentionales, quales fingunt esse species visibiles, recensere? nōnne visus organum lœdit, ignem accedit? quæ certè in qualitates illas spiritalles non cadunt. Certum est splendorem, atque imaginem in ipso corpore lucido minime discerni. Quòd si opaca quæ sunt, & aspera corpora Solis imaginem non reddunt, licet illius splendore coluceant, id euénit; quia radii luminis nimio plus dispersi, ac dissipati, Solis imaginem confundunt. Sic minutissimæ stellæ minus fulgent. Sed subtile quiddam putant se dicere, cùm identidem reponunt, lumen non formaliter, sed tantum eminenter calidum existere, nec posse ex calore concludi, illud non esse in qualitatum intentionalium censu. Vnde ergo ille calor? an fortè ex luminis motu? sed proprio motu lumen non cietur, nisi cùm resilit, vel refringitur.

M E N. Neque etiam lumen virit, nisi cùm reflectitur in speculis concavis, vel frangitur per vitra convexa transmissum, atque in uno quasi punto colligitur.

S I M P. Concedam hoc ipsum si vis; et si magnam jacturam causæ fecero. Quis enim ignorat lumen ad perpendicularum incidens, ante omnem reflexionem calefacere? Sed tamen eo concesso; quid hinc consequitur, nisi quòd radii luminis minus calefaciunt dissipati, quām vñiti? nunquid illa vñio calorem ingenerat? An sonus reflexus ex vñione calorem procreat? Nec mirum si qualitas illa simplex, & vniuersitatem illuminet simul, & calefaciat: cùm vis magnetica duo falso munera obeat: nam & ferrum ad se rapit, & illud ad mundi cardines dirigit. Neque verisimile est ex motu luminis calorem proficisci: non enim motus virtute suâ calorem accedit: nam corpora fluida quæ sunt, vel spirabilia, minus calent, quòd magis agitantur, ut videre est in aëre, qui frigus

*Lumen non
est qualitas
intentiona-
lis.*

ex motu concipit. Lumen verò non est solidum quoddam corpus, ex cuius motu calor procreari possit. Est nonne mo qui existimat lumen nihil esse quàm calorem modificatum. Hinc duplē calorem distinguit: alter est tactu, alter visu sensibilis: ille in ferro candente copiosior, minor est in spiritu vini accenso; hic è contrà vberior in flamina, parcior in ferro candente: ille tactum magis ferit, quòd vna cum partibus ignis extrà prorūpentibus percipiatur; vnde calor ignis sensum fortius afficit, quàm Solis calor; hic tamen purior, & fortior est; nam radii solares collecti adurunt, non item radii caloris, quos ignis emittit, etiam si in speculo terso, & polito reflectantur. Quare lumen à luce, lux ab igne prodit, & omne lucidum, idem calidum esse necesse est. Sed jam fortasse nimis digredior: èd igitur redeat, vnde fluxit oratio. Radios luminis à corpore lucido, tanquam à centro dimanare, dubitat nemo: adeò vt quòd longius à suo fonte recedunt, èd magis inter se distent, ac subinde minùs illuminent, aut calefiant. Non enim radius secundùm suam longitudinem fit languidior, cùm vbiique sit sui similis, & omnis latitudinis faltem physicæ, expers; sed tota radiorum veluti macta, quòd longius excurrit, débilior efficitur; quia radii magis à se inuicem dissident, ac disperguntur, plurāque relinquunt interstitia lumine vacua. Hinc multæ faces eundem locum vberiore lumine collustrant: siquidem spatia quæ ab vnius facis lumine sunt intacta, ab alterius radiis occupantur. Hæc sane obvia sunt, & omnibus notissima: nunc ad abstrusiora veniam, & quomodo imago Solis tota in speculis innumeris colluceat, & ab infinitis propè oculis percipiatur, tentabo etiam dicere. Profectò id nec fieri potest, nec concipi, nisi vnumquodque punctum corporis lucidi radios in orbem emitat: ita vt non modò corpus lucidum sit quasi commune centrum, & fons inexhaustus totius luminis, quod nemini non est manifestum; sed præterea necesse est, vt quodlibet punctum corporis lucidi, sit centrum, & quasi apex pyramidis radios vnde aquaque diffusæ, hoc est, vt à singulis punctis ipsius corporis solaris, lineæ, & radii innumerabiles quaqua versum producantur: quod nō ita esset, idem punctum corporis lucidi à multis

*De luminis
diffusione.*

Multis oculis inter se dissitis simul percipi non posset. Sunt igitur innumeræ pyramides, quarum vertices in corpore lucido, bases in corporibus illustratis sitæ concipiuntur. Sunt item aliæ innumerabiles, contrario modo inversæ, quarum apices in singulis punctis corporis illustrati constituuntur; his vna communis basis, Sol nimirum, vel aliud corpus lucidum substernitur: nullus quippe locus est in quem radii à Sole prodeentes non concurrant; atque adeò tot sunt radiosæ pyramides, quot sunt in aëre puncta, in quibus radii à toto Sole prodeentes colliguntur; itavt nihil opus sit species intentionales, vel alia Philosophorum figura menta communisci, ut suo loco discutiemus. Iam verò nihil necesse est edisseri à nobis, quid lumen visibile efficiat: nam hic locus satis à doctissimis viris quæsitus, ac disputatus est.

M E N. Nemo nescit lumen videri, cùm satis copiosum est, vt retinam, seu visus organum afficiat: quod tum accedit, cùm plures radii ab eodem punto exeuntes, in idem oculi punctum confluunt, cùmque lumen satis est validum, vt visum sistat: hoc enim omnis facultas exigit, vt ab objeto suo terminetur; quod præstare non potest lumen in aëre exceptum: vnde necesse est vt ab opaco reflectatur. Sic lumen Solis, quod etiam de nocte cælum irradiat, minimè perspicimus; non enim sub visum cadit, nisi à solidiori corpore ad oculos reflectatur; vel in suo fonte, seu in corpore lucido percipiatur; tum enim nimio fulgore visum sistit. Quare si extra cubiculum vndequaque clausum, candela accensa juxta foramen, cui aliud è regione sit oppositum, constituantur; qui in cubiculo existent, lumen candela per utrumque foramen transmissum nullatenus cernent: lumen quippe visum non afficit, nisi ab aliquo opaciore corpore sustineatur. sed hæc sunt planiora, quām vt in iis immoremur. Cetera quæ ad luminis directam emisionem pertinent, in alium locum differamus, vbi Optics arcana scrutabimur. Nunc nisi tibi molestum est, Simplici, de luminis reflexione perge dicere.

S I M P. An mihi quidquam potest esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Quæ sit reflexionis causa, non fa-


cile dictu est : nec potest ancè decerni , quām in quo sita sit perspicui natura , constiterit. Interea loci dixerim opacitatem , quæ corporibus inest , causam esse reflexionis proximam : fortè quia corporis opaci foraminula , vel meatus non sunt quaquaversum recti , atque adeò lumini transitum non permittunt. Nam corpus diaphanum , cùm sit luminis sedes , atque in eo liberè exspatietur ; quid mirum si lumen corpus opacum horreat ? Nulla enim forma in subiecto malè disposito excipi postulat. Non tamen sola corporis opacitas ; sed etiam superficerum asperitas , vel ipsius corporis divisio , aut scissura lumen resilire compellit ; vt videre est in vitro communio. Vbi vitrum scissum est , lumen primam quidem superficiem penetrat ; sed hæret in proximâ , atque vt suæ vnitatis , ac naturæ dispendium non patiatur , resilire cogitur. Nam res quæque ita sunt à naturâ comparatae , vt quæ sibi sunt infensa , fugiant & propriam vnitatem , vel naturam studeant conservare. Cùmque radii luninosi alii alii sint fortiores ; nonnulli vitrum penetrant , reliqui reflectuntur : quantumvis tamen débiles sint radii reflexi , nihil de suâ longitudine , nihil de suis viribus deperdunt : quandoquidem lineæ sunt stabiles , quas nullius corporis opacitas minuere potest , vel extinguere : non enim opacitas quidquam agere , vel moliri potest , cùm sit qualitas passiva , ac penitus iners , neque ullam cum lumine contrarietatem exerceat. Nihil autem minuuntur radii ; quia reflexio in instanti , non secùs ac rectâ emissio perficitur. Vnde vterque motus eâdem vi , & quasi eodem impetu indigeret , tum vt radii luminis resiliant , tum vt directè vibrantur. Non ibo tamen inficias , totam radiorum massam , ac congeriem , ex opaci corporis occursum , non parum debilitari ; cùm enim nullum sit corpus adeò tersum , aut politum , quod multum asperitatis non habeat ; hæc superficerum inæqualitas quantula cumque sit , radios reflexos non mediocriter dissipat , atque adeò eos languidores efficit. Hæc mihi visa sunt de reflexionis causâ præmittere , quæ si approbatis , pergam ad reliqua : si quid requiritis , id explicemus priùs.

TH. Nos verò nihil : nisi quod non satis liquet , cur in

reflexione angulus incidentiae æqualis sit angulo reflexionis; hoc est, ni fallor: cur radius luminis in corpus opacum incidens, eamdem servet cum plano inclinationem, cùm reflextur, quam habet tum cùm incidit.

S I M P. Rem tibi ponam ob oculos. Sit speculum C B D, in quod radius A B ab objecto A cadit, & per lineam B E reflectitur ad oculum E. Angulus D B E dicitur angulus reflexionis; continetur enim lineâ E B, quæ à speculo reflectitur, & lineâ B D, quæ speculum nobis exhibet. Angulus vero cùm nihil sit, quām vnius lineæ ad alteram inclinationem, tribus literis designatur, quarum media ipsum anguli punctum, seu linearum concursum indicat. Sic A B C, incidentiae angulus vocatur. Itaque duos angulos ad B existentes A B C, & E B D inter se æquales esse contendimus. Neuter enim est altero major, vel minor. Idque probatur. Objectum A, & oculus E locum commutent; adeò ut oculus jam in A; & objectum in E constituantur, recta B E tum erit radius incidentiae, & B A radius reflexionis. Constat autem experientia, quod objectum adhuc videbitur, atque per easdem lineas, & eosdem angulos; nisi quod qui erat angulus incidentiae, jam est angulus reflexionis, & vice versa. Non igitur alter est altero major: alioquin idem angulus esset seipso major. Nam si quis fortè contenderit angulum incidentiae majorem semper existere: vbi oculus, & objectum situm, & locum permutarunt, qui prius erat incidentiae, sit reflexionis angulus; & idem manet. Non igitur verum erat, angulum incidentiae semper majorem existere. Eadem quoque ratione evincam, minorem non esse: quid restat, nisi ut ambo æquales statuantur.

M E N. Optimè demonstratum à te fuit angulum incidentiae æqualem esse angulo reflexionis: quod sane in omni motu reperitur. Nam pila obliquè in parietem impacta, ad æqualem reflexionis angulum resilire jani ostensum alibi est. Non igitur rem ita esse dubitamus: sed cur ita se habeat, ut Philosophos decet, meritò inquirimus. An quia, si radius incidentiae speculum penetrasset, æqualem cum speculo effecisset angulum: nam posito objecto in E, anguli C B N. & E B D



ad verticem constituti, sunt inter se æquales. Cùm igitur non minore vi, atque impetu radius è speculo refliat in A , ac si illud irreflexus penetrasse ad N, non mirum est si æqualem cum speculo angulum efficiat. An fortè vt existimat Cartesius, post Vitellionem, & Alhazenum perspectiæ principes, radius luminis obliquè in speculum cadens, vno quidem motu, sed duplì determinatione fertur, quarum altera deorsum tendit; altera est horizontalis. Non secùs ac globus è summo mali decidens, motu ex illâ duplì determinatione composito deorsum ruit. Vnde ad pedem mali recidit, etiam si nauis perniciè agatur, vt suo loco dictum est. Iam verò harum determinationum altera, scilicet perpendicularis, à speculo quasi destruitur; id enim impedit quominus radius ultra progrediatur: sed determinatio horizontalis intacta, & quasi illæsa rema-

*Quæ causa
bius equa-
litaris inulta
Cartesium.*

Sæc. Sic radius A B objecto in A existente duplicem obtinet determinationem, quarum altera deorsum, versus punctum C nititur; altera versus punctum F dirigitur. Prior inclinatio à speculo perimitur, vel saltē impeditur; posterior manet integra. Radius neque ad C, neque ad F pervenit; sed per medium tramitem A B incedit, & refluit in punctum E; itavt duo anguli A B C, & E B D sint æquales. Cum enim punctum A motu suo attingit punctum B, jam ad F vi secundæ determinationis pervenisset; quemadmodum virtute prioris ad punctum C descendisset: cumque posterior determinatio intacta maneat, radius luminis à puncto B resiliet ad punctum E, adeò ut linea F E sit æqualis linea A F: atque adeò radii A B, & B E æqualiter distabunt à speculo, & æqualē cum illo inclinationem obtinebunt. Siquidem vbi radius luminis conficit spatiū A B, eodem tempore propter secundam determinationem, rectam A F percurrit. Ergo vbi linēam B E æqualem A B remetietur, eodem tempore rectam F E decurret.

SI M P. Multa sanè Cartesius (pace tanti viri dixerim) comminiscitur; multa supponit, quæ nemo à Philosophiâ instrutus concesserit. Existimat lumen, eodem protus modo moveri, ac gravia corpora. Optare hoc quidem est, non demonstrare. Præterea, motus luminis simplex est, non compositus, vt falsò supponit. Accedit etiam, quod vbi radius reflectitur, non moveretur totus; sed punctum illud dumtaxat, quod in speculum incurrit; nec dupli illâ determinatione impellitur; cum idem radius, qui obliquè speculum ferit, perpendicularis esse possit, si speculum ita disponatur, vt in id radius ad pares angulos incidat. Ergo vt res eadem citra sui mutationem sit dextra, aut sinistra; sic idem radius obliquus est, & perpendicularis, quartenus in planum aliter, atque aliter inclinatum incurrit. Cartesium igitur dimittamus, & totum hoc negotium paucis absolvamus. Natura quām minimo potest agit compendio: siquidem nihil superfluum, nihil inutile molitur. Hinc gravia deorsum cadunt ad perpendicularum, & radii luminis secundūm rectas lineas diffunduntur; qui cum ad æquales angulos reflectuntur, longè breviore viâ procedunt, quām

*Cartesii &
aliorum de-
monstratio-
nes excu-
tiuntur.*

22. ASTRONOMIA PHYSICA.

si ad angulos inæquales resilirent; idque nobis demonstrare in proclivi esset, si res exigeret.

M E N. Multa sunt quæ hujus rationis vanitatem produnt. Primum enim concipiamus speculum C B D non planum, sed concavum; cum certè geometricâ demonstratione evincam, lineaæ quæ æquales efficiunt angulos, longiores esse iis, quæ inæquales angulos constituant.

S I M P. Assentior planè, neque illâ demonstratione tibi opus est, quod id mihi persuadeas. Sed concedes quoque, radios in speculo concavo, eodem prolsus modo reflecti, ac si à speculo piano concavum in eodem reflexionis puncto tangente, resilirent, ut alibi demonstrabimus. Hinc radius à speculo concavo reflexus, quamdam vim patitur, nec liberè ut illius fert natura reflectitur. Quemadmodum corpus grave funi appensum, non eâdem prolsus libertate movetur, neque ad perpendicularm eâdem facilitate decidit, ac si esset solutum, & funi minimè alligatum.

M E N. Est aliud quod magis me moveret. An stellarum radii à speculo usque ad oculos nostros repercutti per inæquales angulos, futuri sunt sensibiliter longiores, quam si ad pares angulos resilirent? Profectò differentia quantulacumque sit, in tanto intervallo penitus evanescit. Quorsum amabo ad ingenium naturæ vniuersæ configuis, ubi propriæ, & quasi materiales rationes, ex ipsis Geometriæ legibus depromptæ occurront? Hac quidem ratione Vitellio, & Alhazen aburuntur, in reflexione radiorum: sed quare earn ad refractiones non adhibent. Iam superius veram huic effectui causam reddidimus; quod eâdem vi, eodèmque impetu radius repercutitur, ac si recto itinere ulterius processisset: æqualem enim angulum cum piano effecisset. Constituamus objectum in puncto E, angulus E B D æqualis est angulo C B N ad verticem opposito: quandoquidem radius E B N æqualiter cum piano C B D inclinatur, & quantum punctum E ad punctum D accedit, tantundem punctum N puncto C vicinum est. Sed eâdem vi reflectitur in A, ac si speculum penetrasset.

S I M P. Planè intelligo. Hinc concludis angulos EBD & ABC æquales existere, cum ambo æquentur vni tertio

*Vera ratio
hujus quæ-
litatis.*

CBN. Cujus ni fallor hæc est physica ratio, quod eadem sit virtus, quæ radium ad punctum B appellit, atque eum in oppositum punctum A repellit: est enim una & eadem vis in conflitu, seu reflexionis puncto: sed virtus æqualis æqualem itidem motum exigit, qui tum evenit, cum æquales sunt anguli. Sic pulcrè philosophatur Keplerus. Hæc angularum incidentiæ, & reflexionis æqualitas principium est, cui tota Catoptrica innititur; quare fusiori stylo illam demonstrare conati sumus. Iam proximum est, ut de luminis refractione pauca subnectam. Digna res est, in quam serio incumbamus. Tum radius refringitur, cum ceptum iter non recta pergit, quod semper contingit, ubi radius è corpore ratiore in densius, ut ex aëre in aquam; vel vicissim, ex aquâ in aërem incurrit. È lege fit refractione, ut si ex aëre in aquam radius trajiciatur, fractus ad perpendicularē magis accedat; ut radius AB, qui irrefractus ad punctum I pervenisset, per radium BL refractum, punctum L attingit perpendiculari vicinus. Contrà eveniet, si ex aquâ in aërem incurrat, nam in rectam BM refringitur, quæ longius à perpendiculari BO removetur. Refractionis autem leges ex iis sunt rebus, quarum eventa magis arbitrari, quam causas queri oportere.

MEN. Rationes tamen rerum à re Philosopho debemus accipere, & ne quid obtendas; quæ mihi videatur esse refractionis causa, prior aperiam; tuum erit illam ad rectæ rationis judicium exigere. Quantumvis reclames, mihi certum est lumen citra aliquem motum explicari non posse. Seu renuis-sima sit flamma; seu in qualitatum censu habeatur; seu denique nihil sit quam cælestis materiæ impulsus; quod cum in aliis luminis ipsius phænomenis, tum maximè in refractione manifestum est. Non enim lumen refringitur, nisi quia facilius vel difficilius per corpora diaphana diffunditur. Nunquid fortè liberiore motu per aërem, quam per aquam traducitur? Rem aliter se habere puto: idque ex refractionis legibus conjicio: Nam ut globus eburneus in præduro, & polito corposse facilis, quam in molliore, & magis cedente, ut in marmore liberiis, quam in luto volvitur: sic meo quidem judicio, lumen longè facilis per crystallum, quam per aquam,

*De refra-
ctione.*

*Causa re-
fractionum
ex Cartesio.*

& per hanc liberiū, quām per aëra diffunditur. Quare vbi ex aëre in aquam incidit, ad perpendicularum refringitur; quod ne tibi paradoxum videatur, demonstratione persuadem. Sit radius AB, qui ex aëre in aquam incurrat, frangatur in puncto B, constat fore ut versus perpendiculararem deflectat in BL. Quod res sit lucidior, supponamus duplo citius per aquam transmitti quām per aërem. Cùm igitur punctum A pervenit ad B per lineam AB obliquam, dupli quasi determinatione, in diversas partes trahitur, ut superius dictum est: ex ipsis quippe Mechanices legibus, motus per rectam AB quodammodo compositus est ex motu perpendiculari AC & horizontali AF. Cùm autem ex B ad punctum L duplo citius moveri ponamus: prior determinatio AC mutatur, & quodammodo fit celerior: sed determinatio posterior versus F intacta remanet. cūmque lumen duplo velociū decurrat spatium BL, quām AB, sumenda est recta LR dimidia AF. Siquidem cùm lumen percurrit linēam AB, tum propter determinationem horizontalem acquisivit rectam AF, ut sèpius dictum est. Ergo vbi duplè celeritate decurret rectam BL, ex horizontali determinatione, non totam TI æqualem AF, sed tantum dimidiā RL obtinebit. Itaque, vbi lumen ex corpore rariore in densius incidit, radius ad perpendicularum refringitur. Contrarium eveniet, si radius AB ex aquā per aërem diffundatur: tum enim longius à perpendiculari declinabit, & in radium BM degenerabit. Vides, quām pulcrè Philosophiæ Cartesianæ principia sibi consentiant.

Refelluntur.

1. S I M P. Perseveras tu quidem, & in veterē sententia permanes. An fortè tibi excidit lumen instar corporum non moveri, nec citius per aquam, quām per aërem transmitti posse; cùm vbiique in puncto temporis moveatur. Nec mihi persuadebis unquam radios ex aëre in aquam trajectos, sibi novas vires acquirere, ac velociū diffundi per corpus majori densitate, vel opacitate donatum. Sed quām festivè luminis motus à vobis describitur, ex dupli determinatione compositus; quasi dupli impetu, instar rerum gravium descenderet.
2. Qmitto quod iam supra virgebam, radios non posse dici obliquos,

quos, nisi quatenus cum plano in quod incidunt, comparantur; adeò ut pro vario corporis illustrati situ, idem radius, & obliquus, & perpendicularis esse possit.

T H. Faceſlat, quæſo te, illa Cartesii philosophia, ardua quidem, & diſſicilis, ſed jam tamen fracta, & convicta. Nunc quid tibi ipſi videatur, audire geſtio.

S I M P. Res eſt tota in conjecturis poſta. Sunt qui poros corporum, per quos lumen trajicitur, vndequaque rectos eſſe putent; ita ut radius omnes meatus ejusdem corporis irrefractus pervadat; ſed vbi in aliud corpus diverſæ denſitatis incidit, ſæpe in partes ſolidiores offendit; tumque reſilire cogitur, atque per aliam meatuum ſeriem tranſire compellitur. Hujus rationis vanitatem facile intelligitis. Quorū enim radius ex rariore corpoře, in densius incurrenſa perpendiculum refringitur; ſed cur ex densiore in rarius incidentis frangitur: an quia in partes ſolidas impingit? ergo tum etiam ad perpendiculum infringetur. Præterea, certum eſt idem vitrum variis efficiere reſractiones, pro diuersitate figurarum quas induit: nihilo tamen ſecius, quacumque figura afficiatur, eodem ſemper modo illius pori diſponuntur; atque adeò eadem prorsus reſractione continget. Probabilius alii existimant lumen in corpus densius impactum, refringi ad perpendiculum, quod anguſtiores meatus in eo corpoře offendat: quare tota luminis maſſa coarctatur, atque ad perpendicularem lineam magis videtur accedere: contrà, vbi in corpus rarius incident, tum qualis ſui juris facta, liberè expatriatur, & à perpendiculo recedit. Non quod ſola denſitatis, vel rariſtatis diuersitas, omnium reſractionum ſit cauſa: multum enim conſert figura corporis. Crystallus v. gr. convexa, radios colligit, concava diſpergit, ut ſuo loco reddemus. Neque etiam à foliā figurā pendet reſractione. Aēr quippe eadem ſemper patitur reſractiones, quacumque figurā afficiatur. Solida igitur dumtaxat corpora varias efficiunt reſractiones, iuxta figurarum diuersitatem. Hæc ſanè magnâ veriſimilitudine dicuntur: multa tamen in contrarium occurruunt. Primū enim radii luminis, cum ſint lineæ physice faltem inſectiles; quomodo tam anguſti ſunt meatus, ut eos penetra-re nequeant? quomodo colligi, aut coarctari poſſunt? Non

*Probabiles
caula refra-
ctionum.*

I.

2. opinio.

*Hæc queſio-
natio reſil-
litur.*

D

ergo solus refringitur radius, sed tota massa luminis. Verum si nullus radius frangitur, non adeò ipsa luminis massa, seu radiorum congeries refringetur. Sunt qui de refractione veri propria sentiant; nempe quodcum omne accidens suam extensionem à subiecto quodammodo repeatat; necesse est ut lumen in subiecto densiore contrahatur; quod in illo corpore plures sint partes, seu puncta, quæ lumen excipiunt: quocirca id inflectitur, contrahitur, & perpendicularē vicinus petit. Cum verò lumen ex aquâ in aërem migrat, tum dilatatur, atque à perpendiculari deflectitur: non enim tot sunt in aëre puncta, quot in aquâ reperiuntur. Ergo necesse est ut lumen in aëre majorem locum occiper, seu liberius diffundatur. Quæ quidem opinio multum mihi arridet, atque ad veritatem multum propendet: nec contemnenda tamen est eximii Archiatri sententia, quâ statuit refrangi luminis radios, vbi ex aëre in aquam, vel viceversa commeant: propter diversitatem materiarum quæ in aëre, & aquâ inveniuntur. Cum enim lumen ad res spiritales accedat quam maximè, nihil perinde ac materiam aversatur. Hinc quanto magis corpus ex materia est concretum, eo quoque magis transitum luminis impedit. Cum igitur lumen ab aëre in aquam incidit, tum vires suas colligit, ut se ab infeasissimo hoste tueatur: unde ad perpendicularē deflectitur. Hoc enim rebus omnibus commune est, ut quantum possunt, vires suas cogant, vbi res sibi infestas fugiant. Sic præ timore, cor, artus, & spiritus ipsi contrahuntur. Eodem prorsus modo radii luminis fiunt confertiores, vbi in corpus densius incurront, quod fieri nequit, nisi à recto tramite deflectant. Quare eo major est refractio, quo corpus majori est opacitate præditum; quóve radii sunt obliquiores: tum enim sunt debiliores. Non quod lumen, & materia aliquam inter se contrarietatem exerceant (res enim sunt penitus disparatae, non adversæ.) sed quia materia non est subiectum lumini excipiendo idoneum. Hinc debiles radii æqualem cum validioribus refractionem patiuntur: non enim radii à face accensâ emissi, aliter ac solares radii refringuntur: nam utriusque æqualiter materiam aversantur. Cumque lumen inter, & materiam, sit quædam oppositio dumtaxat disparata, non contraria; planum


3.
sententia.

4.

est, non è proportione augeri, vel minui refractiones, quâ densitas, vel raritas augmentur, aut minuuuntur. Aqua quidem corpus est homogeneum, ejusdem vbiique consistentia: quare luminis radii, in primâ illius superficie refracti, non amplius à suscepto itinere aberrant. Nec alia fit refractio in trigonis vitreis, cujuscumque sint molis, aut profunditatis. Postremò, non obest quidquam figurarum diversitas: nam eodem prorsus modo fit refractio in globo vitro, atque in plano globum contingente, vt suo loco dicetur: neque enim omnia sunt hujus loci, vel temporis. Mitto radium perpendicularē non frangi, quia nulla est ratio cur potius in vnam, quam in alteram partem deflectat.

TH. Hæc quidem non ægrè concessero: sed cùm asserit vir illustris solum lumen refringi, non item cæteras qualitates: res mihi paulò videtur secùs. Quodd si enim qualitates bene multæ, imò & corpora reflectantur; quidni & refringantur? Sanè quidem, vbi globus ex aëre in aquam obliquè projicitur, constat eum à rectâ lineâ non parum declinare. Altera tamen atque in lumine id evenit: nam globus à perpendiculari deflectit: siquidem aqua nonnihil resistit, ac globum sursum quodammodo repellit; fit enim quædam reflexio, atque adeò ipsa determinatio mutatur. Sic globus bombardilis, ad horizontem explosus, ter quaterve aliquando emergit. Imò aves per aërem volitantes, subinde atcolluntur, ac deprimuntur. Lapis in aëre, vt in aquâ crebrò subsultat. Sagitta scopum horizonti parallelum attingit; cùm tamen præ innato impetu debet inferiùs descendere. Hæc sanè ex refractione, quæ cum aliquâ reflexione semper conjuncta est, oriuntur: idem enim in his omnibus contingit, quod in dubiâ luce, quæ ante Solis ortum ex solâ refractione proficiuntur. Nam radii solares, obliquè in sphæram vaporum, quæ vulgò Atmosphera vocatur, impasti, ad nos vsque inflectuntur; quod non fit sine aliquâ reflexione: atque idem ferè accidit, quod in lapillis aliquantulum complanatis, qui obliquè aquam perstringentes, idem tidem refluiunt..





CAPUT TERTIVM.

De causis luminis.

1. *De natura perspicui potissimum differitur; variae recentiorum openiones refelluntur.* II. *Veri propior adfertur.* III. *Quae fit effectrix causa luminis, que finalis?*

SIMPLICIVS.

AV D equidem assentior, sed ad reliqua perga-
nus, & ad eam partem sermonis, ex quâ egressi
sumus revertamur. Multa de natura luminis di-
xiimus, in qualitatum numero eam esse constitu-
tam ostensum est. Sequitur ut illius specificam
differentiam, si fieri potest, consequamur. Cùm autem omne
accidens suam differentiam, non aliunde quàm à proprio de-
sumat subiecto, per quod definitur, & distinguitur; ut Dia-
le-
Dicitur lu-
ninis sub-
iectum.
ctici nobis tradiderunt; quodnam sit illud subiectum luminis,
nobis inquirendum. Neque inventu arduum videtur. Quid
enim aliud quàm perspicuum est, cùm nihil perinde horreat
atque opacitatem. Nam ubi in corpus opacum offendit, sta-
tum reflectitur; vel si penetrat, frangitur ad perpendicularē,
quo se ab hoste defendat. Sed cùm corpus diaphanum ipsi
cognatum occurrit, tum dilatat se, quasi in libertatem assera-
tur. Ergo ut humor oleosus, & sulphureus flammæ pabulum
est; nihil enim omnium est, quod flamma magis affectet, quod
illam citius concipiatur, & fortius conserveret: sic perspicuum esse
luminis subiectum, inficiari nemo potest, cùm lumen in per-
spicuo liberè expatietur, atque opaca corpora ut sibi infensa
aversetur. Nullum quoque est corpus lucidum, quod idem si
cominus spectetur, aliquo modo diaphanum non sit. Sic flam-
ma licet visum præ fulgore deberet sistere, non parum tamen
perspicuitatis habet, cùm ellychnium videndum exhibeat.
Imò opaciora quæ sunt, ut carbo, adeps, lignum putridum,

scum lucent, non nihil perspicuitatis adipiscuntur; nec superficiem modò, sed etiam profundiores partes oculis pandunt. Sic oculus qui præter cæteras corporis partes magis diaphanus est, idem quoque lucidior existit. ex quibus colligitur perspicuitatem esse lucis comitem individuam, illius adeò proprium subiectum existere. sed in quo posita sit perspicui natura, major nos manet difficultas.

M E N. Atque vt ego arbitror, res non est adeò difficilis. Cùm enim diaphantum illud sit, quod lumini est pervium, non aliter diaphanum, & opacum inter se differunt, quàm quòd illud poris in omnes partes hiat, per quos lumen transmittitur; sed in opaco corpore, hi meatus non patent luminis trajectio- ni, quia in omnem partem recti non sunt, at confusè, & quasi tumultuario ordine disponuntur; adeò vt particulae solidiores meatus occludant. Vitrū aliquod vel purissimum radiis so- laribus oppone. Tum quidam radii vitrum penetrabunt, ii nempe qui per foraminula, secundū rectas lineas disposita trajicientur. Alii verò resilient, ii nimirum qui in solidas vitri partes impingunt. Vnde si chartā solares radios per crystallum trajectos excipias, tum videbis umbram crystalli tenuem, & dilutam, quemadmodum si eidem chartæ obtenderes tenuissimam telam: nam vt telæ fila luminis transitum prohibent, sic & partes vitri solidiores lumen arcent. Hinc aqua multis radiis transitum quidem permittit: sed plurimos etiam refle- cit. Vnde phiala vitrea, vbi aquā impletur, longè nigrio- rem, & obscuriorem umbram proicit, quàm si aquā foret vacua.

S I M P. Vereor ne hīc quoque à te dissentiam. Illos enim meatus in omnem partem, secundū rectas lineas dispositos, non modò comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possim attingere. Primo nullum est punctum in superficie sphæræ crystallinæ, in quod radius luminis non possit incide- re, ac crystallum penetrare. Quod si ita sit, crystallus erit po- rosa tota, & vacua. Quis etiam mente concipiatur poros secun- dū infinitas lineas, easque rectas aptatos, vt lumini quod in omnes partes diffunditur, transitum præbeant? Sanè quidem corpora quæ pluribus poris hiant, vt spongia, charta, medulla

confutatur.

1.

2.

D iii

*De natura
perspicui
opinio Gaf-
fendi &
Cartesii.*

sambuci, eadem non sunt diaphana: quin etiam aqua, vitrum, aer nullos vel paucissimos meatus admittunt.

Respons. Cartii. M E N. Hæc sanè non tanti sunt, vt sententiam nostram labefactent. Nihil enim necesse est vt poros in vitro, vel aqua, secundum rectas lineas penitus excavatos admittamus. Satis erit nobis, si non sint interrupti. Vnde licet materia cælestis non adeò religiosè secundum rectas lineas propellatur à corpore lucido; saltē illius nixus, impetus, propensio ad motum (sive quod aliud nomen est, quo planiùs explicem id quod volo) secundum rectas lineas trajicitur, per poros à rectis lineis parum deflectentes. Plures globulos, vel poma in aliquod rere conjice, atque ita comprime, vt jam veluti vnum corpus conflare videantur: quod si minutissimam arenulam injeceris, illa profectò per interstitia globulorum subibit, ac tota ferè diffluet. Quanto magis subtilissima materia per meatus corporis diaphani exitum inveniet, maximè cùm omne corpus perspicuum, vel liquidum sit; vel ex aliquo liquore concreverit? Liquidum verò omne à subtili materiâ continenter agitatur, quæ poros sibi facilè accommodat. Aer ex. gr. cùm ex particulis tertii elementi inter se disjunctis constet, illæ globulorum cælestium motui facilè obsequuntur, ac lumen trajiciunt. Vitrum autem, crystallus, glacies ex materiâ liquidâ, in quâ substantia cælestis sibi poros excavavit, prodiere, ac meatus eosdem servant quos subtilis materia, tum primitum secundi elementi perforavit. Hinc quædam corpora, seu liquida sunt, seu concreta, pellucent, vt vitrum, & aqua, quorum particulæ plerumque molles sunt, & flexiles: alia verò vbi liquefunt, sunt diaphana: sed vbi concrevere opacitatem induunt; vt cera, & butyrum, quorum particulæ sunt ramosæ, ac tenaciiores, quæ vbi induruere, cælestis substantiæ motui magis sunt rebelles; minùs, cùm ignis vi agitantur, & liquidæ existunt. Alia denique sunt corpora, quæ ex partibus adeò crassis, & terrestribus compinguntur, vt sive concreta sint, sive liquida, lumini transitum negent, vt metalla, quorum pori omnes occluduntur, maximè vbi concrevere. Spongia, vel süber, tametsi multis, & amplis pateant poris, lumen non transmitunt; quia pori non sunt continui sed interrupti, & tertii

elementi, liberiūs quām primi, aut secundi particulas excipiunt. Charta' autem lumen trajicit sed confusum, & instar vitri, rerum figurās non reddit. Quid ita? nisi quōd poros habeat inflexos qui luminis radios incurvant. Vitrūm quod attinet, meatus habet angustiores, sed in rectas lineas dispositos. Hinc quo tenuius est vitrum, eo quoque lumini magis est pervium; quo verò spissius existit, eo plures reflectit radios; ita ut illud visioni directæ, hoc reflexæ magis accommodatum videatur. Nam illud plures radios transmittit, hoc plures regerit, quōd plurimæ partes solidiores occurrant, quæ radiis sint invizæ. Hinc nubes, fumus, nebula non pelluent, quia innumeris constant partibus inter se disjunctis, quarum singulæ quosdam luminis radios admittunt, alios reflectunt, adeò ut omnes ferè radii tandem resilire cogantur: neque enim illæ partes malè colligatae, ullum ferè radium transmittunt.

S I M P. Iam ergo placet cominūs agere; atque experiar si possim cornua commovere disputationis tuæ. Negas tu quidem poros qui in corpore diaphano lumini transitum præbent, esse vndequeaque rectos: cur igitur lumen secundūm rectas lineas diffunditur? Si vobis credimus, ideo charta minūs est quām vitrum perspicua, licet poros sit magis pervia; quōd meatus habeat obliquiores, quibus radios inflectit. Cur idem in aquā non evenit, cùm fieri nullatenus possit, ut omnes pori vndequeaque, instar quincuncis, recti sint? Quod de minutissimâ arenulâ, quæ per interstitia globulorum difflit, aducebas, nihil tibi suffragatur: nam si minutissimum fabulum in acervum mili, vel crassioris arenæ injicias: rogo te an subire poterit, atque acervi poros, qui satis conspicui sunt, penetrare? Subtilis materia, si quæ sit, tenuissima quidem existit: sed innumeri sunt pori, quorum alii alios obstruunt: nec possunt omnes adeò exactè in rectas lineas concinnari. Mitto etiam quōd vix explicari possit, quî subtilis materia partes aëris, vel aquæ, ut viam sibi paret, in momento movere queat. Nec demum refractio vlla futura est, si pori qui vitro insunt, in omnes partes recti constituantur. Cur enim frangatur radius, qui à recto tramite non deflectit? Cur major erit refractio, quo

*Effugia
Cartesii oc-
cluduntur.*

*De natura
perspicui.*

radii sunt obliquiores? cur denique refractio semper fiat ad perpendiculum, vbi ex medio rariore, in densius, fit transitus? quod si ineatus illi recti non sunt, cur radius perpendicularis non frangitur, cum ut ceteri, propter obliquitatem meatus, incurvetur. Sed de his jam nimis. Dicendum igitur est mihi in quo natura perspicui posita sit: sed ita ut nihil tanquam certissimum affirmem. Satis erit, si quod verisimilium mihi videtur, vobis exponam. Rem vero ab altiori principio, & velut ab intimo capite repetamus. Perspicuum cum sit luminis subjectum, ejusdem sane videtur esse conditionis cum lumine. Lux porro tantum non spiritualis, subjectum postulat a materiae concretione, quantum fieri potest, liberum. Materia quippe, & lux, naturae corporeae quasi extrelos margines occupant; illa iners, & stupida, omni actione destituitur; haec subtilissima cum sit, tota in motu, & actione versatur. In momento cuncta penetrat. Materia quam minimum essentiae obtinet, quia tota ferè est potentia, nihil actu. Actio vero essentiam rei cuiusque indicat. Quo res quæque est perfectior, hoc fortius agit. Quid enim actio, quam ipsius essentiae quasi quedam progressio, & effusio. Ergo unumquodque perfectius operatur, quo plus habet essentiae. Quamvis enim naturae rerum specificæ sint indivisibiles, ut & numeri: nihilo tamen secius ut numerus alius alio perfectior est; sic essentiae aliæ sunt aliis præstantiores: atque ut numerus major minorem continet; sic nobilior species, alias inferioris nature suâ virtute complectitur. Essentiae vero quantitatem, ut dividimus, metitur actio. Cum igitur lux praeceteris qualitatibus celerius, & vehementius agat, cuncta calore ac vitâ compleat, atque in numeros effectus procreet, tametsi simplex sit, & uniusmodi, nulla est sensibilis natura, quæ majorem essentiae portionem obtineat. Quid enim in rerum corporearum sensu potentius, vel præstantius esse potest quam lumen, cuius virtutes penè innumeræ, in naturâ simplicissimâ radices habent. Est quidem in Deo essentiae plenitudo, quia unitatis apicem tener, cum infinita virtute conjunctam. Quid enim fortius ipsa unitate; quod divisum est, idem quoque infirmum existit. Hoc igitur titulo lux ipsa inter res corporeas supremum

mum gradum perfectionis occupat. Id etiam habet cum primâ causâ commune, quod effectus producat artifissimè cum suâ causâ unitos, atque ab eâ maximè dependentes. Ex quibus conficitur, quod nihil perinde horret lumen, ac materiam. Quare subjectum exigit, quantum fieri potest à materiâ defæcatum. Ergo cùm perspicuum sit subjectum excipiendi luminis capax, illius natura in hoc videtur constituta, vt quām minimum habeat materiae sub magnâ extensione; quod ipsa comprobat experientia. Nam cælum sumimum perspicuitatis gradum implet, quod aër excipit, tum aqua; sed terra inter elementa ut est maximè compacta, sic & opacissima existit. Ut semel finiam corpora quæque, ut graviora, ita & opaciora sunt. Id videtur est in metallis, quæ nihil ferè perspicuitatis habent, neque unquam lumini sunt pervia, quantumvis in laminas tenuissimas extendantur. Quod argumenti sat is est, ut ex pondere, materiae quantitatem, atque ex materia opacitatem metiamur. Non quod perspicitas, & opacitas, ex sola raritate, aut densitate oriuntur. Id enim falsi revincitur ex vaporibus, qui aquæ sunt rariores; sic vitrum communum quamvis nihilo sit densius, perspicuitatem tamen suam exuit. Quocirca corpora quæ sunt perspicua, licet in duo genera partiri. Alia sunt paululum crassiora, ut aqua, vitrum, adamas, quæ quidem mindæ materiae natæ sunt, quām metallæ, ac proinde essentialiter sunt diaphana; tametsi forte per accidens opaciora videantur, ut adamas non politus, aqua perturbata, & vitrum communum: hæc quippe omnia nisi habeant superficiem tersam, ac politam, lumen invia sunt; quod si poliantur, lumen admittunt: nam illa æqualitas majorem materiae proventum quasi emendat, & lumen sibi conciliat; id quidem in prima superficie refringitur, sed postea à recto itinere non deflectitur, cùm corpus sit homogeneous, & uniusmodi. Itaque hæc corpora crassiuscula æqualitatem superficie exigunt, secùs lumen reflectetur, ac dispergetur. Alia vero corpora quæ longè sunt subtiliora, ut cælum, & aëris, quantumvis agitentur, motum radiorum nihil impediunt: lumen quippe tantillum materiae facile superat. Vapor autem, fumus, nubes, propter maximam superficerum inæqualitatem,

E

& aliorum corporum admixtionem, lumen non transmittunt. Addamne quod omne perspicuum quamdam lucem habet in se reconditam, quae vbi corpus condensatur, manifeste se prodit: sic aer candorem nivi, spumae, & aliis innumeris impertit. Crystallus comminuta albedinem quoque suam ob oculos ponit. Quod si astranihil sint quam partes caeli condensatae, vt veteres crediderunt, sequitur celum totum esse lumenosum; adeo vt sola materiae raritas impediat, quominus sub obtutum cadat, sic spiritus vini tenuissimus visus aciem fugit, atque ignis eo est conspicuor, quo materiae crassiori adhaerescit. Hec ita esse ratio ipsa persuadet. Nam si lumen non alium in subiecto apparatum exigat, quam parum materiae sub magnis dimensionibus, vbi cumque haec dispositio occurrit, ibi quamdam lucem inesse pareat. Siquidem numquam materia omnibus suis dispositionibus adornata, carere suam formam, aut vacua esse potest, ne in rerum, & specierum ordine aliquod inane natura admittat. Hec summi Philosophi, & Archiatri meditamenta fusi exponui, dulcedine argumenti abruptus.

T.H. Intelligo quem hoc elogio designes. Neque huic opinioni intercedo, atque omne perspicuum minus habere materiae puto. Sed quasdam praeterea conditiones exigo, quae nisi ad sint, corpus minimè perspicuum futurum est.

S I M P. Cedo quae sint illæ conditiones, quibus pellucidum omne circumscribis.

*Quae sint etiæ
ditiones ad
perspicuitatem
requirita.*

1.

T.H. Rem paucis absolvbo. Primum, superficiem levigatam, non asperam habeat, necesse est; ne radii luminis distrahan-
tur. Nam vbi corpus multis superficiebus exasperatur, singu-
lae facies quosdam radios reflectunt; adeo ut parum vel nihil
luminis transmitant. Hinc vitrum comminutum perspicui-
tate suam excidit; cumque aliquo colore tingitur, jam minus
diaphanum evadit. Admixtione quippe coloris, seu pigmenti,
quo multi meatus obstruuntur, superficies vitri fit asperior,
sed de hoc quoque dixisti. 11. Corporis perspicui partes sunt
homogeneæ densitatis, aut raritatis: secundus radii varias parien-
tur refractiones, quibus tandem fessi, resilire compellentur.
Hinc vinum distillatum, aqua maris percolata, sunt limpi-
diora. Vinum quoque album, primò opacum est; cum ma-

2.

gis perspicuum evadit; quod enim impurum existit, vel alterius naturæ, vltro subsidit. Ex plantis, lapidibus, & metallis vitrum pellucidum conficitur, quia ignis calore, quod alienæ naturæ est, secernitur. Non dissimili ratione nix calore liquefacta, fit perspicua, quod ex illius poris aër extrudatur. Hinc etiam lac, sanguis, atramentum, cùm non sint puri liquores, & partibus constent crassioribus, numquam pelluent. Vbi cornu aduritur, ex diaphano opacum evadit; forte quia partes præ calore inflantur, asperæ, & inæquales efficiuntur. 111. Ad perspicuitatem requiritur, ut partes quæ sunt raritatis, vel densitatis homogeneæ, sicutum rectum obtineant. Non equidem poros vndeque rectos exigo: neque enim lumen corpus esse puto; sed tamen, cùm in rectas lineas semper diffundatur, æquum est ut partes etiam corporis diaphani secundùm rectas lineas porriganter: quod vbi evenit; tum pori quoque, & meatus in rectum disponuntur. Id forsitan Epicureis, & Cartesiani erroris occasionem dedit, qui perspicui naturam in illâ meatuum rectâ positione constituerunt. Omnia ferè diaphana facile franguntur, quod partes eorum secundùm rectas lineas aptentur. Vitrum lucern transmittit puram, non item charta, quæ tamen vbi oleo est illita, magis pelluet, sive quod olei particulae meatus papyri obstruant, ac superficiem æquabiliter reddant; sive quod filamenta chartæ inflectant, ac poros rectiores efficiant. Eadem ferè ratione globus niveus vbi paulò vehementius comprimitur, vel aquæ immergitur, quamdam perspicuitatem acquirit. Illud præterire non possum, quod omne corpus quantumvis sit opacum, aliquid tamen habeat perspicuitatis. Hinc lamina metalli tenuissima quosdam radios transmittit. Hæc igitur mihi videntur ad naturam perspicui conspirare. 1. Materiæ subtilitas: nam materia sedes est tenebrarum, ac luci infensa. 11. Puritas, & uniformitas substantiæ. Hinc nullum est corpus mixtum adeò perspicuum, quod non aliquid habeat opacitatis. 111. Superficiei æquabilitas, maximè in corporibus substantiæ crassioris: vnde omnibus coloratis hæc conditio deest. Quare succinum licet vitro sit levius, non tamen pelluet; color quippe, illius perspicuitatem impedit. Postremò demonstratum à nobis est, quod si-

tus partium rectus non parum ad perspicuitatem conferat. Addit Keplerus perspicuum omne, cum sit corpus simplex, & vniuersitatis, vel fluidum esse, vel ex aliquo fluido constare; cuius eam rationem esse putat, quod lumen sola longitudine, ac latitudine contentum sit, omnis soliditatis expers: omnique res ab alia pati non possit, nisi ejusdem sit secum generis, radii lucidi nihil a soliditate corporum impediuntur. Quid ergo moram illis obicit? superficies. Quo igitur plures sunt in corpore superficies, vel plura in superficie puncta, eo magis lucis effusio arcetur: nam lux majorem extensionem affectat, quo longius a suo fonte progreditur. Unde ex occurso corporis densi colligitur, atque ad perpendiculum magis videtur accedere. Hac est vera refractionis causa, ut superius ostensum est. Sic etiam ubi in corpus asperum lumen incurrit, non quidem refringitur, sed reflire cogitur: nam unaquaque superficies motum radiorum sifit: corporis vero fluidi una est superficies: si quidem partes singulæ non propriæ, sed alienis terminis circumscribuntur: quo circa luminis transitum nihil impediunt, unica dumtaxat vincenda est superficies, tota soliditas radiorum propagationem nihil moratur. Opacum agitur erit, vel quod multis superficiebus est asperum, vel quod multam obtinet densitatem, quæ plus satis radios colligit. Adde quoque colorem medii, quo lucis diffusio non mediocriter impeditur: sunt enim lux, & color eiusdem naturæ: quare unum ab altero pati potest. Hinc lux medii colore tingitur, & vicissim color a luce quasi acceditur. De perspicui natura tota dicta fuerint; ex quibus definitio luminis ab Aristotle adducta omnino confirmatur; nempe lumen esse actum corporis perspicui, seu qualitatem, quæ excipitur in corpore perspicuo.

M E N. De naturâ, & subiecto luminis; nec non de illius motu, tum reflexo, tum refracto, uberrime disputatum à re fuit, mi Simplici; reliquum est, ut per pauca de finali, & effectrice illius causâ subjicias: quibus perfectis absoluta erit tota luminis tractatio.

S I M P. Huc non invitus declinabam. Ac primùm quod effectricem lucis causam attinet, ea non alia mihi videtur esse, quam effector omnium, molitorque Deus: quæ enim causa

*De causâ
effectrice lu
minis.*

tam potens, tamque efficax singi potest: an substantia corporis lucidi: sed præterquam substantia nil nisi mediis facultatibus operatur; (cùm actus, & potentia eodem genere contineantur; operatio autem accidens est; ergo & potentia operatrix in genere accidentium censeri debet) accedit etiam, quòd lumen per propagationem non diffunditur, sed vñà cum corpore lucido producitur, ipsique corvum existit. Nec facile animo comprehendi potest, quomodo formæ omnes procreentur, nisi ad primam rerum omnium causam confugiamus. Qualitates, quæ materiæ conditionem consequuntur, nec quidquam agunt, vt humor, siccitas, densitas, è sinu materiæ eruuntur: sed quæ sunt efficaces, & activæ, è materiâ educi nequeunt; nedum lux, quæ cum materiâ nullam habet cognitionem. Quot in rerum naturâ effectus intuemur, qui nulli, nisi primæ causæ tribui possunt: vt nihil dicam de animalibus quæ ex putredine nascuntur, quorum ortus nec elementis, nec cælo, neque etiam Angelis acceptus referri potest. Quid de individuum determinatione existimare par est? Quare ex infinitis hominibus, qui procreari possunt, hic potius quām alius dignatur? Quid dicam de imperio prodotto in lapide sursum emisso, quid illum conservat, nisi primum agens? Quid denique de animalium instinctu, an aliunde quām à Deo profici potest? Verum hæc quæstio cum aliâ de formarum origine confunditur, quem locum satisvt opinor, alias expressimus. Neque necesse est multa à nobis edisserti de finali causâ luminis; cùm hæc non minus perspicua sit, quām ipsum lumen. Nihil quippe est in hoc mundo aspectabili, quod potentiam, sapientiam, & bonitatem Creatoris magis commendet. Motus ille celerissimus; vis cuncta penetrans, & per omnia commaneans; diffusio propè immensa; radiorum subtilitas cum tantâ virtute, ac stabilitate conjuncta: adeò vt flecti quidem, & infringi, non disrumpi, aut separari possint: hæc, inquam, omnia omnipotentiam Creatoris prædicant. Sed nihil est, in quo diuina sapientia magis elucescat. Quid enim totius vniversi partes adeò discordes conciliat, quām lux ipsa, cuius natura simplex quidem, & pura existit; sed virtute rerum penitus dissimilium imprægnatur, quòd facilius omnia convertat. Profectò

E iiij

De causa finali luminis.

forma cum materiâ, vel anima cum corpore vix vniri posset; nisi naturâ quâdam lucidiore, & perspicuâ, quam Platonici spiritum vocant, necterentur. Numquam extrema quæ sunt; citra aliquod commune vinculum natura consociat. Quid materiæ dissimilius quâm forma? nec aptiori glutine inter se devinciri queunt, quâm spiritu: hic enim minimam materiæ portionem sub magnâ mole nactus est: vnde luminosus, ac perspicuus existit. Est igitur corporis, & animæ aptissimus nexus, utriusque functionum commune instrumentum. Namque, ne id fortè mihi excidat, omnis spiritus quasi essentialiter lucidus est, vti & ignis; cætera quæ sunt lucida, horum participatione splendent. Hinc micant oculi percussi: feles in mediis tenebris objecta contuentur, scilicet spirituum ope; quos eorum oculi ejaculantur: lampyrides noctu lucent beneficio spirituum, quos præ timore contrahere, & lucem suam subducere quidam perhibent. Ligna putrida, adeps, & alia id genus de nocte micant, cum putrescant; quod spiritus liberati à crassiorum partium mole, in unum confluant: non secùs ac partes ignitæ præ vehementiori motu vna coëunt, atque ignem accendent. In squamis piscium spiritus sunt tenaciores, nec facile dissipantur: vnde & diutius splendent. Verum id lumen quo spiritus nostros fulgere diximus, oculis non perspicitur. Id sane evenit propter summam eorum tenuitatem, vti jam insinuatum à nobis est: sed tamen anima hunc fulgorem percipit: nam ubi spirituum animalium conceptacula, quæ cerebro insunt, tetro aliquo vapore obnubilantur, quas tenebras ipsa sibi fingit anima? Sed longius dilabor, retinebo itaque me.

MEN. Libenter tecum, cum istâ oratione prolaberer, vt hoc Ciceronis verbum usurpem.

SIMP. Ne aliena mihi sumam; hæc quæ nunc fundo philosophiæ secretioris oracula, non ex meo peccatore, sed ex summi illius viri, quem potissimum hodie sequendum mihi proposui, monumentis prodiere. Atque vt è semitâ in viam redeam: lux est quasi horizon naturæ spiritualis, & corporeæ; substantiæ, & accidentis; vinculum est totius universi, quod luce destitutum nihil foret præter materiam indigestam, corpus

exanime, confusionis abyssum: est quippe lumen omnium clementorum virtute fecundatum, ac caelestes influxus ad nos transmittit. Accidens quidem existit, sed à suo subjecto non pender; adeò ut inter substantiam, & accidens; inter corpus, & spiritum ambigat. Lux dividitur, & manet individua; stabilis est, & moverur; cælum terræ, corpori animam, formas materiae, objecta visui conciliat. Neque etiam ullum est in totâ rerum corporearum universitate præstantius donum nobis à Deo concessum, quod illius inexhaustum, & in omnia exuberantem bonitatem magis exprimar. Cuncta suo calore vegetat, vitâ implet, lætitia perfundit, ac variis coloribus adornat, ut quam mox dicturi sumus.



CAPVT QVARTVM.

De naturâ, & diversitate colorum.

- I. Colores omnes ejusdem esse generis, & vanam esse colorum in veros & apparentes distinctionem. II. Omnes a luce diminuere, nihil esse quam lumen modiscatum. III. Utrum colores ab externâ, vel ab insitâ luce corporibus prodeant? IV. Tandem ab extrariâ luce non proficiunt concludimus. V. De numero & serie colorum, nec non quis lucis gradus singulis competat.

MENANDER.



AGNO te oramus opere, ut de naturâ, & varietate colorum paulo vberius disseras: nam & vacui sumus, & nisi me ratio fugit, color nihil est quam lumen quoddam dilutum, & modiscatum.

SIMP. In longum sermonem me revocas, Menander, quem tamen libenter fuscipiam: quid enim agamus potius, aut in quo melius consumamus diem? Sed ut in re adeò obscurâ lux aliqua nobis interluceat, quæ mihi certa sunt, & explorata proponam prius, tum ad ea quæ magis sunt controversa, gradum faciam. Atque ut ad citeriora veniam, & notiora

nobis; omnes colores ejusdem esse generis, dubitari nullatus potest. Quod enim visus scholæ obtinuit, colores alios esse reales, alios dumtaxat apparentes, & quasi vmbritiles, id nullo solidiore nititur fundamento; cum tota coloris natura in hoc posita sit, ut appareat, & visibilis fiat. Quasi verò objectum quod sensus realiter afficit, & movet, non sit quid reale, atque in rerum naturâ non existat. Nonne Iridis colores, quos inter apparentes recensent, suas imagines in specula transmittunt? Quid igitur obstat quominus inter veros colores numerentur? Profecto, cum objectum visus proprium sit color; neque ullum discrimen inter veros, & apparentes animadverat; cumque facultas circa proprium objectum falli non possit, optimè concluditur omnes colores ejusdem naturæ, ejusdem esse conditionis: maximè cum accessu alicujus coloris, ut rubri, per triangulum vitreum transmissi, color itidem rubeus panno insidens fiat vegetior; quod si in aliud diversæ speciei inciderit, aliud quoque colorem, qualis ferme ex permisitione pigmentorum nasci solet, procreabit. Quod argumento est, colorem rubrum, qui per vitreum trigonum producitur; licet apparent, & vmbritilis dumtaxat vulgo censeatur, ejusdem tamen esse speciei, ac naturæ cum rubro colore, qui altius corporibus inheret. Tamen si non inferior colores alios esse fugaces, quales sunt in Iride; alios fixos, & tenaciores; ejusdem tamen utrosque esse speciei, non solum ipsa colligit ratio; cum unius facultatis unum sit objectum; sed etiam ipse sensus dijudicat. Quod si ita sit, colores omnes à lumine proficiunt rectè concluditur: cum Iridis colores, quique per vitreum trigonum trajiciuntur, atque apparentes vulgo vocantur, nihil ab ipso lumine, certâ quâdam ratione modificato differant. Quid enim hos colores tam aptè efformaret? an nubes, vel murus, in quo Iris delineatus cernitur? At nihil aliud quam recipit; nihil ipse operatur. At fortè trigonus vitreus? sed est omnis expers coloris. Restat igitur ut lux in colores degeneret: atqui fixi, & fugaces, veri ut aiunt, atque apparentes ejusdem sunt naturæ; atque adeò ab iisdem prodeunt causis: ergo colores omnes nihil ab ipso lumine discrepant.

T. H.. Hactenustecum mihi convenit: & sane quisquis species

cierum

*Veros & ap-
parentes co-
lores, ejusdem
esse generis.*

- 1.
 - 2.
 - 3.
 - 4.
 - 5.
- Coloris à
lumine di-
mannant.*
- 1.
 - 2.

cierum visibilium , & colorum naturam diligentius perpendet, vtraque nihil à lumine differre comperiet. Nam singula cuiusque objecti puncta in orbem diffunduntur; eodem profus modo, ac radii luminis refringuntur; ad æquales angulos resiliunt. Quòd si per vitrum aliquo colore tintatum trajiciantur, non aliter ac lumen eodem colore imbuuntur. Denique instar luminis, in punctum contrahuntur, citra vllam confusione; principio suo indivulsè adhærent, à quo unitatem, vel distinctionem suam; non à subiecto, vti cæteræ qualitates, repertunt. Ad suminam, omnes luminis affectiones his speciebus, ac coloribus apprimè convenientur. *Quod non modò evincit colorem nihil à luce dissidere; sed etiam (quod rem maximè causamque continet) colores omnes à luce exteriore proficiunt, & cum eâ confundi; adeò ut rebus omnibus auferat nox atra colorem.* Id jam patebit, si revocare in memoriam volueris ea quæ sunt à te demonstrata: nempe colores fixos ejusdem esse speciei cum iis, qui fugaciores sunt, quos sanè à luminis variâ reflexione, ac refractione prodire certum est. Nihil enim vnum vni tam simile, quam lumen luminis, color colori. *Quòd si à luce color differat, quare sine illâ videri nequit? numquid sonus vel odor quodam alio odore, vel sono indigent ut percipiāntur?* Denique si color est quædam qualitas ab exteriori lumine distincta, quænam est illius causa, quas exigit dispositiones? exemplo sit albedo nivis, vndenam producit: numquid ab aquæ substantiâ? sed vbi solvitur, candorem suum deperdit. An forte à frigore? sed aqua congelata frigidissima est, nec candida. Forsan ab aëre suam repetit albedinem. Verùm aër omnis est coloris expers. Nulla quoque assignari potest dispositio intrinseca, ex quâ albedo dimanet: non calor, aut frigus; non durities, aut mollities; non humor, aut siccitas; non demum gravitas, aut levitas: cùm lac, marmor, spuma, nix, cerussa, calx, & alia innumera sint candida: tamen vix in vllâ qualitate conveniunt.

M E N. Hæc sanè rationi consentanea mihi videntur: neque *Opinio Cart.* vt arbitrio multū abhorrent ab iis quæ illustris Cartesius tradidit: existimat enim colores nihil esse præter lumen modicatum. Lumen verò cùm sit motus, vel pressio globulorum

F

*Vitrum color-
res omnes ex
lumine ex-
tempore emer-
gant.*

*Afferen-
tium ratio-
nes.*

1.

2.

cælestium, à materiâ subtilissimâ primi elementi in rectas lineas directus: hi quidem globuli vno & eodem tempore dupli moru, centri scilicet, & orbis feruntur: nam circa suum centrum in orbem aguntur, atque à corpore lucido in rectas lineas quasi vibrantur. Cùm ergo uterque motus æqualis est, tum lumen nullo colore imbutum oculos afficit: sed ubi exoccursu corporum diversæ densitatis, aut consistentiae motus orbis sit velocior vel tardior: jam globuli cælestes retinam aliter movent, ac variis colores imprimit.

T H. Faceant quæso te illa vigilantis cerebri somnia, quæ jam aliâs abunde refellimus. Veri propiora sunt, quæ non Epicurei modò; sed etiam eximii Peripatetici, ac præter cæteros doctissimus Fabry de naturâ, & varietate colorum tradidere. Et quamvis longa fortasse nostra futura sit oratio, non tamen satisficeri putem huic loco, qui nunc est in manibus, nisi distinetè, & articulatim, non de omnibus; hoc enim infinitum fôret; sed de præcipuis coloribus dispudemus: inducتو ab ipsa albedine exordio, quæni fallor, non alibi quâm in continuitate radiorum luminis non interruptâ, posita est. Hinc flamma quo purior, eo quoque candidiore est. Cera alba, quia sincerior est, flammam reddit candidiorem: nam (si forte nescis) cera veris tempore irrigata Soli exponitur, cuius calore humor extraneus exhalatur, atque vna secum humorem nativum educit, quo extracto, non aliterac pannus clutus in lixivio, dealbatur. Sic plantæ sicciores puriorem flammam præbent, quia partes omnes simul accenduntur: sed in viridiori ligno multus humor vna cum flamma erumpit, qui radios luminis intercipit, ac colorem subrufum exhibet. Eâdem ratione vitrum nigro, & rariore velo obrectum, lucem subrubram transmittit; quod radii luminis bene multi quasi extinguantur. Nix vero, spuma non aquæ modò, sed etiam atramenti, lac, calcinata ferè omnia, farina, creta, cerebri medulla, ovi putamen, charta, quoddam marmoris genus, saccharum, & alia innumera albescunt; quorum omnium vna mihi videtur ratio, quod lumen sine vila ferè interruptione radiorum ad oculos reflectant; id autem accidit, quod pleraque omnia particulis sphæricis constent, quæ microscopij adminiculo ponuntur ob oculos: ut videre est.

De albedine.

præsertim in nive, & spumâ. Quocirca singuli globuli aliquos luminis radios ad oculum emitunt, qui colorem luci affinem, nempe candorem, simul congesti efficiunt: nulla quippe sit interrupcio, nulla est pars quaे lucem non reflectat. Sed quò minus dubitari possit hanc esse veram colorum originem, juvat ire per singula. In nive hi globuli sub visum cadunt, beneficio omphalopteri, quo sæpe objectum centuplo majus cernitur. Spuma vero innumeris constat sphærulis, quia interclusus aër æquo nisu pellit vndique membranulas, quibus intercipientur; & quanto illæ bullæ minores sunt, ut in spuma equi, vel cremore lactis macerato, tanto majorem candorem præbent: nam plures radios regerunt. De calcinatis nihil attinet dicere, cùm alias ostensum fuerit terræ atomos sphæricam figuram esse sortitas. In ovi putamine, granula sphærica sensu deprehendimus: in chartâ hujusmodi granula sæpe calatum stridentem, ac luctantem morantur. Medulla cerebri, salium ferè omne genus, in quorum censu est saccharum, ossa denique, multâ terrâ abundant, quod ex ipso pondere dignoscimus. Sic adeps concretus albedinem quandam præ sefert, quod illius partes instar spumæ in orbem concrescant. Non dissimili modo oleum à lixivio dealbatur; quædam enim humoris aquei partes dum rarefcunt, tenacis olei membranulis conclusæ, in bullas abeunt: denique hi globuli in lactis coagulo sensu percipiuntur. Sed cur quoddam marmoris genus album, aliud nigrum existit: an quia illud ex granulis sphæricis constat, hoc non item? vnde album tam perfecte poliri nequit, ac nigrum, & quo magis politur, minus album redditur; gravius etiam est nigro, neque illius globuli facile dividuntur: hinc asperius, & minus læve, vel cæcus ipso tactu percipit. In alabastro hæc granula sphærica sunt magis conspicua, quare minus poliri quam marmor potest. Pili albescunt defectu humoris. At cerussa cur adeò candida? quia plumbum aceti acrimoniam solvit; humor ferè omnis educitur, terrestres particulæ sole remanent, quarum figuram esse globosam identidem monuimus: nam cerussa gravior est, nec ductilis ut plumbum. Vitrum, & glacies contrita albescunt: cùm enim prius vna esset eorum superficies, eaque plana, & æquabilis, pauciores radū

F i

resiliebant: sed vbi fuerunt comminuta, innumerabiles factæ sunt superficies, infinitæ adeò reflexiones prodierunt. Iam cur albedo visum disgregare prohibetur, cùmque affligat? an quia multam lucem emitit, cuius calor humorem crystallinum viri, ac lœdit? hinc pupillam contrahimus, quod fieri nequit, nisi tunica viva dilatetur, idque citra divisionem aliquam, vel dolorem non accidit. De albedine haec tenus; nunc de nigredine, quæ in paucitate radiorum, ac multis interruptionibus consistit. Vbi nulla est radiorum reflexio, tum meræ sunt tenebrae; sed cùm pauca admodum est, tum nigredo positiva, & realis existit. Sic omnis cavitas nigrum colorem præ se fert: sic quæ terfa sunt, & polita, ut aqua, vitrum, ferrum, (quod singula puncta singulos dumtaxat radios reflectant) subnigra apparent: quæque nigra sunt, eadem fere concava videntur. Hinc feles vbi nigrum orbem in januâ depictum vident, sèpius in eum impingunt: appareat quippe illis velut ostiolum apertum. Colores fere omnes eminus spectati, subnigri cernuntur, quod pauciores radios ad oculum transmittant. Quæ nigra sunt, quo magis poliuntur, hoc magis nigrescunt; ratio ex dictis plana est. Sic argentum antequam poliatur, magis albicat: nam vbi lœve effectum est, propter æqualitatem angularum incidentiarum, & reflexionis, pauciores radii in oculos incurront. Cur ergo vas a quædam fistilia, & polita adeò candida existunt? an quod membranula pellucidâ obtegantur, sub quâ quædam granula sphæricæ figuræ delitescunt? idem forsitan in lacte contingit. Humor vero aqueus nigredinem invehit: vnde herbæ quo plus humoris continent, eo quoque subnigriores videntur. Lutum multo, & diurno humore perfusum, quale Lutetiae plurimum est, nigrus evadit. Saccharum cùm aduritur, nigrescit, quod humor calore educatur. Sic etiam nix aquæ immersa nigrorem contrahit: nam aqua globulos nivis complanat, ac multas radiorum interruptiones facit. Humor denique omnis affusus corporibus nigredinem inducit, quia cavitates occupat, & superficiem levigationem efficit. Sed cur carbo extinctus, fuligo, pix tantæ nigredine obscurantur? propter frequentes, & fere continuas radiorum interruptiones: multis quippe partibus præ

*De nigredi-
no:*

calore resolutis, cavitates, striæ, & rugæ innumerabiles ligno accenso succrescent, quæ creberimas luminis interruptiones inducunt. Hos sanè veluti sulcos, ex carbonum affrictu facile conjicimus. Hinc semiusta fere omnia atro colore inficiuntur; nam exhausto humore, superficies corrugantur; cùmque innumerabiles propè partes acuminatæ, & striatæ vñà cum humore erumpant, in atram fuliginem facebunt, quæ oculos vellicat, & camino tenaciùs adhærescit, quia ex partibus acuminatis constat. Hinc pix adeò nigra efficitur: succus enim est ex ligno resinifero ignis ardore expressus, ex quo magnus fuliginitis proventus exhalatur: vnde non mirum si atro fuliginis colore pix imbuatur. Sed cur atramentum adeò nigrum; dilutum quippe calchanti, & gallarum, si seorsim accipiatur, neurrum nigro colore tinctum apparet: quid igitur causæ est, vt vtrumque simul mixtum, in atramentum degeneret? an quia calchantum, & gallæ particulis striatis, & in mucronem desinentibus constant, aut potius, vbi simul coëunt, in acumina efformantur? Calchantum enim ex oleo vitrioli, & aquâ stygiâ, quibus ferrum dissolvitur, constat: hinc atramentum ita tenaciter chartæ adhæret. Nigredo autem minus visum delectat, quod pupillam maximè dilatet, atque vvaem contrahat? idque non sine aliquo dolore perficitur. Pupilla distenditur, quod plures radios excipiat. Albedine, & nigredine excussis; sequitur vt reliquos colores decurramus. Occurrit primò rubeus color, album inter & nigrum medio constitutus intervallo; prodit enim ex alternis radiorum reflexionibus, & interruptionibus. Hinc carbo accensus, quod ortines partes simul non accendantur; ferrum candens; sol per medias nebulas radios vibrans; lucernæ flamma cominus visa; flamma itidem ligni viridis, ex quo multus erumpit aqueus vapor, tubescunt. Nam in his omnibus fit quædam albi nigrique permistio: hinc color rubeus etemergit, qui flammat albi, & horrorem nigli præ se fert. Lucerna verò eminus spectata, tota videretur candida, quod illæ radiorum interruptiones, ac veluti umbræ ex fumo prodeentes, præ nimiâ distantia sub visum non cadant. Sic Mars de nocte visus, rubet; sed aurorâ lucescente, appa-

*De rubedi-
ne.*

ret candidior, quia minor: pauciores quippe radiorum interruptiones percipiuntur. Sic Luna subrubra videtur, propter macularum nigredinem, quæ illius candorem adulterant. Simili ratione pannus nigrior, vbi multâ luce perfunditur, subrubrum, aut purpureum colorem exhibet. Quod si per cancellos citato curfi, aream à Sole illustratam prospicias, nil nisi colore rubeo infectum cernes, propter alternas albi nigrique interruptiones. Cùmque è multâ luce in obscuriore locum ingrederis, tum fulgorem quemdam rubeum vides: nam retina quæ in fundo oculi constituitur, quæque visus organum existit, multâ luce adhuc perfusa alternas subit luminis, & tenebrarum, seu albi nigrique impressiones. Sed vnde cerussa in minium quod adeò rubet; chylus in sanguinem facies sunt: aut cur fumus hydrargyri rubens est, cùm idem sublimatus tanto candore niteat? An quia cerussa, chylus, hydrargyrus sphæricis constant particulis, quæ calore dividuntur, atque in colorem medium inter album, & nigrum degenerant? Hinc etiam liquet, cur caro candida cæsarie nigrâ obiecta, vel humor crystallinus bovis itidem albus, processibus ciliaribus obvolvutus, vitrum denique nigriori, & quasi capillari velo tectum, rubeant. Candela quoque extincta, & fumans, vbi accensæ candelæ admovetur, fumum emitit rubeum. Siquidem in his, & aliis innumeris, sit quædam albi nigrique temperies, ex qua rubeus oritur color, qui nec continuam lucem postulat, vt candor, neque continuas radiorum interceptiones, vt nigredo; sed mediâ sorte contentus est. Quocirca vbi paululum accensus est, perstringit oculum: nam majori contentione opus est, vt visus has luminis interruptiones alternatim dispositas discernat. Hinc fortè tauros, & leones in furorem agit. Tametsi id quoque potest accidere quod hic color speciem sanguinis præbeat. Sequitur vt de flavo colore; neenon de cæruleo, viridi, ac purpureo pauca subjiciam. Flavus inter album, & rubrum medius est; vti cæruleus nigrum inter, & rubrum, medium locum obtinet. Flavus itaque pro singulis interruptionibus, duos radios nactus est; vnum ab albo, alterum à rubro, cum una interceptione mutuantur. Cæruleus è contrâ, duas interruptiones vnico radio temperatas.

*De flavo,
cæruleo, &
aliis colori-
bus.*

fortitus est. Quod si funiculum ex albis rubrisque filis contextum inspicias, idem flavo colore tinctus apparebit. Fors est ut aer cæruleus videatur, propter varias luminis reflexiones quae ex solidioribus atomis prodeunt. Cinereus color ex rudi, & imperfectâ albi nigrisque mixturâ, ut rubeus ex accuratiore permissione proficiscitur; in illo quippe partes sunt crassiores; in rubro minutiores: hinc cinereus color fortiori lumine collistratus, si procul spectatur, rubeus appetet, ut videre est in nubibus sub ortum, vel occasum Solis. Aureus color medius est inter flavum, & rubrum, ut solaris inter album, & flavum medio loco consistit. Ex rubro, & cæruleo purpureus, ut ex flavo, & cæruleo viridis temperatur. Rem ita se habere, ex perfectâ colorum mixtione comperies. Vel si plura vitra diversis imbuta coloribus simul jungas, hanc de qua diximus colorum varietatem obtinebis. Sed unde flavus, ac cæruleus sunt oculis gratiore? an quia magis temperati? Certe nullus color magis oculo blanditur, quam viridis; quia ex flavo, cæruleo que emergit, vtriusque enim amoenitatem possidet; nec lumen albi oculos perstringens, neque horrorem nigrum, qui cæruleo plurimus inest; nec denique rutilum fulgorum rubri præfert, qui majorem attentionem postulat. Viridis color quasi negligentior est, hinc gratissimus; tum enim jucundè agimus, cum facile. Iam quoque planum sit, cur colores compositi magis arideant, ut purpureus rubro, & cæruleo; aureus rubro, & flavo est amoenior; scilicet quia compositus color vnius excessum, & alterius defectum temperat. Sic purpureus rubri fulgorem, & cærulei livorem castigat, neque aureus, ut flavius palescit, vel ut rubeus rutilat. Ex flavo, rubro, & cæruleo, color lividus prodit visui minimè gratius: nam rubeus viridem colorem fœdat, qui ex flavo, & cæruleo emersurus erat. De florum, lapidum, ac metallorum variis coloribus, nec non de Iride, dabitur alias commodior dicendi locus. Hæc tenus demonstrasse sufficiat colores omnes à varia luminis reflexione, aut refractione originem suam ducere; adeò ut color nihil sit præter lumen modificatum. Non quod varia luminis intensio, aut remissio, diversos colores procreet; sed radiorum diuina taxat continuitas, vel interceptio.

Neque ea sententia Aristoteli displiceret, qui causam colorum esse variam lucis, & umbræ temperationem, tradit. Non inficiamur tamen rei cuique suum esse nativum colorem, ut loquuntur, in actu primo; seu eam esse partium dispositionem, ex qua talis color exurgat; sed negamus rem esse in actu secundo coloratam, nisi eadem sit exteriore lumine illustrata. Res enim omnis colorata, visibilis existit; nec tamen sub visum cadit, nisi aliquo lumine perfundatur; ita ut certissimum sit, quod docet Aristoteles, lumen esse colorem perspicui, & colorem esse actum corporis perspicui suâ opacitate terminati. Nunc de his quid sentias, optime Simplici, & quibus ea rationibus infirimes, audire sanè velim; res enim digna est, cui nonnihil operæ, ac temporis impendas.

Prior sententia confutatur, atque colores fixos ab interna luce emanare ostenduntur.

1.

2.

S I M P. Huic opinioni neque possum accedere, neque intercedere postulo: fatear enim oportet, innumeros colores ex varia reflexione, ac refractione luminis emergere: de iis qui apparentes vulgo dicuntur, nullus est dubitationi locus. Inò id in plerisque coloribus qui subjectis suis altius insident, ferre constat, ut in nivis, spumæ, vitri, vel glaciei comminutæ albedine. Sed numquam possum animatum inducere, ut contra sensus judicium, omnes de nocte colores deleri putem. Non equidem inficias ibo, colorem nihil esse præter lucem diminutam, & certà quâdam ratione modificatam; id enim jam demonstratione consecuti sumus. Verum si bene auguror, colores non ab extranea, sed ab interna luce profiscuntur; ita ut nullum sit corpus, seu perspicuum sit, seu opacum, quod aliquam lucis scintillam reconditam non habeat. Quidni remita esse putem? cum omne corpus aliquâ perspicuitate donecatur: perspicuum verò idem omne est lucidum: non enim aliud apparatum lux exigit præter perspicuitatem, quam lux ipsa, ut forma materiam optimè depositam consequitur; ne in rerum serie aliquod vacuum natura pariatur. Nam ut locus corpore destitutus, sic subiectum optimè adornatum, si formâ suâ careat, inane futurum est: nullum igitur corpus existit, quod idem non radiet, quodque tamquam sidus minoris noctæ lumen non emitat. Nix ipsa in mediis tenebris fulget, quod sanè arguento est albedinem non ab extrariâ, sed ab

inte-

interiore luce dimanare. Vnde ergo, inquies, de nocte colores non videntur, cùm sint lumina quæ magis noctu, quàm diu fulgere oporteat? Nam stellæ in meridie aciem oculorum fugiunt, quæ in tenebris adeò micant. Respondere possem stellas de die non videri, quia sunt remotiores: quòd si propiores forent, sub oculos caderent, vt omnia corpora suis distincta coloribus. Accedit etiam quòd non omne lumen visu percipitur, sed necesse est vt retinam validè satis afficiat: hinc colores nisi fortiore luce aspergantur, visum non movent. Quamquam hic non discutio, vtrum in tenebris colores paululum dilutiores, suos radios, suas species emittant. Fortè debiliores sunt, quàm vt solitarii prodire possint: quemadmodum calor naturalis qui membra nostra vegetat, sàpe indiget extrario, & adventitio calore, vt sua munia obire queat. Keplerus vir impensè doctus existimat colorem nihil esse præter lucem potentiale, quæ externâ luce eget, vt calor zingiberis indiget humore, quo excitetur, & in actum prorumpat. Hinc color in materiâ delitescit, non vti lumen solam superficiem afficit; & quantumvis corpus colore imbutum poliatur, in omnes partes radios vibrat, qui non ex solâ superficie, sed quasi ex rei corporeæ penetralibus erumpunt. Vtvt sit, lucem ipsam, quemadmodum & cæteras qualitates, in varios gradus dispersi licet; ita vt in quibusdam corporibus sit fortior, ac vegetior, in aliis debilior; in Sole summum sui generis gradum impletat, in stellis non parum degeneret; in caelo vberior sit quàm in aëre; parciat in mixtis corporibus, vbi sensu percipi nequit, nisi majori luce roboretur. Sane quidem colores apparentes nihil esse præter lumen modifcarum nemo negaverit; & tamen in ipsâ meridie optimè discernuntur: quidni ergo colores fixi, etiam si nihil aliud sint quàm lux dilutior, non in tenebris, sed de die erunt conspicui. Denique forsitan colores fixi, licet specie non differant à lumine, diverso tamen modo visum afficiunt. Sed ea sumebas ad concludendum, quorum tibi nihil conceditur. Duxisti enim omnes colores à tribus rebus; à reflexione radiorum; à varietate figurarum, quibus atomi seu corpuscula terminantur; atque à diversâ radiorum continuitate, vel interruptione. Singula excutiamus. Ac primùm evin-

G

ces numquam, ex solâ radiorum reflexione colores generari. Objicies, scio, colores Iridis qui teste Philosopho ex reflexione oriuntur. Addes radios solares per ramos arborum, vel plumas pennæ anserinæ trajectos; in saponis bullâ; in convexo perspicilliorum reflexos; in aquâ quæ ore, adverso Sole dispergitur; in collo columbino, in nubibus, in tenuissimis aranearium filis repercussos, tantam colorum varietatem exhibere. Sed in his nego solam reflexionem intercedere. Verum hæc suo quæque loco. Hic tantum te monitum velim radios in variâ specula incidentes, tametsi sex, aut septem reflexiones pati possint; nullos tamen colores patere. Quis autem ignorat, singulis reflexionibus radios luminis non parum debilitari? adeò ut affirmare non dubitem, nullum colorem, ne apparentem quidem, ex solâ reflexione nasci; nedum colores, qui altius corporibus inhærent, quique nihil iminutantur, quamvis ipsa reflexio infinitis propè modis varietur. Quod verò colores omnes ex diversis atomorum figuris prodire putas: næ tu mihi videre Epicureis plus satis indulgere; neque mihi sit verosimile, ex atomis tantam colorum varietatem proficiisci. Quis crederat marmor nigrum non ex iisdem corpusculis constare, atque album. Verum, inquis, quod album existit, idem ex atomis sphæricis compingitur, vt videre est in nive, & spumâ. Quid si respondeam albedinem nivis, ac spumæ, ex nativo aëris candore, non ex illis globulis dimanare. Hinc cera & pannus, quo dealbentur, aëri exponuntur: lux quippe, vt diximus, perspicuitatem consequitur. Cælum lucidum est, quia maximè pellucet; aët colorem suæ perspicuitati attemperatum obtinet; vnde albicit, vbi condensatur, vel vitum terminat: obscurus quidem est, & quasi atro colore infectus, cum luce solari non irradiatur: sed lux Solis hanc obscuritatem castigat: hinc cæruleus appetit. Iam quis erit aquæ color? niger fortasse? sic visum est Aristoteli: nam & aqua stagnans nigrior fit: Atrum hunc colorem carbo non aliunde repetit, quam ab humore condensato, quo exhausto, omnis evanescit nigredo. Ut nihil dicam de lapidibus, ac lignis quæ ab aquâ continenter decidente nigrescunt. Placet aliis viridem colorem aquæ competere: nam aqua maris, & stagnorum hunc colorem ex-

hibet. Quod si mare cœruleum videatur, id accidit quia instar speculi, aëris, vel cœli reddit imaginem. Hinc omnes herbae; ac plantæ luxuriantes verno colore tinguntur: nam humore aquoso abundant, quo deficiente, in alios colores degenerant. sed longius evagamur. Demus tibi spumam, & nivem, non propter inclusum aërem, sed quod infinitis propè globulis content, albescere. An protinus saccharum, arsenicum, tremor tartari ex iisdem atomis compinguntur? cur igitur sapor adeò diversus? enim verò sapor ipse atomorum figuram magis prædit, quam color, ut suo loco dicemus. Cùm pigmenta in minutissimas partes conteruntur, euindem servant colorem. Numquid easdem corpusculorum figuræ retinent? Quod si in floribus tam varii colores, ex diversâ percolatione humoris per varios fibrarum ductus oriuntur: ita ut sub initium virescant, quod humor ille nondum sit perfectè subactus; sed tractu temporis color mutatur, quia figuræ corpusculorum subinde variantur: quomodo pigmenta in marmore contusa suam figuram adeò tenaciter conservant? nam pigmenta communui necesse est, ut per lanæ tubulos, & vacuitates subire possint. Humida quoque esse oportet; humor quippe est quasi eorum glutén, ac vehiculum. Imò & calore opus est, qui poros aperiat. Sed neque vos rectè caleulum posuistis: nam si color flatus album inter & rubrum medius existit, duos radios cum vnâ interruptione, hoc est duas albedinis portiones, & vnam nigredinis obtinebit. Iam supponamus in candore duodecim gradus lucis reperiiri, ex his sex ad rubrum colorem pertinebunt, & eodem jure sex gradus nigredinis illi coimperent. Cùm verò flatus inter album, & rubrum medius intercedat, novem gradus albedinis, & tres nigredinis sibi vindicabit: tres igitur radii luminis cum vnâ interceptione, flavum colorem procreabunt. Sic tua sententia male sibi constat. Esto, inquires, error in calculum irrepserit: hinc non sequitur colores, ex variâ luminis, & umbrâ mixtione, seu ex continuitate, & interrupzione radiorum non prodire. Ne hoc quidem tibi concedam, luceam cum obscuritate, tamquam sonum cum silentio, formam cum privatione permisceri posse; neque ex illâ mixtione ullus color, sed lumen quoddam dilutius, qualis est um-

bra, emerget. Sed neque villa ratio, neque experientia hinc opinioni suffragatur. Numquam vel cæco persuadeas, colores omnes à luce extrariâ pendere; ita vt nix de nocte non sit candida. Ergo intendamus vltra animum, ac videamus quo id fiat modo, vt colores fixi, ex luce diminutâ, cum tantâ varietate dimanent. Quid porro lucem debilitet, inquirendum. Si de luce exteriore ageremus, totum negotium paucis absolvî posset: radii quippe quo longius à suo fonte progrediuntur, eo sunt debiliores; quia rariores, ac magis inter se dissidentes. Neque tamen lux illa tenuissima in colores degenerat, nec radii debilitantur, sed tota luminis massa, vt extensior, sic debiliior evadit: hæc quidem lux adè diffusa radios suos emittit, sed qui percipi amplius nequeant, nisi speculi coacavi, vel vitri convexi admicculo rufus colligantur. Sic tubo optico innumeras stellulas deprehendimus, quæ visus aciem fugiunt. Verùm cùm radii luminis à recto tramite deflectunt, & corporis densi occursum franguntur, ac pristinæ rectitudini restituamplius nequeunt; jam propria eorum natura vim quamdam paritur, ac certo quodam modo modificatur, vt in colores abeant. Non quòd solâ refractione lux in colores facessat; nam baculus in aquâ fractus videtur, neque ullo tamen colore tinguitur. Objecta quæ perspiciliorum, vel tubi optici beneficio intuemur, nullo quidem colore imbusuntur. Quid ita? nisi quod nec sola reflexio, nec sola luminis refractio, sed reflexio cum refractione conjuncta, colores qui apparentes vocantur, procreat: ab utrâque enim sic lumen immunitur, vt in colores commigret, nec amplius nativum candorem recuperet. Sed de coloribus, qui apparentes dicuntur suo loco vberius disserendum: nunc de fixis-coloribus, qui vt à luce quadam interiore emergant, nullam tamen refractionem patiuntur. Quid igitur lucem illam infringit? An forte opacitate quadam subjecti debilitatur? propria luminis sedes perspicuum existit; atque lux purior, & vberior majorem perspicuitatem consequitur: quo verò materia densiori, aut majori opacitati lux immigrit, eo quoque fit debiliior ac minus sincera. Ad summam, lux & color subjecti pelluciditatem, vel opacitatem sequuntur. Quod maximè diaphanum est, vt cælum, idem

Vnde pro-deant colores fugaces.

Vnde fixi colores.

quoque totum lucidum existit. Hinc veteres credidere astra nihil esse præter partes cali densiores; quod si perspicua non sunt, id ipsis accidentarium existit: sic vitrum communatum, non ex se quidem, sed ex accidenti est invium lumini: sic flamma omnis est diaphana, sed sui splendore, densitate, non verò opacitate suâ (hæc enim non confundimus, densitatem, & opacitatem) visum terminat. Aër colorema vegetiorem quam aqua natus est: est enim ille candidus, hæc viridis. Nullum denique est corpus aded concretum, & opacum, quod aliquâ perspicuitate, atque aded quâdam luce non donetur. Est igitur color obscurior, quo res minus lucis, aut pelluciditatis habet. Vnde ergo, inquies, aurum, argentum, & alia metalla tanto fulgore nitent? Vnde marmor aliud candidum, aliud nigrum inventitur; cum aqua vriique materia portio contigerit? Objectio.

Vno verbo hæc diluitur objectio. Sunt corpora quæ alteratio-
ne quâdam tinguntur, vt herbæ, flores, & fructus. Hæc qui-
dem colores suos non mutant, nisi quamdam in suâ substantiâ
mutationem subeant, quatenus humorem sortita sunt magis
vel minus coctum, ac subactum. Alia verò sunt, quæ non pro-
prio, & congenito colore, sed mutuantur, & extrinsecus acce-
dente imbuuntur, vt lapides, & metalla, quorum generatio-
nem suo loco reddemus. Hæc quippe coloribus adventitiis, non
aliter tinguntur, atque aqua aliquot atramenti guttis infecta,
atrum colorem induit. His de coloribus in universum pro no-
strâ facultate tractatis, sequitur vt præcipuas eorum species
persequamur; tum si vobis ita videbitur, quo ordine inter se dis-
ponantur dicemus.

MEN. Nobis verò, ut pro vitroque respondeam, ordo iste rerum placet.

SIMP. Quod si omnes colorum species prosequi volumus, nec finem reperiemus, ac frustra laborabimus. Color quippe viridis in mille & amplius species secatur, cum nulla ferè sit planta alteri colore non dissimilis: simplices ergo, & quasi primitivos colores, ex quibus cæteri multiplici sibbole succrescent, investigemus.

TU. Non alios primigenios colores agnoscunt Philosophi præter album & nigrum, ex quorum variâ permistione reliqui omnes emergunt: quod vel pueri didicimus.

*Omnis colo-
res ex alibi &
nigri mixtu-
ra non pro-
deunt.*

S I M P. Multa ejusmodi dicuntur in scholis, sed credere omnia, vide ne non sit necesse. Cedo enim quâ arte, quâve industriâ rubeus, ac cæruleus, ex albi nigrière mixturâ prodire possint? Duo vitra, quorum alterum sit candidum, alterum nigrum, simul jungantur; lux ea penetrans neque rubrum, neque alium colorem, nisi forte cinereum exhibebit. Si rubrum nigro temperes, rubeus color, quamvis obscurior semper constet. Quocirca album, nigrum, rubeum, ac cæruleum inter primitivos colores numeratos oportet, quibus addemus & flavum, quidquid reclames Theophile: non enim ex albo rubroque, vt tu sumebas exurgit: nam funiculus ex tenuissimis filis albis rubrisque contextus, non flavum sed rubrum colorem paulò dilutiorem, à flavo toto genere seclusum præfert. Sed nihil prohibet quotminus in eodem censu viridem, ac purpureum colorem reponamus; quamvis enim viridis ex flavi & cærulei permistione, vt purpureus ex rubro cæruleoque dimanet, nihil tamē scilicet in Iride viridem, ac purpureum conspicimus, qui ex flavo cæruleoque non prodeunt. Quid enim color nisi lux quædam dinnuta? quid simplicius luce, quid cum ipsâ misceri potest? an calor calori acedens quiddam compositum, ac concretum efficit? profectò non alibi quærere oportet colores omnium primos, quâm vbi lux ipsa sincera est; nullóque infecta corpore, vt in Iride. Atqui in duplice Iride, quarum una per reflexionem radiorum, altera per refractionem efformatur, omnes hi colores conspicui sunt: vt taceam de albedine, & nigredine, quæ omnium colorum extremini sunt velut margines, atque nemine repugnante inter simplices colores recensentur; cùm lux ipsa candida appareat: vnde candor supremum gradum inter colores obtinet: albedo quippe in tenebris lucet. Nigredo qualis in pice, & carbone conspicitur, aliquam lucis quamvis tenuissimam portionem adepta est. Tenebræ quidem hoc atro colore quasi imbutæ apparent: sed tamen pix nigrior nobis videtur; quod visum fortius afficiat; eum hæc nigredo sit realis, illa dumtaxat privativa. Forsitan spiritus qui ab oculis continenter emituntur, non nihil de atro tenebrarum colore derrahunt, & quâdam tenuissimâ luce diluunt. Cæteri colores, flavus, rubeus, viridis, cæruleus, ac

purpureus in Iride, quam Sol in nube, vel in pariete per trigonum crystallinum effingit, tantâ arte delineantur, vt hos esse colores purissimos, ac simplicissimos dubitari nequaquam possit. De numero colorum ex Chaenbraeohæc breviter perstrinximus: eorum seriem, atque ordinem, nec non quod difficillimum est, quem lucis gradum singuli sortiti sint, eodem duce indagemus. Nemo felicius, atque uberioris hoc pertractavit argumentum. Albedo, & nigredo summum insimumque inter colores locum sibi vindicant. Quid enim lucem à candore discriminat, nisi solus splendor? Hinc stellulæ, quæ viam lacteam nobis exhibent, remotiores cùm sint, nec splendorem valeant emittere, tenui quâdam albedine cælum aspergunt. De nigredine quæ tenebris est proxima, quòd inter colores infimum gradum obtineat, nullus dubitandi locus relinquitur. Album flavus color excipit, qui candori, ac luci vicinior est. Hinc flavo colore lux ipsa exprimitur. Non enim ut dictum est, commodiùs alibi quâm in Iride seriem colorum intueri licet, in quâ lux sinequa, puros itidem colores efficit; cùmque in Iride, quæ per trigonum crystallinum efformatur, flavus color supremum teneat locum, cui rubeus succedit, ac cæruleus tandem infimo loco subsidit; manifestum est rubeum colorem esse flavo debiliorem, ac minùs lucis obtainere: quemadmodum rubeus est cæruleo vegetior. Quare flavo rubeus succedit: nam & rutilum quemdam fulgorem vibrat; atque in Iride cælesti summo loco consistit. Verum de cæruleo, & viridi, uter vtri præponatur, major nos manet controversia. Viridem colorem cæruleo anteponerem, quòd ex flavo, & cæruleo exurgat: est igitur luci atque albedini vicinior. Quòd si duo vitra, quorum unum flavo, alterum cæruleo colore sit imbutum, simul jungas, lux Solis per utrumque transmissa pulcherrimum viorem induet. Præterea, in Iride quæ per trigonum conspicitur, colores sunt uno gradu vegetiores usquos in Iride cælesti intuemur: nam hîc rubeus, illic flavus color summum locum occupat; hîc cæruleus rubro, illic viridis flavo succedit: ergo ut flaus rubrum, sic viridis cæruleum colorem superat. Ex quo licet concludere purpureum colorem cæruleo esse postponendum: nam in cælesti Iride purpureus; in illâ verò quam per trigonum

*De singulis
coloribus. §
quo or. iride
at bona. cur.*

contuemur, cæruleus infimo subsistit loco. Excipiat aliquis: purpureus ex rubro cæruleo que generatur; ergo cæruleum inter ac rubrum medius consistit. Fateor equidem ex rubro, & cæruleo obscurioribus purpureum exsurgere, sed cum querimus, quo loco singuli colores sint collocandi, quove ordine digerendi, perfectissimi quique, atque in suo genere præstantissimi, quales in Iride cernimus, spectantur. Neque enim ignoramus esse quedam purpurei genus, aliquo cæruleo lucidius. Non demum colorum series ex eo colligi potest, quod unus facile in alium degeneret. Videmus quippe ceruam candidam, ignis calore in minutum rubrum, ut lignum album in nigrum carbonem facessere. Sic fructus virides statim purpurei, aut nigri evadunt. Nec desunt tamen qui cæruleum viridi, immo & rubro preferant. Aët, inquiunt, purissimus cæruleo colore imbutus appetat: vaporess verd qui sunt crassiores, vel nubes subobscuræ, rubrum colorem produnt: flamma candelæ proxima videtur cærulea, quod eadem sit purissima, cum superior flammæ pars, quæ minus sincera est, subrubra cernatur: spiritus vini accensus cæruleam flammatem emittit, cum ferrum candens, & carbo incensus rubrum colorem exhibeant. Ex quibus intelligitur rubrum in corpore crassiore excipi, ac cæruleum colorem, subjectum magis perspicuum exigere. Addunt quod quæ sunt cærulea, vbi non ad Solis, sed ad candelæ lucem inspiciuntur, viridi colore tincta cernantur: indicio est cæruleum in viridem degenerare, vbi tenuiori luce perfunditur. Hæc sane magnâ probabilitate dicuntur; neque tamen tanti sunt, ut viridem colorem de suo loco dejiciant. Negamus quippe cæruleum aërem videri, quod sit purissimum: sed forte profunditas aëris tenebrosa lucis candore diluta, hunc ipsi colorem confert. Neque etiam flamma lucernæ proxima, purior existit; immo partes aquosæ, una cum oleo inflammabili simul accenduntur: quo circa humor ille aqueus nondum bene edominatus cæruleum colorem prodit. Idem evenit in sulphure, vel spiritu vini incenso: nam phlegma una cum oleo simul incenditur, atque in tam præcipiti inflammatione, unum ab altero separari nequit: sed quæ summè sicca existunt, atque hoc humore aquoso carent, flammatem eo candidiorem, quo siceriorem

objec.

exp.

riorem reddunt. Quod de cæruleo colore, qui exiguae luce illustratus, viridis apparet, subjiciunt, id vero concedimus; sed non idcirco illis procedit, quod volunt: immo contrarium hinc colligitur. Debilior enim lux cum sit, incidiore dumtaxat objectorum imagines educit, atque ob oculos ponit; sic quæ flavo tinguntur colore, in dubia vel tenuiori luce apparent candida. An continuo flavum albo præponendum? Exposui quā brevissimè potui numerum, & seriem colorum; reliquum est ut quæ singulis particulis lucis portio contingat, excutiamus. Quod ut facilius assequamur discedendum est parumper à coloribus, ad quos mox revertemur, & pauca de volumen harmonia sunt dicenda. Praeterea quidem Aristoteles eamdem inter colores, qua inter sonos, ac numeros invenitur, esse proportionem tradit. Quid enim suavem concentum efficit, nisi gravis, & acuti soni certa proportio, quam non in sonis modò, sed etiam in coloribus, & cæteris sensuum objectis, animus expeccat? Diversa namque objecta aliter, atque aliter organa afficiunt; sed eundem jucundi aut molesti, grati vel ingratii sensum imprimunt. Idein quippe effectus ab eadem causa proficiscitur. Neque solus sensus hujus voluptatis, vel molestiæ est arbiter, cum ægris oculis saepe jucundus sit colorum, quibus luduntur aspectus: nec bruta, quibus iidem sensus, & saepe aceriores vident, aut colorum amoenitate, aut volumen modulatione delectantur. Soli homini à natura concessum est, ut pulcritudinem quæ soni, & colores asperguntur, percipiat. Vnde ergo illa pulcritudo? ex proportione. Cur vero una præ altera delectet animum, longior sim si explicare fuscipiam, præstat in aliud differre locum. Hic solum quæ sint illæ proportiones ex quibus colorum pulcritudo prodeat, delibasse sufficiat. Et certè multò illæ notiores sunt, & magis obvias in sonis, quam in coloribus. Nam sonus vel nihil est quā aëris motus, vel sanè cum motu conjunctus est; motum vero dimititur, & quasi numeris suis persequitur ipsa Mathesis. Quarendum igitur nobis est, quæ proportio ad sonorum suavem concentum exigatur; sic enim præmunitur via ad perfectiorem colorum notitiam comparandam. Iam proportio alia est simplex; alia composita: inter simplices prima est dupla in-

er 2. & 1. hanc excipit sesquialtera inter 3. & 2. cum major minorem, & dimidiā ejus partem continet. Tertio loco collocanda est proportio sesquitertia inter 4. & 3. vbi major minorem includit, & tertiam præterea illius partem. Quare prima proportio est inter 1. & 2. secunda inter 2. & 3. tertia denique inter 3. & 4.

T H. Quorsum hæ numerorum minutiarum?

S I M P. Non hoc de nihilo est, sed non possum unum omnia dicere. Ad rem igitur. Cum citharae alicujus chorda magis vel minus tenditur, graviorem, vel acutiorum sonum reddit; atque acutiores sonos emittit, quo magis intenditur; quia frequentiores edit vibrationes, quibus aerem verberat. Quocirca duæ chordæ æquales, & æqualiter tensæ, sunt unisonæ. Si una duplo magis quam altera intendatur, seu duplum illi pondus appendatur, duas excusiones, cum altera unam dumtaxat, conficiet. Igitur illa erit altero tanto acutior; adeò ut hi nervi concentum efficiant omnium longè gratissimum, qui diapason, seu octava vocitatur. Idem eveniet si dimidiæ chordæ idem pondus appendatur: nam duplo velociores futuræ sunt vibrationes. Iam si alterius chordæ tertia pars rescindatur, eodem appenso pondere, sonum acutiem edet, eam proportionem, quæ sesquialtera dicitur, ex qua concentus exsurgit qui diapente, seu quinta nominatur. Denique si quartam partem chordæ adimas, fieri proportio sesquitertia, ex qua diatessaron, seu quarta prodit. In modulatione quæ diapason dicitur, alternis dumtaxat vicibus duo soni simul concurrunt, atque ad aures unum appellunt: siquidem una vibratio est altera duplo tardior. Hinc forte harmonia gratissima oritur. In diapente duo soni solitarii aurem feriunt: sed in tertio ictu, seu vibratione ambo utriusque chordæ soni simul uniuertuntur. Tandem in concentu, qui diatessaron appellatur, quarto quoque ictu, uterque sonus simul auditus tympanum percutit. Quod si fides magis intendamus, aliæ succrescent proportiones, quas si explicare volumus, necesse est ut longius evagemur. Amoeniores sunt duodecima, & decimaquinta, haec disdiapason, quia ex duplice octava coalescit; illa diapasonte, quia ex octavâ, & quintâ componitur, nomen accepit; in hac proportio est qua-

drupla, in illâ tripla existit. Nam si tres numeros sumas, 4. 8; 12. adeò ut secundus sit primi duplus, & tertius sit primi numeri triplus; proculdubio inter secundum, & tertium erit proportio sesquialtera; quæ quidem proportiones in duodecimâ manifestè se produnt, quæ ex octavâ seu duplâ, & diapente, seu sesquialterâ conflatur. Vnde si nervus citharæ triplo, vel quadruplo magis quam alius sibi æqualis tendatur, duodecimam, vel decimam quintam efficiet. Undecima vero eamdem proportionem exigit, quæ inter 8. & 3. reperitur; nam 8. bis continent 3. & præterea $\frac{1}{2}$. Brevitatis, ex octavâ, & quartâ componitur: hinc diapasonessaron appellatur. Hæ sunt si bene memini, proportiones ex quibus potissimi, & gratissimi concentus oriuntur, quas ad colores transferre non erit difficile. Cum omnium colorum series albo nigrisque claudatur, visus qui sincerus colorum omnium est arbiter, eo maximè delectatur, qui inter album, & nigrum medio loco consistit: nam extrema quæque sensus lœdunt; nec summus calor, vel summum frigus tactum, nec gravior, vel acutior sonus auditum juvat; sed sonus, vel calor temperatus, auditui, vel tactui arrideret. Quocirca ille color medium locum adeptus est, qui præ cætris visui maximè blanditur; is sanè viridis est, ut supra monuimus: nam in Iride medium locum sibi vindicat. Iam quod res omnis fiat illustrior, 24. lucis gradus albo tribuamus, ex quibus certè 12. ad viridem colorem pertinebunt; adeò ut inter utrumque sit dupla proportio diapason similis, quam natura maximè affectat: nec potest enim viridis color medium locum inter album nigrumque usurpare, quia ex 24. gr. lucis, qui albo competunt, 12. sibi vindicet. Rubeus vero color longè gratior est oculis quam flavus; nam & medium vicinus petit. Sit igitur inter album rubrumque proportio sesquialtera, seu diapente, gratissimus post diapason concentus: sic inter flavum, & album proportio sesquitertia, seu diatessaron invenitur; itavit rubro 16. flavo 18. gradus luminis convenienter: namque intra octavam, hi soli concentus reperiuntur; diatessaron scilicet, ac diapente. Infra viridem cæruleus, purpureus, & niger consistunt; qui diapasonessaron, seu undecimam, diapasonente, vel duodecimam; & disdiapason, sive dupli octavæ

H ij

respondent. Cùm itaque cæruleo pius insit lucis, quām purpureo; illi novem gradus lucis concedamus, qui ad 24. comparati eam rationem habent, quam 3. ad 8. quæque concentum diapason efficit: siquidem 9. bis in 24. continentur, ac 6. supersunt nempe $\frac{1}{2}$ ipsius novenarii. Sic purpureo octo gradus tribuimus, seu tertiam partem totius lucis, quæ in albedine invenitur; hæc ratio in sonis modulationem efficit, quæ diapasopente vocatur. Nigro demum colori 6. dumtaxat gradus damus, quartam ipsius lucis portionem, quam albedo complectitur. Est igitur inter hos colores extremos proportio similis disdiapason, vel octavae duplici. Neque hæc excutio cur una proportio sit altera nobis jucundior; hoc enim longiorem exigit disputationem, quam in aliud locum rejicimus.

T H. Praclarè intelligo; nec dum tamen mihi satisfactum puteam, quoque nobis exposueris quæ sit inter lucem ipsam, & albedinem proportio: hinc enim quot cuique colori gradus lucis competant, constare poterit.

S I M P. Huc ibam, lux ab albedine solo differt splendore, ut subinde monuimus: luci splendorem detrahe; nihil erit præter candorem. Iam illud quod dicturus sum, paradoxon forte videbitur; dicam tamen, tantum ab albedine lucem diffidere, quantum albedo ipsa differt à nigredine. Nam inter lucem purissimam, atque albedinem tot colores splendidi interjacent, quales in trigono vitreo Soli adverso conspicuntur, quot inter albedinem, & nigredinem intercedunt: ergo inter albedinem, & nigredinem cùm sit proportio quadrupla, eadem inter lucem, & albedinem ratio invenietur; cùmque albedini 24. gradus lucis insideant, in ipsâ luce 96. gr. reperientur. Eadem quoque manebit inter alios colores proportio; adeò ut color splendens quadruplum lucis quæ in dilutiore inest, complectatur. Atque ut in musica, quantumvis octava duplicetur, eamdem semper efficit modulationem: tametsi intervalla sonorum augentur, idem concentus manet, quod ipsi octavæ peculiari quodam jure convenit, neque in ullam aliam cadit harmoniam; sic lux quantumvis fulgeat, semper videtur candida: nec rubeus, nec viridis, aut alias color ipso splendore in aliud commeat. Non temere mihi excidet mirabilis proportio, quæ

LIBER PRIMVS.

Sono's inter & colores occurrit. Album, & nigrum cum cæteris coloribus bene cohærent: sed optimè albo cum viridi convenit: nam simul juncti procreant octavam; tum album cum nigro disdiapason, cum rubro diapente efficit. Minus bene album cum flavo, vel cæruleo concinit, cum illo diatessaron, seu quartam, cum cæruleo undecimam facit; flavus, & cæruleus pulcrè convenientiunt; est enim inter eos proportio dupla; sic flavus cum viridi diapente efficit; sed cum rubro minimè consentit. Rubeus color cum purpureo optimè consonat, est enim inter rubrum, & purpureum dupla, vt inter rubrum, & cæruleum proportio sesquialtera, quod facile ex iis quæ diximus colligitur. Ne sim longior, non aliæ proportiones ad suavem sonorum modulationem, atque ad gratum colorum aspectum conspirant; nec aliis modis colores, ac soni simul vniuntur; eadem utrobique vel blandiuntur sensibus, vel eos offendunt. At inquires, soni non solitarii considerantur, sed cum aliis vniuntur, vt quemdam efficiant concentum: quid igitur efficit, vt solus color viridis, aut rubeus oculis arideat? An fortè cùm viridem intuemur colorem, albedo R. 3. semper incurrit, cum qua octavam seu diapason facit? quidni albedo ipsa cum aliis coloribus numquam non misceatur; cùm nihil sine lumine intueri liceat? An non lux ipsa candor est sincerus, ac purissimus? an quicquam sine lumine contumur? sed de his tantum est. De coloribus Iridis dicerur alias pluribus. Ecce puerum qui nos ad prandium vocat. Pomeridianis horis quæ ad Astronomiam Physicam pertinent discutiemus.



H iii



LIBER SECUNDVS.

I

De natura & motibus corporum cælestium.

II

CAPUT PRIMUM.

III

Quæ sit cæli, & siderum materia.

IV

- I. *Stellas à planetis secerni, quod ille propriâ luce fulgeant: planetæ vero sint opaca corpora, & lumine emendicato reluceant.*
 II. *Causâ scintillationis stellarum adferuntur.* III. *De Solis natura & maculis varie opinione excutiuntur.* IV. *Agitur de cometarum loco, & generatione.* V. *Calum esse instar aëris spirabile & liquidum concludimus.*

MENANDER, SIMPLICIVS, THEOPHILVS.

M B N. ATIS datum est valetudini, juvat reliquum diem Philosophiæ consecrare.

ST. H. Nihil equidem repugno. Quin igitur ad illa spatha nostra, sedesque pergitus, ubi cum satis erit deambulatum, liceat considere. Hic summâ cum voluptate Simplium de naturâ, & motibus corporum cælestium differentia audiemus.

S I M P. Dicam fâne non quæ vera, sed quæ ad veritatis similitudinem mihi propensiora esse videantur: neque enim ignoras, me probabilia tantum conjectâ sequi: atque ut nihil confusè, aut perturbatè moliamur; primum quæ sit materia cæli inquirendum nobis est; tum de variis siderum motibus agendum; postremò, si vobis ita videatur, quæ ad praxim Astronomicam pertinent exutiemus.

T H. Optime viam quam nos tenere oporteat, ingredieris. Perge queso, nihil te interpellabo, nisi quid forte necesse erit.

S I M P. Quando ita jubes, aggrediar, primum de siderum, tum de cæli materiâ differere. Non equidem à recepsissimâ Philosophorum sententiâ recedam, qui stellas à planetis sejungunt, quod planetæ emendicato dumtaxat lumine, stellæ vero propriâ, atque ingenitâ luce fulgeant. Corpora quippe omnia sunt vel lucida, vel diaphana, vel opaca; hoc est, vel lumen ex se mittunt; vel extra se remittunt; vel denique in se transmittunt. Itaque Sol, & stellæ lucent, planetæ relucent, expansum verò illud in quo sidera veluti suspenduntur, sive aëris, sive cælum, sive æther, aut quocumque alio nomine signetur, tralucet. Sic non ita pridem amicus noster, quem meritò, Menander, laudibus ad cælum usque efferre soles, totum hunc aspectabilem mundum in tres quasi gradus, te coram distinguebat.

M E N. Virum narras singulari doctrinâ, ingenio planè mirabili, atque omni genere laudis excellentem.

S I M P. Nunc ad exorsa revertamur. Cùm fixarum lux sit vegetior, planetarum verò lumen sit placidius, ac debilis; palam est fixas ingenitâ luce fulgere, planetas verò mutuatio dumtaxat lumine relucere. Hinc stellæ scintillant, planetæ non item; quod fixarum lux purissima visus aciem perstrinat, pupillam contrahat, nervulos ex quibus retina contexitur, compungat: sic enim motum illum scintillationis tremulum imprimit; adeò ut Sol, & stellæ intremiscere videantur. Secùs accedit in planetis, quibus nulla, vel parva admodum scintillatio competit, quod sint corpora aspera, & opaca, quæ lucem quidem regerunt, sed reflexione debilitatam, ac pluribus vmbellis temperatam. Profectò tanta est stellarum à Sole distantia, ut Sol ex earum loco visus, vix major mediocri stellulâ appareret. Non igitur lux fixarum adeò vehemens, ex lucis Solaris reflexione proficiscitur, sed ipsis propria est, & congenita. Quod verò Sol, & fixas pupillam magis contrahant, & retinam (sic vocamus membranulam in fundo oculi existentem, in qua rerum imagines depinguntur) vehementius quam planetæ percellant, longè evidenter est, quam ut probatione indigeat: nam lux illa Solis, & fixarum purissima oculos illabens, immadico calore vel motu fortiori crystallinum

*Quid stellæ
à planetis
discriminet.*

*Stellæ pro-
priâ luce
fulgere: pla-
netas non
item.*

r.

z.

humorem, aut retinam lœdit, & forte adurit. Hinc pupillam contrahimus, ne lux vberior oculos offendat. Id videre est infelibus, quorum pupilla de die est angustissima, noctu vero multum apertior. Hinc qui de tenebris in lucem prodeunt caligant oculis, quod vberiore lucem, quam latior pupilla admisit, sustinere non possint. Sic nocte accessæ faces eminunt visæ, longè majores quam revera sunt, apparent: latior enim pupilla majorem quoque objecti lucidi imaginem admittit. Quare stellæ, lucescente aurorâ multum imminuuntur, & noctu longè majores, quam pars sit, cernuntur: tum quod lux illa tremula, & scintillans, plures retinæ nervulos percutiat; tum etiam, quia de nocte pupilla magis explicatur. Accedit denique capillitium, seu coma, quædam lucidis corporibus adhærescens, quæ eorum imagines non parum auget, quod radii corporis luminosi vel in crepidine palpebrarum dispergantur, vel in humoribus oculi refringantur. Indicio est, quod stellæ per angustissimum foramen conspecta, hoc veluti capillitio exuatur. Quæ cum ita sint, dubitari nullatenus potest stellas propriâ luce gaudere, & ejusdem cum Sole esse naturæ, & conditionis. Siquidem tum Solis, tum fixarum, non vagus, sed certus est motus; adeò ut Sol una sit ex fixis, sed nobis vicinior, & fixæ totidem sint Soles, qui tanto à nobis distant intervallo, ut si exuto capillitio cernerentur, vix tamquam puncta lucida nobis apparerent: ita ut Gassendus affirmare non dubitet omnes stellas in unum quasi globum congetas, non majores visas iri, si vti æquum est cernerentur, quam nunc stella primi ordinis conspicitur, adeò capillitium illud quod in humoribus oculi sibi accersunt, pupillæ dilatatio, ac denique vegeti illius luminis scintillatio, stellarum imagines longè quam pars sit majores efficiunt. Nec me fugit quosdam planetas aliquantulum scintillare; quidquid aliter crediderint cum veteres, tum recentiores ferè omnes Philosophi: illud tamen ipsa demonstrat experientia; neque auctoritate, vel ratione, sed oculorum arbitrio haec lis dijudicanda est. Præter cæteros planetas Venus scintillat: nam si per rimulam cubiculi undeque clausi radios illius admittas, imaginem suam in pariete depinget, quasi flammam fumo permistam, & non sine quodam horrore undulantem

*stellarum
cum Sole af-
finitas.*

*Planeta ex-
cepit Luna
scintillans.*

dulantem: quod cum in Lunâ minimè observetur, credidit Keplerus planeras omnes, si Lunam exceperis, propriâ & congenitâ luce splendere. Verum ille fallitur ut qui maximè. Nam Venus easdem ferè quas Luna subit phases, & luminis incrementa, ut tubo optico deprehendimus. Neque hîc excusatio, quæ sit illius scintillationis causa. An fortè ex diversâ Solis illustratione prodeat? Sic enim adamus ex diverso aspectu scintillat. An potius, non Venus modò, sed etiam omnes stellæ, circa proprium centrum torquentur, quæ quidem rotatio scintillationis causa est; atque in ipso Sole ex motu macularum deprehenditur. Sed antequam de his maculis, ac Solis circa proprium axem conversione dicere aggrediar, quid mihi de naturâ Solis videatur, paucis aperiā. Primum, quod figuram illius attinet, eam esse globosam dubitat nemo: sic enim facilius movetur, & commodius in omnes partes radiat. Iamque melioris notæ Philosophi eum astu, atque ut loquuntur, formaliter calidum esse non inficiantur. An calorem igni tribuemus, Sclivè detrahemus? neque hoc loco exspectandum est, dum rem omnibus notissimam, ac sensu ipso percepram, longâ oratione demonstrem. Nulla ratio ignem esse calidum evincet, quam ad Solis calorem comprobandum transferre non liceat. Imò quid obstat, quominus Solem nihil esse quam ignem constanter afferamus? quod enim impensè calidum existit, ac lucidum, quid aliud quam ignis esse potest?

M E N. Bene actum nobiscum puto, quod in Cartesii nostrâ sententiam concedere non dubites. Ille quidem existimat Solem, ac stellas nihil esse quam subtilissimam materiam in centro cujusque vorticis accensam. Vorticem vocat totum illud spatiū, quod septem v. g. planetas complectitur; cuius pars media citissimè rapitur, exteræ eo tardius, quo longius a centro sunt remotiores. Nostri hujus vorticis medium Sol occupat, qui rapidissimè circa suum centrum agitur. Cælestis quippe illa materia cessare non potest, aut motu vacare. Hunc adeò motum Sol spatio 26. vel ad summum 27. diem absolvit. Quod ex maculis solaribus observatur. Maculae porrò nihil sunt, quam partes Solis obscuriores, quas non

Causa scintillationis.

Solem esse auctu caliditatis.

Cartesii de Solis & stellarii naturâ sententia.

De maculis solaribus. multis abhinc annis, post Galilaeum, & Scheinerum immuri ferè Astronomi, tubi optici beneficio deprehenderunt. Atque, ut videtur Cartesio, nigriores illæ maculæ ex particulis striatis, & instar concharum intortis, quæ per polos cujusque vorticis vltro citróque commeant, exsurgunt: namque ut postea dicturi sumus, Cartesius tot vortices, quorū stellas constituit; cùmque singuli vortices circa proprium centrum torqueantur, motus vel nullus est, vel tardissimus circa polos. Quare materia striata per partes polis finitimas facile ingreditur: nam idem ferè in Sole evenit, quod in liquore ad ignem effervescente, cui spuma ex particulis diversæ ab aliis naturæ supernata: illæ etim partes ad motum minus accommodatæ, ab aliarum partium ebullientium agitatione expelluntur, & in vnam molem satis crassam assurgunt. Sic minutæ illæ striatæ cùm sint nimis angulosæ, minus sunt ad motum idoneæ, quare à materiâ subtilissimâ, ut quidam obices expelluntur; & quia tantam agitationem refugiunt, facile sibi mutuò adhærent, & in magnas sèpe moles coœunt; Solis tamen motum instar spumæ quæ liquori innata participant, & cum eo in orbem inoventur, licet aliquanto tardius. Hinc liquet, cur illæ maculæ ab ortu in occasum ferantur, nam Solis motum circa proprium centrum consequuntur. Postquam verò à cælesti, & subtilissimâ Solis substantiâ quasi subiectæ sunt; vel penitus dissolvuntur, cùm Sol eas instar spumæ resorbet; vel in partes quasdam lucidores, quæ faculæ appellantur, facesunt. Ex quibus concludimus, cælum non esse adamantineum, ac solidum, sed liquidum, & spirabile, in quo multa quotidie nova generantur, multa itidem corrumpuntur: Solem verò esse ignem purissimum, qui summum caloris, ac lucis gradum obtinet, nostri hujus vorticis seu mundi planetarii centrum non profrus immobile.

S I M P. Ego nec Cartesio, nec ipsi Aristoteli juratus esse velim; sed ut integra mihi judicandi potestas detur, postulo. Est enim certè servitus, ad certas opiniones se adstringendi, atque omnia quæ præscripta, & quasi imperata sint, defendendi. Quid igitur Solem ignem esse putas, nihil repugno: dummodo purus ignis, qualiter ad usus nostros adhibemus,

Cælum esse liquidum.

non censeatur. Numquid ignis adēd tenuis, & quasi liquidus, suæ figuræ, ac magnitudinis tenax ita futurus est? Summa hæc raritas ad motum minimè videtur accommodata. Est igitur ignis in solido corpore insitus, quod illius calorifica vis acerrima tam longè diffusa planè demonstrat. Nam ignita quæ sunt, eo vehementius vrunt, quo sunt densiora. Neque adēd absurdè eximus Fabry Solem nihil esse quām ignem in auro purissimo quasi implantatum, existimat; neque enim metuit ferrum candens, quòd impensè sit calidum, ignem appellare. Nihil quippe interest vtrum ignis in tenuiori fumo accendatur, vel corpori solidiori insideat, dum summum caloris obtineat gradum. An carbo minùs quām flamma, ignis dicendus est? Iam si rerum caelestium naturas, ex iis quæ sub sensus cadunt divinare liceat; nullum aliud corpus præ auro inveniri potest, quod magis accedat ad Solis similitudinem. Nihil est cujus natura vel purior, vel densior, vel corruptioni minùs obnoxia existat; vnde nec extingui poterit, nec dissolvi. Hinc etiam Sol aureo fulget colore. An verendum est ne suo pondere in terram præcipitetur? Sed Luna, quæ omnium ferè consensu, instar terræ est solidissima, in medio æthere suspenditur, nec deorsum ruit. Sidera quæque suum centrum gravitatis secum vehunt, atque, vt ait Plutarchus, omnes partes ex quibus constant, ad se convertunt; cùmque à terrâ non fuerint avulsa, quid prohibet quin seorsim subsistant suis partibus compacta, & constricta. Addit egregius ille Philosophus quòd singulæ hujus mundi partes, non necessitate, sed ratione disponente suis locis collocantur. Nam neque oculus levitatem suâ in caput compulsus, neque cor suâ gravitate in pedes delapsum est: sed vtrumque ita collocatum, quia hoc modo erat convenientius. Summa hujus responsionis est, quòd cùm gravitas, seu pondus nihil aliud sit quām partis à suo toto revulsæ quādam, vt in id redeat inclinatio: Luna vero, & reliqua sidera nequaquam à terrâ avulsa fuere: quare nihil est causæ, cur in illam gravitate quādam insitâ propendeant. Vnum, vt ingenuè quod res est dicam, si rerum terrestrium, quæ nobis sunt in conspectu, naturæ tantis sunt obstructæ difficultatibus, vt eas evolvere nemo possit; quantò major in cx-

*Opinio P.
Fabry de
natura so-
lis.*

lestibus obscuritas invenitur? Tametsi non inficior multa nos habere probabilia, quæ sequi facile, affirmare vix possumus.

T H. Nunc si placet, redeamus ad illas Solis maculas. Profectò vereor ut satis sint firmæ observationes Astronomorum, inter quos etiam non parva dissensio est: cùm alii nihil eas esse præter quædam sidera, quæ circa Solem, vt minutiores planetæ à Galilæo deprehensi, circa Iovem obambulant, crediderint. Nonnulli autem arbitrentur has maculas nubes esse, aut crassos vapores, quos Solis calor evexit. Finge animo, te vi quâdam majore usque ad cælum lunare sublatum: hinc certe terram despicies nubibus, ac vaporibus tamquam maculis infectam. Quod si terra, vt placet Copernico, ab occasu iunctum diurno motu circa suum axem vertitur, eundem motum nubibus affinges, quæ tamen propter diversos ventorū flatus, aliquando in magnas cogentur moles; nonnumquam distractæ, ac dissipatae carentur. Non dissimili, inquiunt, ratione, solares maculæ, cùm æquabili motu circa Solem progressi videantur, hunc motum ab ipso Sole mutuantur. Nec mirum, si quandoque in medio Solis disco subitò emergant, vel plures in unam coalescant, vel una in plures distrahatur, aut etiam penitus evanescant. Ex quibus id concluditur, has maculas non esse in planetarum censu, nec partes esse Solis eminentiores, quales sunt lunares maculæ, vt suo loco dicendum. Sed cur obscuræ, & quasi atramenti guttae apparent? En quia ex aversâ Solis parte illas cernimus, non ex eâ quæ irradiatur? Placet aliis Solem instar flammæ pabulo egere, maculas vero esse instar fuliginum. Et quia liberum est suo cuique jure uti, & quid ipse sentiat expromere: sunt qui negent Solem totum esse lucidum, sed partes quasdam illius esse obscuriores, instar ellychnii, vel olei quo nutritur, quæ tamquam maculæ apparent. Fingunt alii sibi Solem, ceu quodam ferrum candens aquæ immersum, densissimos vapores ex circumfuso æthere exhalare. Forsitan illæ maculæ sunt in mediâ, vel supremâ aëris regione à corpore solari longissimè distantes. Fors item est ut telescopii vitra defectu aliquo laborent, ac nobis imponant, aut visus error obrepatur. Quidvis aliud malum, quam credere Solem maculis esse inquinatum.

*De maculis
solaribus di-
versa opini-
ones.*

S I M P. Defendat quod quisque sentit; sunt enim iudicia libera: numquam tamen in animum inducam, telescopii vitia nobis illudere: circumacto enim tubo, eadem maculae iisdem in locis videri nequaquam possent: nec plures diversis in regionibus, immo ne in eodem quidem loco constituti easdem obser-
varent maculas. At forte in ipso aere longè infra Solem maculae efformantur. Dic igitur cur in medio dumtaxat Sole, & quasi in illius eclipticâ, numquam prope polos corporis solari conspiciantur? cur tamdiu perseverant? quare plures Astro-nomi tantis locorum intervallis inter se disti, easdem prorsus maculas eodem tempore observant, ut fulissimè demonstrat Scheinerus in magno illo opere, quod hâc de re quæ nunc est in manibus conscripsit, vbi innumerabiles profert observatio-nes adeò accuratas, vt nihil suprà. Omitto quod omnes maculae eadem insistunt viâ, nec tam æquabili motu ferri possint, nisi eidem sphæræ, nimirum corpori solari adhærescerent. Ex-
tra Solem formari nequeunt, quandoquidem extra illius hori-zontem numquam cernuntur. Denique circa illius extremos margines graciliores, & compressiores cernuntur, cum in me-
dio Sole maiores apparent, ratio ex opticâ colligitur: nam quæ sub majori angulo cernuntur, majora quoque apparent. Non igitur aliunde quâm è corpore solari ebulliunt: neque inter sidera censeri debent, vt pulcrè demonstrasti; quamvis unifor-mi periodo, atque in eadem semper serie, ceu stellæ in firmamento, moveantur, quod vñà cum Sole vertiginem suam con-ficiant. Vix vñquam eadem macula post integrâm Solis con-
versionem revertitur: non igitur sunt montes in Sole assurgen-tes, vel sidera ei affixa. Sæpe evenit vt color ater maculae pau-latim imminuantur, & tamquam umbra dilutior videatur, deinde abeat in luculam, sic enim vocant maculas quarum mar-gines sunt illustriores, quod priùs accendantur; atque vbi tota macula sit lucidior, tum facula nominatur. Quocirca um-bræ sunt tenuiores maculae, quæ lumen Solis penitus non ob-tundunt; luculae extremas partes graciliores obtinent, ac lumi-ni magis pervias; faculae vero sunt partes Solis lucidiores, seu ex macularum veluti cineribus, seu ex aliâ occultiore causâ prodeant. Nam satis verisimile est, maculas similes esse iis for-

*Maculas in
Sole ipso.
non in aere
existere.*

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.

*Iffainfrids
sunt aliæ
cidore.*

dibus quas fluiis innatare post inundationem cernimus; easque ex variis haliguum corpusculis constare, quae propter celerimam Solis turbinationem, vel in vnam coēunt molem, vel in plures disperguntur: atque in luculas transeunt, cùm earum limbus citius, quam partes mediæ; in faculas, cùm omnes partes penitus accenduntur. Sed minime necesse est ut quæ sit macularum natura, quomodo accendantur, vel extinguantur, longa disputacione inquiramus. De his enim nihil certum, nihil omnium consensu probatum afferri potest. Id vnum satis liquet, eas non in aëre, sed in ipso solari corpore, vel saltē quam proximè generari. Neque verò opus est, vt cum visus periculo maculas intueamur: nam cominodè licebit eas cerner in cubiculo vndequeque clauso, excepto foramine, per quod radii solares admittantur, iisque per exquisitum telescopium excepti, Solis imaginem amplam quidem, & distinctam in chartâ oppositâ reddent, in quâ omnes Solis tum maculas, tum etiam faculas, non sine aliquâ voluptate contueri juvabit. Sol tibi aliquando nullis maculis obvolvutus, non raro quasi densâ caligine circumfusus apparebit: adeò vt sæpe per aliquot dies triste, & pallidum lumen præbeat. Habet quid de maculis solaribus sentiam: nunc de ortu, & loco cometarum pauca subjiciam.

De cometarum generatione. Cometa sunt maculis finitimi, & forte ejusdem naturæ, ac conditionis. Illud quippe observatum est, nullam in Sole maculam visam fuisse toto illo tempore, quo cometa anno 1618. apparuit. At longa erit oratio, longæ ambages, si de cometarum generatione ac naturâ disputare volumus: nam Philosophi qui de iis conscripserunt, tantâ sunt in varietate constituti, vt infinitum sit omnes eorum annumerare sententias. Sed tamen in tam patenti campo non expatriari difficillimum est; maximè cùm hæc inquisitio non parum lucis ad corporum cælestium naturam investigandam afferat. Dicam igitur non omnia, sed quæ mihi verisimiliora videantur. Ac primum, quid Philosophorum princeps senserit non ignoratis. Statuit ille quidem cometas nihil esse prater halitus siccios, pingues tamen, & viscosos, atque in supremâ aëris regione inflammatos. Eâ potissimum ratione persuasus videtur, quod postquam cometa appa-

Opinio Ari-
stotelis.

ruit magnæ siccitates consequuntur, ac diuturni, & insalubres venti aërem inficiunt; quod sulphureæ, & venenosæ exhalationes in cometes pabulum, è terrâ continenter ebulliant. Accensus enim cometa eo ferè nutritur modo, atque novos halitus evehit, quo videmus extinctæ candelæ fumum ab alterius flammâ rapi; vel ignem per longam pulveris pyrii seriem serpere. Iam tamen plerique Philosophi Astronomorum *Refellitur.* observationibus non parum commoventur, quibus cometas in cælo generari demonstrant. Illud etiam non parum momenti obtinet adversus Aristotelem, quod à Senecâ objicitur. Quæcumque aër creat, brevia sunt, nascuntur enim in re fugaci, ac mutabili: sed cometæ vel senis mensibus continuis manent. Fieri igitur non potest, vt certus, & constans ignis in corpore vago fedeat, & ita pertinaciter hæreat. Quod si illa exhalatio sulphurea denso, & compacto insidet corpori, tanto citius absumentur, quanto fortior erit inflammatio: sed si exhalatio sit materiæ tenuioris, ac rarioris, momentanea quoque futura est. Quid igitur causæ est, cur cometa tamdiu perseveret? sed, *Responsio Peripatet.* inquiunt, accensus cometa pabuli sui venam sequitur, ac novos subinde halitus quibus nutriatur è terræ penetralibus evocat. Enimvero cometa non eodem loco consistit, sed instar siderum movetur: ergo necesse est, vt in diversis terræ regionibus, novus halituum proventus indesinenter erumpat. Illud *Refellitur:* omnino supra fidem est, exhalationem sulphuream, & bituminosam in aëre accensam, adeò religiosè primi mobilis sequi motum; vbique terrarum apparere, ac nullam ferè parallaxim, seu aspectus diversitatem subire. Quamvis Luna plusquam 80000. leucarum à nobis distet intervallo, eodem tamen tempore è diversis terrarum partibus, Constantinopoli v. gr. & Parisiis, sub iisdem stellis non conspicitur; neque eodem in loco cernitur, ac si à terræ centro videretur, quæ quidem diversitas è sensibili telluris mole orta, paralaxis vocatur. Omnes cometæ qui centum abhinc annis visi sunt, atque ab Astronomis peritissimis observati, longè minorem, quam Luna paralaxim habuere: ergo necesse est eos Lunâ multò sublimiores fuisse. Cùm enim sensibilis terræ moles illam de quâ loquimur efficiat aspectus diversitatem; quo astrum longius à nobis distat, eo mi-

*Cometas in
ipso aëre
formati.*

1.

2.

72 ASTRONOMIA PHYSICA.

nūs paralaxeos obtinet. Sic stellæ in iis prorsus videntur locis, in quibus à terræ centro spectarentur, quod terra firmamento comparata, instar puncti obtineat. Sedenim, inquiunt, quām incerta est & obscura paralaxium doctrina? neque hinc vñlum satis firmum duci potest argumentum. id verò suo loco excutiendum erit. Profectò id constat, ipsius cometæ caput, globum terrestrem magnitudine suâ saltem adæquare, cùm vbi-que, & in eodem prorsus loco videatur. Quanta igitur futura est cauda, quæ aliquando quartam cæli partem occupat? vnde tanta sulphureæ exhalationis copia suppeditari potest? quo-
*Effugium
navefario-
rum.*

*Varia in-
stansia.* circa cometas in cælo efformari nemo nisi idem Astronomiæ imperitus inficiabitur: tametsi cuius sint naturæ, vix audem affirmare. Nam ineritd dubitari potest utrum inter æterna na-
turæ opera censeri debeant; an sint quidam veluti planetæ, qui ex uno in alium vorticem commigrent, ac sub aspectum no-
strum cadant, cùm nobis sunt viciniores: sic videtur Cartesio:

*De cometa-
rum naturâ
varia sen-
tencie.* adeò vt inter planetas, & cometas hoc discriminis intercedat, quod illi semper in eodem vortice, & quasi in eadem statione permaneant: cometæ verò sint tamquam ingenui homines qui nulli civitati addisti per omnes divagantur. An forte, vt

z. Blanconi. putat Blanconius, stellæ sunt, quæ cùm ad perigæum pervene-re, sub obtutum veniunt? Vtraque tamen sententia mihi dis-
plicet, cùm stellæ vel planetæ nec comam, vel capillitum ge-
stent, nec caudam trahant. Numquid ergo in Kepleri sen-

z. Kepleri. tentiam concedemus, qui cometas nihil esse putat præter cæle-stem auram vi quâdam occultiore condensatam, quæ radios Solis colligit, ac certis coloribus tingit, imò & vnitos disper-git? hinc cometæ cauda Soli semper aversa projicitur. Idem enim venit quod in globo vitreo, quem si aquâ compleveris, & foraini cubiculi ex omni parte clausi, sic aptaveris, vt radii Solares dimidiâ dumtaxat globi partem collustrent; tum eertè radii luminis in quodam puncto collecti, rursus disper-gentur, atque in opposito pariete speciem cometes suâ caudâ instructi, exhibebunt. Fieri etiam potest, vt materia quæ cau-dam efficit, rarer existat, adeò vt solares radii eo scèrè modo dissipentur, quo per nubium hiatus, sub ortum vel occasum Solis transmissi ac dispersi, lucidiores quasdam virgulas ex-
primentur.

munt. Fors item est ut caput cometæ accensum, quemdam veluti fumum continenter exspiret, quod effluvium ubi terram contingit, totum aëra veneno inficit. Nec mirum si radij solares caudam cometæ rariorem in oppositam partem expellant; nam vim quamdam motricem habent, cum nubes ipsas discutiant: atque ut rami arboris faciliter, quam truncus ipse à ventis agitantur; sic pars illa cometes minus compacta, & magis diffusa quam facillime à solaribus radiis instar capillitii dispergitur. Postremò, cauda nonnihil à capite declinat, neque in rectam lineam porrigitur, sed aliquantulum incurvatur, quod parallaxi acceptum referri minime potest; non enim efficit parallaxis ut quæ recta sunt, curvæ appareant. Forsitan id accidit, quod cum cœlestis materia densior facta, cometes caput efficiat, cumque non sit vniuersusmodi, & ejusdem densitatis, non tota radios solares transmittit; quare in alterum latus deflectuntur. Accedit etiam quoddam radii luminosi, propter diversam materiarum dispositionem, alii longiores, alii sunt breviores, quod vel citius coeant, vel latius spargantur, atque vniuersi simul juncti caudam in arcum curvatam exhibeant. Eadem certè est causa declinationis, atque inflexionis caudæ, in quamcumque enim partem declinet, in eamdem incurvatur. Haec tenus de cometarum loco, & naturâ, quid alii sentiant exposui: ego vero ut ingenuè quod mihi videtur dicam, cometas ex iis rebus esse puto, quarum eventa magis quam causas queri oporteat.

T H. Quamquam vix dissentire audeam ab Aristotele, qui aperte negat cometas in cælo generari; tamen ipsa me experientia cogit recentiorum Astronomorum sententiae accedere; non quoddam existimem cum plerisque, cometas Sole semper esse sublimiores: id enim quandoque accidit; sed & Sole depresores non raro cernuntur: immo cum Cartesio putem cometas nonnunquam ex uno in aliud cælum commicare, quod præter cetera parallaxis demonstrat. Sed nego cometam in censu planetarum esse reponendum: cum enim sub Sole conspicitur, numquam falcatus instat Luna, aut Veneris apparet. Quocirca non abhorret à vero, cometam esse exhalationem sulphuream, eo ferè modo in ipso æthere, quo fulmina in aëre, ac-

*De natura
& loco co-
metarum
verisimilia.*

censam. Hinc sensim imminuitur, ac s^epe instar flammæ sub-
sultat, itm aliquando è cometa scintillæ tamquam fulgetra
emicant. Eadem forsitan est, vt pulcrè dicebas, macularum Sol-
is, & cometarum materia, ac diversos colores induunt, pro
materiæ diversitate; sensim decrescunt, quod materia accensa
paulatim exhaletur; nec vllis maculis Sol involvitur, cùm ali-
quis cometa appareat, quod in utrisque eadem sit materies,
qua ab inflammato cometâ rapitur. Sed vnde illud capillitum,
Alla in longum porrecta cauda? an quod sulphurea flam-
ma cùm sit impurior, Solis radios frangat? Color ille lividus,
quem p^rae se fert cometa, magnum sulphuris proventum de-
monstrat: sic fumus plurimus quem cauda exhalat, forte ex
bituminosâ materiâ proficiscitur. Radii solares per sulphuris
flammam trajecti, atque in obscuro cibiculo per foramen ex-
cepti, cometes caudam apprimè delineant. Quod si cometes
flamma, vel nulla sit, vel purior existat, quān^t ut radios solares
infringat, cum nullam caudam trahit, in nullam effunditur co-
mam. S^epe evenit, vt caudâ præeunte, cometa moveatur, vt
quando circa auroram matutinam appetat; vnde quidam col-
ligunt caudam non esse flammatam cometes; hæc enim cùm sit
levior, partem crassiorem semper consequitur, vt videre est in
flammatâ facis accensæ, quæ faciem motam subsequitur. Itaque
caudatus est cometa, quia radii Solis in flammatâ tenuiori, vel
potius in fumo refringuntur. Caput cometæ medium s^epius
locum obtinet, quod radios à Sole directiores, & confertiores
excipiat. Denique cometa crinitus aliquando appetat, quia
flammatæ qualis est, & interrupta. Ex quibus certè concludi-
tur cælum vt ætrem, esse generationis, & corruptionis se-
dem, quidquid aliter senserit Philosophiaz princeps: sed vni
veritati litandum est, nec sine ratione valere debet aucto-
ritas.

*Cælum esse
Liquidum &
Ospirabile.* Faceſſant igitur qui cælum ſolidum, ac veluti ferreum eſſe, ne Peripateticæ Philosophiæ dertioreſ, ac transfügæ videantur, contra rationem ipmam, atque experientiam pertinaciter defendunt; atque altra in cælo, vt clavos in rotâ moveri putant; innumeris epicyclis cælum perforant, & confundunt. Sanè quidem, ſi multa vitra etiam puriſima ſimul jungas,

multum opacitatis habeant necesse est. Quantà igitur opacitate totum cælum obducetur, quantas refractiones patietur, si solidum sit, & compactum? Iam quâ ratione cælum inferius à superiori rapi possit, ne suspicione quidem comprehendunt. Quòd si, vt solares maculæ demonstrant, Sol circa proprium centrum vertitur, quid est cur astra extrinseco, non proprio, & insito motu in liquido æthere ferantur? Illud quoque silentio præterire non possum, quòd cùm cælestes globi sint politi, & tereti, inferiores, & sibi subjectos premere, & abripare non poterunt. Sed de motibus corporum cælestium mox dicemus: hîc demonstrasse sufficiat cælum non esse generationis, & corruptionis expers, sed liquidum, ac spirabile instar aëris existere. Nec me multùm movet quod subinde opponunt, nullam in cælo esse contrarietatem, nullum adeò generationi, vel corruptioni locum; idque ex motu circulari cui nullus alias adverfatur, demonstrari posse existimant. Elementa quippe cùm motus habeant oppositos, ac deorsum, vel sursum rectè ferantur; nihil mirum si corruptionem inducent. Sed cælum corpus est simplicissimum, atque perfectissimum, liberum adeò est ab omni corruptionis veneno; non enim contrariis motibus agitantur, vt elementa. Hinc Sol, & stellæ, quam in suâ conditione naturam accepere, integrum hactenus conservant. Nulla stella tot retro saeculis vel penitus extincta est, vel mole diminuta. Iam incorruptibile corruptibili longè præstantius est; quid porrò cælo nobilius? Hæc sanè solitu minime sunt ardua. Quid enim, si negem motum rectum, vel terræ, vel aliis corporibus convenire, nisi quatenus sunt à suis locis revulsa, vt per brevissimum tramitem eò revertantur vnde prodiere. Quòd verò afferunt nullam generationem hactenus in cælo fuisse animadversam, id certè falsi revincitur, tum ex cometis, tum etiam ex solaribus maculis. At nulla, inquiunt, in cælo est contrarietas, id ipsum est quod in quaestione versatur. Numquid densitas, & raritas, quas in cælo esse nemo negaverit, inter se opponuntur? Sed omnes stellæ quæ in prima rerum conditione productæ fuerunt, adhuc perseverant, nec mole, nec motu multatae. Idem prosus de terrâ dicemus, quæ tamen est sedes, & quasi matrix omnium generationum. Addamne quòd novæ

Objecta:

1.

2.

3.

4.

Reſp.

1.


2.

3.

K ij

quandoque stellæ emergunt, ut quasdam nonnumquam ab
 4. leti certum est. Notissima est stella quæ in Cassiopæa sub finem
 anni 1572. usque ad initium anni 1574. toti orbi apparuit. Sic
 vicissim olim septem pleiades numerabantur; nunc sex tantum
 recensentur. Aliæ quoque majores, aliæ minores, quam à veteri-
 bus Astronomis noratae fuerint, nunc visuntur. Non quod exi-
 stiunem stellas quæ telluris globum magnitudine vincunt, cor-
 ruptas vel extinctas fuisse; sed fieri potest, ut quædam crassissi-
 mis maculis obducantur, atque nobis occultentur; ut vice
 versa novum sidus effulgebit maculis dissipatis, quibus antea
 tamquam corticibus fuit involutum. Quo tempore stella no-
 va in Cassiopæa apparuit, quamdam in viâ lacteâ plagam de-
 fecisse, ac magnum veluti hiatum in eâ regione visum esse no-
 bilissimus Tycho observavit. Hinc conjectit vir doctissimus ex
 illâ materiâ, vel stellulis quæ lacteum candorem exhibent,
 novum Cassiopæa sidus emersisse: neque enim longè ab illâ
 regione distabat. Postremò, quod aiunt incorruptibile esse cor-
 ruptibili præstantius, non facile conceditur. Nec sterile au-
 rum terræ feracissimæ præferendum puto, si ad rectam ratio-
 nem rem totam exigimus. Quod si terra nihil procrearet, nihil
 profectò foret quam vasta solitudo. Numquid melior est, ac
 præstantior, cum in omnis generis stirpes, atque animantes
 se resolvit? Non quod ita insaniam ut in cælo novos incolas, vel
 animalia inesse putem: preterquam enim ex Scripturâ contra-
 trium facile colligitur, nullâ ratione id potest persuaderi. Ex
 his ergo quid sequitur, nisi ut raseam? nam conclusio ipsa lo-
 quitur, cælum non esse solidum, & incorruptibile, sed fluidum
 potius ac spirabile. Primò enim, cometæ in cælo solido
 generari qui possent? nec facile concipitur quomodo ab inferi-
 orि cælo in sublimius descendere queant. Deinde quā ratio-
 ne fieri potest, ut cælum Iovis Martis orbem abripiat, nec Mars
 motu Iovis proprio feratur. Profectò tot orbes excentrici in-
 numeras refractiones inducerent; nec umquam fidera in pro-
 priis locis liceret observare; neque adeò perspicui erunt, quin
 præ soliditate multum luminis ad nos usque reflectant; itave
 numquam nox Solis lumen nobis eripiatur. Denique Sol, ut di-
 ximus, circa suum axem torquetur, quod ne concipi quidem

poteſt ſi ſuo cælo affigitur. Hic plura adderem de Marte, quem Sole inferiorem recentiores Astronomi poſt Tychoneum Braheum obſervarunt; quare neceſſe eſt ut cælum Martis, Solis orbitam interſecet, quod cum ſoliditate cæli non conve- mit. Sed haec vobis ſunt notiſſima, mihi ad commemorandum non neceſſaria. Omitto etiam Solem quinque planetarum moṭus regere, ac moderari, quod explicari minime poſteſt, niſi cælum fluidum, ac liquidum ſtatuaruſ. Sed de natura cæli, ac ſiderum ſatis multa: nunc moṭuum cæleſtium traſtatio- nem aggrediamur.



CAPVT SECUNDVM.

De moṭu diurno.

- I. *Problema de telluri moṭu vel quiete ſoluitur.* II. *Quædam ex Euclide, & Theodoſio demonſtrationes, ad ſphæra celeſtis explicationem neceſſarie præmuuiuntur.* III. *Circulorum qui in ſphæra delineari ſolent, uſum percurrimus.*

MENANDER.

MERITO te amo, mi Theophile, quod apud te plus ratio poſſit quam auſtoritas: quid enim no- bis cum Aristotele, vel Platone, ſi à veritatis ſe- mita deſlectant. Nunc vero quis tam imperitus, quis tam procul à Philosophiâ, ut cælum ſoli- dum, ac veluti adamantineum eſſe pertendat, atque astra ut clavos in rotâ moventi exiſtimet. His etiam rationibus quas fuſe expoſuisti ſphaerarum cæleſtium diſtinctio penitus de- ſtruitur, ac prium mobile de medio tollitur, quod nullâ mentis agitatione concipi poſteſt, ſi cælum iſtar aëris ſpirabi- le conſtituamus.

SIMP. Cū ſidera dupli ſaltem moṭu ferantur, diurno nimirum, qui omnibus communis eſt, & alio quodam moṭu ſingulis proprio, quem Luna menſtruo, Sol annuo ſpacio

K. iij

78 ASTRONOMIA PHYSICA.

emetitur; necesse est ut ex his duobus alterum concedamus, vel eidem corpori cælesti duos motus, etiam sibi adversos, & repugnantes tribuamus; vel primum mobile, quod omnes abripiat spheras, esse fateamur.

Rationes
pro terra
motu diurno.

1.

MEN. Quid si ego contendam diurnum motum quem tu primo mobili affingis, ad terram ipsam pertinere? Profectò cùm eadem prorsus phænomena contingent, seu terra, seu cælum moveatur, cùmque natura compendio, quanto potest maximo operetur; quis non fateatur terram potius, quam cælum quotidiana conversione ab occasu in ortum moveri? Hanc rationem non prætervolant, sed multum dilatant Copernicani. Quis, inquiunt, credat stellas incredibili celeritate torqueri, adeò ut intra arteriæ pulsus multa milliarium millia conficiant, cùm natura eumdem finem per terræ motum consequi possit. Idem hic vñvenit, ac si quis vrbes & montes circum se moveri jubeat, ne oculos vel caput circumageret cogatur. Addunt illud monstri esse similes, cælestes globos eō velocius ferri, quo terræ sunt viciniores. Nam Luna intra mensem, Sol vnius anni intervallo, Mars biennio, Jupiter 12. annis, Saturnus 30. Firmamentum 36000. annis suas absolvunt revolutiones; quod verò omnem ordinem conturbat, primum mobile spatio 24. horarum, inæstimabili celeritate gyrat, inferiorisque spheras etiam tenentes, imò ipsum aërem rapit. Hujus enim aëris motum perpetuum, ac minimè interruptum experiuntur qui sub æquatore navigant, ac longè facilius ab ortu in occasum, quam vicissim ab occasu in ortum devehuntur. Quis autem ignorat terram in medio aëre pensilem, atque ad motum, vel quietem prorsus indifferenter, totius mundi agitationi non posse resistere? quid enim est cur tam præceps impetus tellurem non abripiat? An illius pondus obsistit? Sed quam minimo impetu de loco suo depelli potest, cùm in ipso aëre suis libretur ponderibus. Quid igitur obstat quominus instar rotæ, quæ horizonti ad perpendicularm insistit, & parvo momento impellitur, circa suum centrum agitetur? Est quippe terra tamquam globus exquisitæ & libellatae planicie impositus, vnde quam minimo appulsi cœri debet. Numquid Luna, & cæteri planetæ, majorem cum

2.

4.

D
a
z
P
D
x
t
b
u
n
t
e
A
e
r

terrâ quâm cum Sole , & fixis quæ propriâ luce fulgent, atque ignis, vel flaminæ naturam referunt, cognationem habent? Siquidem planetæ inter corpora opaca recensentur: jam sex planetas non stare immobiles constat; de terrâ, Sole, & fixis controvertitur. Quis non potius telluris globo, quâm Soli, & stellis firmamento infixis, hunc motum concederit? Nisi quid Sol etiam & fixæ circa suum centrum volvuntur, quem motum solares maculæ demonstrant, stellarum scintillatio, atque earum cum Sole affinitas, eodem illas motu agitari facile persuadent. Fluxum verò aëris ab ortu in occasum, qui sub tropicis percipitur, potius terræ motui quâm primi mobilis rapiditatē tribuendum puto: nam globus terrestris velocissimè circa æquatorem agitur, atque huic celeritati minus aér obsequitur, vnde in contrariam partem videtur refluere. Accedit illud etiam minimè contemnendum, quod stellæ novæ, atque ipsi cometæ de quibus suprà diximus, diurno motu ferruntur, cuius causa non facile reddi potest: nam primum mobile jam expunxiimus, atque omnis violentia, vel motuum contrarietas procul à cælo abest: nec cometæ vlli cælo sunt affixi. Quare subductis omnibus rationibus, restat ut diurnus terra motus ab occasu in ortum, cometis affingatur; ita ut ab ortu in occasum ferri videantur; quemadmodum qui in navi pervehuntur, arbores in partem oppositam agi putant; juxta illud Poëtæ,

Provehimur portu, terra que urbēsque recedunt.

Hic non dispergo vitrum terra in medio mundi constituta, circa suum vertatur centrum, vt placet Origano, & Longomontano. An potius Sol in medio mundi consistat, terra verò vt planeta non ignobilis Martem inter & Venerem, in magno orbe circa Solem spatio annuo revolvatur, vt Copernicus, & alii bene multi contendunt. In præsentia mihi satis fuerit, telluris motum diurnum firmissimis rationibus stabilisse, quem si, vt æquum est, admiserimus, nulla in motibus cælestibus contrarietas negotium nobis facesset. Atque, vt quod res est loquat, terra Sole, & stellis indiget, non Sol terrâ. Quidni ergo terra potius quâm Sol moveatur. Nec Solis ignea natura cum motu annuo bene convenit: maximè cùm circa se jam

*Hic motus
Solis an-
nus circū
proprium cē-
trum in sub-
sequentia ca-
pite demon-
strabimur.*

duplici motu torqueatur; alterum intra mensem, alterum intra annum absolvit, ut ex solaribus maculis colligitur. An duos insuper motus his adjiciemus, diurnum unum, & alterum annum, ut nihil dicam de motibus apogei. His rationibus instructi in aciem prodeunt Copernicani, ut opinionem suam ab illâ quam præ se fert absurditate vindicent.

*Rationes
contra terrae
motum.*

T. H. Nihil sanè dici potest inconsideratus; nec quicquam magis à communi sensu abhorret, quam Soli motum detrahere, ut terræ tribuatur. An qui ita sapiat, non prorsus insaniat? quid terrâ gravius, quid stupidius, quid ad motum ineptius? Horum alterum concedant necesse est, vel terram in medio mundi circa suum axem gyrate, quæ sententia minus absurdâ mihi videtur, (quamvis ea sit centri conditio ut quieteat) vel inter planetas loco Solis substitui, ut magnum orbem circuitu suo perlustret, in quam sententiam præcipites eunt recentiores ferè omnes Astronomi. Sed sacræ Scripturæ auctoritas eos erroris convincit. *Terra*, inquit Ecclesiastes, *in aeternum stat, Sol oritur, & occidit.* Et apud Iosue, *Sol contra Gabaon ne movearis, stetisque Sol in medio celo.* Hinc Psaltes Regius, *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.* Alia passim occurunt loca, quæ hujus novellæ opinionis jugulum petunt. Quod de Platone dicit Cicero, id sanè meliori jure de Scripturâ divinitus inspiratâ pronuntio. Etiamsi nullam rationem afferre possem, quâ illam defendarem, tamen ipsâ auctoritate me frangeret. Verum, inquiunt, Scriptura fere ad captum nostrum accommodat, non quid sit, sed quid videatur docet: maximè cum hac ad morum institutionem non pertineant. Sie Angeli qui Abrahæ, & Apostolis apparuere, viros aut juvenes identidem appellat. Sic Lunam, luminare magnum vocat, cum inter sidera sit ferè mole minimâ. Crede mihi, præstat ignorare quod sacra reticet Scriptura, quam impugnare quod docet. Non ignoro sape eam infirmitati nostræ blandiri, atque ad vulgi captum fere deprimere: sed ubi vel nulla demonstratio, vel nulla contrarium persuadet experientia, quid est eur verbo Dei non credamus? Lunam, inquiunt, vocat luminare majus. Quid tum: nonne majus quam reliqua sidera nobis

*2. Ex Seri-
pura auto-
ritate.*

nobis lumen affundit? Non inficior tamen quas haec tenus contra terrae motum rationes adduxerunt, vix ullius esse momenti: nam sive terra cessante Sole, sive Sol & fixae moveantur quiescente terrâ, eadem prorsus phænomena apparent: exemplum navis quod usque ad naufragium regerunt, satis pulchre rem totam explicat. Primum enim, lapis è pede mali sursum emensus, in eundem locum relabitur, sive navis quiescat, sive moveatur: tam facile versus proram quam versus puppim ambulabis: pisces in pelui repositi, in omnes partes æquâ facilitate natant: aves in magnâ navis camerâ existentes, non ægrius in unam, quam in alteram partem volitant: neque etiam bombardâ longius versus puppim, quam versus proram exploditur. Hæc ad terram facile transferunt, quæ licet citato cursu promoveatur, nihilominus eadem prorsus accident, ac si immota consisteret. Nam gravia ad perpendiculum cadunt; in omnem partem liberè ambulamus; nec motus ille terræ vel animalium incessum, vel avium volatum quicquam moratur, quod communis motus imprimatur terræ, aëri, & omnibus quæ terrâ, atque aëre continentur. Duo sunt tamen, quæ Copernicani non facile expediunt.

Primum quidem, vix obtinebunt aërem eodem cum terra motu agitari. An terra suum motum aëri imprimit? an potius utrique corpori, diversæ licet naturæ, hic motus congenitus est: nemo facile crediderit universam aëris molem à terrestri globo abripi: nam illius partes male sunt colligatae, ac motum reluctantis aëris, non sub æquatore modò, sed etiam in aliis regionibus nullus non perciperet. Quod asserunt Solem circa suum centrum contorqueri, atque hoc motu totum expansum æthera movere, quo agitato terra, & cæteri planetæ, tamquam naves in mari cidentur, eo tardius quo longius à Sole distant; quod volunt somniant. An motus aëris, qui nequidem pereipitur, tam ingentes moles, tantâ celeritate impellit? Sol intra mensem circa se vertitur; terra spatio diurno revolvitur: quid hunc terræ motum adeò concitatum procreat? Sed forte terra in medio aëre pensilis, quam minimo momento impellitur. Praclarè quidem. Nullum tamen corpus moveatur, nisi ab impetu per omnes partes diffuso. Quid hunc

*Vulgata cō-
tra terra mo-
tum rationes
non satis fir-
me videtur.*

L

imperium efficit? An insensibilis materiæ cœlestis, vel aëris motus? Deinde cùm objectiones Ptolemaei diluunt, nescio an satis aptè respondeant. Opponit quidem Ptolemaeus, quòd si terra spatio 24. horarum circa suum centrum ageretur, ædificia corruerent, ac terra ipsa tanto impetu agitata dissolvetur. Respondent, ædificia vñā cum terrâ deferri; nec globi terrestris motui resistere, qui cùm sit naturalis, non violentus, nihil est quòd metuamus ne terra dissipetur, nisi fortè in corpus aliquod solidum offendet, vel repente fisteret. Cùm etiam stellarum motus sit saltem quinquages millies velocior, cur timer Ptolemaeus ne terra propter diurnæ conversionis perniciatem dissolvatur, non autem metuit stellis fixis, aut firmamento. Hæc sanè rationem Ptolemai minimè infringunt. Nam vt rota citissimè agitata globulos sibi impositos procul expellit; sic terra tantâ incitatione æcta turres, & ædificia excuteret: non secùs ac qui secundo flumine, & velis passis in navi pervelhuntur, hunc motum minimè sentiunt; sed vbi navis in orbem gyrat, tum qui stant, vacillare incipiunt, & sepiissime cadunt. Quod descensum gravium attinet, bellè explicant quâ ratione terræ motus nullatenus obstat, quominus ad perpendicularum decidunt: sed tamen ne quid dissimulem, lapis è summo navis malo demissus, aliquantulum tardius delabitur, quam si immotâ navi descenderet, quòd hic lapidis motus jam compositus, & quasi curvilineus existat: tametsi iis qui navi vehuntur, rectus, & perpendicularis appareat. Quantò etiam celerius navis promovetur, tanto tardius lapis decidit, quia diagonalis, seu transversa linea, quam motu suo describit, longior existit. Siquidem lapis duplice impetu in diversas partes actus (nam & navis motum horizontalem consequitur, & proprio pondere deorsum ruit) mediâ insistit viâ, vt suo loco eumulatè demonstravimus. Nec difficile est hæc omnia ad terram traducere, vbi gravia non perpendiculari motu, sed composito, & curvilineo deorsum ferrentur, quod non ægrè admittitis; sed negatis illum curvilineum motum percipi posse. Cùm vero terre motus sit celerrimus, longè tardius decidunt necesse est, quam si immota terra supponatur. Iam vtrum hæc cùm experientiâ & ipsius mechanices legibus bene conve-

riane, ipsi videritis; nobis hæc commenta non placent.

Nunc videamus quæ contrà ab his disputari solent. Sol, inquiunt, tantâ incitatione fertur, vt celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit: quanta ergo firmamenti pernicitas futura est? Quàm metuendum erit ne stellæ fixæ tam præcipiti motu actæ, penitus dissolvantur; cùm immensa propè sit eorum à nobis distantia, ac nullam patientur parallaxim. Illud scilicet est omnium qui sese in Copernici familiam tradidere, formidolosum argumentum. Et quòd magis motus ille incredibilis appareat, distantiam fixarum ambitiosè augent, vt firmamenti motus pernicitas nullam fidem obtineat. Quibus id vnum repono, ne omnipotentiæ divinæ terminos præscribant, neque illud impossibile definiant, quod facile animo non comprehendunt. Quis nescit circulum eo faciliùs, ac celerius moveri, quo major exigit? Hinc firmamentum incredibili celeritate agitur, quia longissimè à centro distat. Nec major subest difficultas in tanta perniciate concipiendâ, quàm in æstimandâ firmamenti mole propè immensâ. Negant stellas omnes in gratiam hominis fuisse conditas, atque eas esse quasi totidem Soles arbitrantur; adeò vt si è firmamento Solem intueri licet, is non major, quàm stella videretur. Illud quidem rectè consequitur, si tanta sit firmamenti à nobis distantia, quantum ad libidinem singunt. Quòd si locis non rationibus pugnandum foret, non difficile esset ex sacræ Scripturæ inconcussâ auctoritate demonstrare, stellas propter hominem creatas fuisse, vt essent in signa, & tempora. Sed occurunt. Numquam natura per ambages operatur, quod paucis expedire potest: cur igitur tanta sphærarum cælestium machina moveatur, cùm ex telluris motu iidem consequantur effectus? hæc sanè opponi non possunt ab iis qui cælum, ac terram moveri concedunt. Non enim Copernicani idem cum Nicetâ Syracusio censem; cælum, Solem, Lunam, stellas, supera denique omnia stare: neque præter terram, rem ullam in mundo moveri, quæ circum axem se summâ celeritate convertat; & torqueat. Imò Cartesius tot vortices, seu mundos constituit, quot sunt stellæ fixæ; itavt Sol sit stella in centro sui vorticis existens, quæ circa suum axem vertitur, ac totum hunc plane-

*Objeta &
luuntur.*

1.

2.

L ij

carum mundum circumagit, æthere verò agitato, planetæ tamquam naves in medio mari deferuntur. Hinc negat terram, vel planetam vllum moveri, cùm motus ille ad expansionem æthera, non ad terram pertineat. Quemadmodum navis secundo fluvio delata, nullisque ventis, aut remis impulsa, non movetur, si propriè, & ad veritatis legem loqui volumus; cùm motus ille non navi, sed aquæ præterfluenti sit tribuendus. Simili ratione terra in agitato æthere defertur quidem, non movetur: maximè, cùm à viciniâ corporum non recedat. Quidquid autem movetur, & locum mutat, & à corporum circumiacentium vicinitate sejungitur. Stellæ autem (si Cartesium audimus) circa suum centrum se convertunt, ac singulæ instar Solis suum vorticem agitant, & irradient. Quamquam prænimiâ distantiâ planetæ stellis finitimi non videantur. Sed tamen cùm ibi sint corpora lucentia, stellæ nimirum, cùmque sint etiam traluentia, & pellucida, nempe æther in quo fluitant; ordo, & series vniuersi id videtur postulare, vt ibi quoque corpora reluentia, & opaca, quæ planetæ dicuntur, occurrant. Hos quidem, vt diximus, planetas stella quæque circumagit. Nec mirum, si corpora adeò crassa à subtilissimo æthere loco moveantur: cùm enim in medio cælo suspendantur, necesse est, vt lanx imposito pondere deprimitur, sic eos minimo appulsi moveri. Hæc fortè sint somnia Cartesii non docentis, sed optantis: hinc tamen concludimus totum cælum agitari, seu quiescat, seu moveatur terra. Profectò tantum paradoxum, quantò majus fingi non potest, non levissimis conjecturis probatum, sed certissimis rationibus demonstratum oportuit.

M E N. Motus terræ diurnus probari aliter non potuit, cùm in vtraque hypothesi eadem appareant phænomena: sed motum annuum, qui vulgo Soli tribuitur, firmissimis demonstrationibus ab Astronomiâ repetitis ostendunt ad terram pertinere, quas vbi de vero mundi systemate differemus, vberius prosequemur. Nunc tuæ sunt partes, mi Simplici, libratis in vtramque partem argumentis, tuam proferre sententiam.

S I M P. Quod si me arbitro hæc lis dijudicaretur, paucis eam dirimerem, cámque totam in caput vnum, ac summam

conjicerem. Nam Solem moveri, terram quiescere, nulla, vt *Qua sit no-*
mihī videtur, ratio evincit, credo tamen: tum quod sit velut *fira de terra*
communis notio omnium animis infixa; tum etiam quod in *mota, vel*
hanc partem Scripturæ auctoritas multum propendeat. Quid *quiet: per-*
respondeant motus terræ assertores non ignoro, nihil tam esse *suspiro.*
vulgare, quam nihil sapere, ac Philosophiam paucis esse con-
tentam judicibus: hinc multitudinem consultò ipsa fugit, ei-
que ipsi, & suspecta, & invisa est. Scripturæ auctoritatem pu-
tant se solvere alia Scripturæ loca proferendo, ex quibus ter-
ræ motus colligi videatur. Illum in primis objiciunt, Qui com-
moves terram de loco suo. Neque tamen sacri codices pugnan-
tia loquuntur; sed quid videatur, quid appareat omnibus ex-
primunt. Scriptura, inquit, viam quâ in cælum conscenda-
mus tradit; quanto autem à nobis distet intervallo, quibus item
machinis moveatur, non docet. Hæc sanè mihi non proban-
tur; nec globum terrestrem moveri ex sacræ Scripturæ aucto-
ritate colligi potest. Partes quidem terræ propter sulphuream
exhalationem in illius visceribus accensam, nonnumquam de
loco suo commoventur; non verò terra ipsa circa Solem im-
motum obambulat: sed contrarium planè Spiritus sanctus in-
sinuat. Potest quidem multa, quæ ad naturæ contemplatio-
nem spectant reticere, sed cur quod falsum est, toties inculca-
ret. Qui terram in medio mundi mobilem constituunt, faci-
liùs hanc notam abstergunt: fatentur quippe Solem cum terrâ
moveri. Cùm verò clamat Ecclesiastes quod terra in æternum
stat; id ita ferè interpretantur; terra in æternum permanet.
Præmisserat enim, generatio transit, generatio præterit; ter-
ra in æternum stat; hoc est, cùm sit omnium ferè generationum *Vtriusque*
locus ac sedes, tamen in eodem statu perseverat. Sed fortasse in *partis argua-*
his jam sum nimius. Quod verò Theophilus metuit, ne si ter-
ra moveatur, ædificia excutiat; id Copernicani minimè refor-
midant. Nam vt rota celerrimè agitata, globulum sibi impo-
sum secundum lineam contingentem expellit; sic terra
etiam si foret accurassimè rotunda, secundum contingentæ
lineam corpora gravia excuteret, quæ plusquam 500. passus
cum tellure conficerent, anecquam ad unius digiti altitudinem
elevari possent. Iam quis non videat à proprio illa pondere de-
L iij

primi, atque impediri ne subsultent. Sed negabas aërem eodem cum terrâ motu posse abripi. Quidni? cùm cælum, & planetæ eodem motu deferantur. Quare mirum non est si aér vna cum terrâ moveatur. Luna autem circa telluris globum, & Iovis satellites circa Iovem torquentur. Iam verò tot rationes pro terra motu Menander attulit, vt velle cæteris, sibi autem persuasissime videatur. Illud in primis vrgebat, motus omnes cælestes perturbari, si terra immobilis supponatur. Nam globi cælestes eo tardius feruntur, quo longius à terra recedunt. Vnde ergo primum mobile omnium supremum rapissimè cietur? quis etiam ferat hanc cælestium motuum contrarietatem? Ego verò crediderim primum mobile de medio potius esse tollendum, quām terræ motum contra Scripturæ oracula, assendum.

T H. Sublatoprimo mobili veteror ut possis phæno mena cælestia explicare. Nam vni corpori vnum competit motus: stellæ fixæ dupli saltem motu carent, diurno scilicet ab ortu in occasum, & proprio ab occasu in ortum tendente, qui quidem motus post longa sæculorum volumina observatus fuit. Imò cùm inæqualis videatur, cùmque cælestes motus sint æquabiles, atque vniiformes, plerique Astronomi alium titubationis motum adstruunt, quem nonæ sphæræ concedunt. Cùm denique maxima Solis declinatio longâ annorum serie mutetur, atque vni corpori cælesti vnum dumtaxat conveniat motus; æquum est ut decimam sphærā, quam alii cælum crystallinum vocant, agnoscamus: hoc cælum primum mobile involvit. Quocirca vndecim cælos omnino mobiles admittere compellimur; quibus cælum empyreum beatorum sedem, si vti par est, adjeceris, duodecim cælos (nam hoc verbum vñus Latinum fecit) obtinebis. Quod Menander non ægrè feret; cùm Cartesius mundum infinitum, vel certè indefinitum constituat, cuius nulla figura, nulli termini assignari queant: adeò vt Divinæ Majestati injurius videatur, qui totum hoc universum circumscribit, & instar globi concipit. Sunt quippe fixæ innumerabiles, ut ex facris codicibus deducatur, ac novæ quotidie per telescopium deteguntur. Nemo etiam nescit viam lœstem, quam Aristoteles inconsideratiæ Lunâ longè inferio-

rem constituit, nihil esse quam stellarum congeriem, quarum lux debilior hunc lacteum candorem efficit; quod jam Democritus, teste Plutarcho, animadverterat; nuncque illæ stellarum beneficio tubi optici conspicuntur. Cum igitur stellarum numerus sit indefinitus, ac singulae stellæ (si Cartesio credere dignum est) totidem sint systemata suis planetis instructa: quis huic universo limites praescribat, cum nullâ ratione, nullâ item revelatione nitatur?

M E N. Optimè tu quidem, mi Theophile. Adde etiam stellas esse totidem Soles: nam, ut diximus, propriâ luce fulgent, nec vti planetæ huc illuc errant, sed instar Solis vel constantissimo, vel nullo feruntur motu. Nec verisimile est omnes stellas eidem circumferentia esse affixas; sed aliae aliis sunt longè remotores; cælum quippe esse fluidum jam evicimus: nec bene fax aliqua in extremo, melius in ipso medio collocatur, ut in omnes partes radiet. Quod si stellarum sint immobiles, unaquæque sui vorticis, vel cæli centrum obtinebit. Negamus tamen stellas penitus esse immotas, cum motus sit corporis naturalis quasi appendix, & proprietas; at instar flammæ perpetuo motu, non quidem centri, & progressivo, sed orbis, & in seipsum reflexo, ac turbinationi simili, agitantur. Cum autem quærunt, an sidera vt clavi in rotâ, vel vt pisces in mari ferantur, hoc est, vtrum cælo cessante astra moveantur; an vice versa, sidera vna cum cælo rapiantur; per facilè hanc controveriam dirimus: nec cælum quiescit, nec sidera. Cum enim cælum sit liquidum, moveri affectat; planetæ autem, vt naves, motu centri, & progressivo deferuntur; Sol, & stellarum orbis circa suum axem rotantur. Quot verò sint cæli, quis numerabit? vnum est; cum totum sit fluidum, & vniuersitati: innumerabiles quoque existunt, si unaquæque stella suum sibi cælum, aut vorticem vindicet. Aptissimè tamen tres cæli numerantur. Primum est in quo degimus, cuius medium Sol occupat; planetæ autem, & terra in circumfuso aëre suis quique locis disponuntur, atque eodem vortice continentur. Illum dicimus vorticem cuius partes centro propiores velocius contorquentur. Sol quippe spatio 27. dierum circa se gyrat: Mercurius ferè intra quatuor menses; Venus 9. mensium; terra vnius

Cartesii opt. nio de motu stellarum. & cælorum numero.

anni spatio cirea Solem revolvitur. Quod si Sol vna ex fixis, & fixæ totidem Soles censemantur : secundum cælum dicamus quod omnes stellas, atque innumerabiles complectitur vortices, cum quo si nostrum quod incolimus componatur, vix erit sensibile. Tertium denique est nobis penitus incognitum, idque latissimè ultra stellas fixas patet, ac propè immensum illud esse existimo. Qui verò 12. cælos recensent, nullâ probabilitate ratione ducuntur. Quod enim de anticipatione æquinoctiorum, vel de stellarum motu, ab occasu in ortum ; necnon de maximâ Solis declinatione afferunt : id præclarè per telluris motum Copernicus explicat, cuius axis declinationem suam paululum mutat. Sed hæc alterius sunt loci, ac mihi videor jam plus satis evagari.

*Cartesijsen-
tentia ex-
sistitur.*

S I M P. Facile patiebar te ab eo quod erat propositum aberrare. Nec tibi tamen, nec Theophilo planè assentior. Primum, mirari satis nequo, quomodo Cartesius, cuius meritum summa est apud me auctoritas, hunc mundum, nec finitum esse, nec infinitum, sed indefinitum statuat. Quod si suâ continentur figurâ, finitus; si secùs, erit infinitus. Quod nisi in Physicâ plumbei simus, numquam concedemus. At quis illius terminos præscribat? nemo homo, sed Deus qui cuncta in pondere, numero, & mensurâ disposuit. Iam quod Theophilus de motu firmamenti tardissimo adduxit, nihil contradico, nisi quod non necesse est, tot cælestes sphæræ multiplicare. Enimverò corpus vnicō motu cietur, detur id tibi: at multi negant motus ab ortu in occasum, atque ab occasu in ortum, esse diversos. Vnus fortè, & idem est, qui non penitus absolvitur. Inde nec motus Solis annuus ab occasu in ortum nititur, sed à Septentrione in Austrum, & vicissim commeat. Motus itaque zodiaci apparet tantum est, non realis: quemadmodum & sphæræ circuli, quos commenti sunt Astronomi, ut facilius motus cælestes explicare possent, ac numeris persequi.

M E N. Quando fortè quadam sphæræ mentionem fecisti, illius circulos breviter nobis exponere non graveris: antequam ad planetatum motus majoribus tenebris involutos progrediamur.

S I M P. Dissimulare non possum id mihi molestum esse ad
hæc

hæc quasi incurabula revocari; neque illa Astronomiæ rudimenta vos fugiunt; neque hanc decent ætatem.

M E N. Ego vero id primum artis esse puto, ex principiis quæ omnibus sunt recepta, quasi manu ad occultiora deduci.

S I M P. Agam igitur Mathematicorum more, ac primum definitiones quasdam, tum certa theoremeta, quæ omnium consensu probantur, exponam, ex quibus omnia phænomena demonstrare aggrediar. Numquid Theodosii Tripolitæ de sphæricis elementis tres libros ante omnia evolvemus? sed longa morsa erit, atque hæc demonstrationes non rudem elementorum Euclidis notitiam exigunt. Praestat igitur vel omnino iis supersedere, vel quæ ad institutum nostrum magis necessaria sunt seligere. Et quidem memini me cum admodum esse adolescentes Theodosii tres libros, vñâ vel alterâ figurâ, ac paucissimis lineis complexum fuisse, atque ut viam ad Astronomiam sternerem, scientiam illam, quæ Trigonometria vocatur, eâden brevitate exposuisse; tumque libellum in lucem emisi, quod me fecisse seductum juvenili cupiditate gloriæ fateor: cum certè tot mendis, & erroribus typographi refererent, ut vix usui esse possit. Ex illo igitur opusculo, quod nobis utile futurum est, excerptam. Intento quidem opus est animo; non ita tamen ut omnia dilabantur, quæ infra dicturi sumus, si vnum aliquod ex his effugerit. Primum, quid sit sphæra, quid polus, quid axis, dicendum. Sphæra est solidum vñâ superficie contentum, in cuius medio punctum est, à quo omnes rectæ lineaæ ad superficiem ambientem ductæ sunt æquales. Brevius certè & eleganter finitur, figura cuius extremitates paribus à medio radiis attinguntur. Poli sphære dicuntur puncta in superficie immobilia, circa quæ volvi concipitur sphæra. Recta linea utrumque polum connectens, axis nominatur. Polus vero circuli est punctum in superficie sphærae, à quo tamquam à centro circulus describitur. Hinc liquet omnes lineaæ à polo circuli, ad illius circumferentiam productas æquales existere. Nunc quædam ex Euclide non supponere, sed demonstrare convenit, ut quæ deinceps dicturi sumus fiant dilucidiora.

Primum illud tamquam fundamenti loco substernamus,

Definitio-
næ.

1.

2.

3.



4.

Prothœtra-
mata.

1.

M

quod cum recta in aliam incidit, cum illâ angulos efficit vel rectos; quando nimis cadit ad perpendiculum, ut recta F B in lineam C D, vel si obliquè incurrit, ut E B in C D lineam, duos quidem angulos inæquaes ad B efficit, quorum major obtusus, minor & contractior acutus dicitur; vtrumque tamen contendo duobus rectis æquari. Angulus quippe E B D est quidem acutus, & minor recto F B D: sed tantumdem obtusus E B C, recto F B C & major & apertior existit. Quantum igitur acutiori E B D angulo deest, tantum obtusiori E B C accedit, atque ambo simul sumptui duobus rectis æquantur. Angulum vero (vt jam monuimus) dicimus inclinationem vnius lineæ cum alterâ: hunc tribus literis exprimimus, cujus media ipsius an-



guli apicem signat. Illius quoque quantitatem non metitur linearum quibus comprehenditur, magnitudo: quantumvis enim augeantur vel minuantur EB, & BD, idem tamen manet angulus EBD.

T H. Quid igitur anguli magnitudinem dimeritur?

S I M P. Huc ibam. Circuli ab apice anguli descripti arcus, v. gr. EH, est mensura anguli EBD. Quare aequales sunt anguli, quorum lineæ aequas circuli portiones intercipiunt; angulus DBE aequalis est angulo DBI, quia arcus EH aequaliter arcui HI. Vbi verè major est angulus, majorem quoque arcum exigit.

T H. Perge quæso te, atque illas Geometriæ minutias quam poteris brevissime decurre.

S I M P. Faciam, & paucis. Cùm duæ se se intersectant lineæ angulos oppositos ad verticem aequales constituunt. Ex gr. AI, & EN sibi mutuo occurruunt in puncto B. Angulus igitur ABN, & EBI aequales futuri sunt.

M E N. Ratio in medio est. Cùm enim recta EB cadens in rectam AI, duos angulos ad B, duobus rectis aequaliter efficiat: nempe EBI, EBA; atque eodem jure EBA, & ABN aequaliter duobus rectis, quod linea AB incidat in lineam NE. Tolle angulum communem ABE, remanebunt anguli ABN, & EBI penitus aequaliter. Iuxta illud axioma usu contritum, & perulgatum: si ab aequalibus aequalia demas, quæ remanent sunt aequalia.


S I M P. Scitè tu quidem. Addam & illud, licet fortasse ordine præpostero. Si duo triangula, vt ABN, & EBI habeant duo latera unius, aequalia duobus lateribus alterius; scilicet AB, & BN aequaliter EB, & BI, sintque duo anguli ad punctum B his lateribus contenti, aequaliter: erunt duo triangula omnino inter se aequalia. Vnum enim alteri superpositum concipiatur, adeò vt latus BE lateri BA, & latus BI lateri BN, ac denique angulus EBI, angulo ABN congruant: quare punctum E in punctum A, atque punctum I in punctum N cadet: basis igitur EI basi AN, ac totum triangulum,

2.

3.

Vide figura
ram subse-
quentem.

M ij




92 ASTRONOMIA PHYSICA.

E BI, toti triangulo A B N convenier. Iam placet ab Euclide ad Theodosium divertere. Illud tamen prius assunam, quod Geometræ concipiunt corpus, sive solidum ex superficiebus, & superficiem ex lineis constare. Quocirca si loco sphæræ circulum P O P, & vice circulorum, eorum diametros sumas, neutiquam aberrabis.

T H. Detur id tibi, sed quid cum?

Theoremum.
ca.
r.

S I M P. Rogas? hinc omnia ferè quæ Theodosius tribus libris complexus est, possunt demonstrari. Atque ut è multis pauca, sed necessaria scilicet. Circulus sphæræ maximi, ut PO, & GH, sece, & ipsam sphæram in partes æquales dividunt. Cùm enim per medium sphæræ transeat, in centro communis B semitudo dirimunt: nam in circulo diametri, & sece, & circumferentia ipsum in æquas partes distinguit.



Quo circuli centrum sphæræ vicinius petunt, majores existunt, vt P O major est AN : quique à centro æquis distant intervallis, inter se æquantur, vt A N, & E I : duo quippe triangula A BN, & E BI inter se sunt æqualia, vt mox demonstravimus, cum anguli ad B sibi ad verticem oppositi sint æquales, & æqua sint latera A B, & BN lateribus E B, & BI; sunt enim ejusdem circuli radii, vel semidiametri: ergo bases A N, & E I sunt æquales.

Polus circuli in sphærâ maximi distat ab illius circumferentiâ, quadrante circuli. Sit punctum P polus circuli G H. Per definitionem poli, sunt P G, & P H arcus æquales; cumque GPH sit semicirculus; palam est polum P à peripheriâ sui circuli per quadrantem distare. Quare cum circulus omnis in 360. partes, quæ gradus dicuntur, distributus intelligatur; inter polum, & circumferentiam circuli 90. gradus intercedunt, ac totidem gradus angulum rectum metiuntur: nam PBG rectum angulum, quadrans circuli GP mensurat, hoc est, angulus rectus 90. gradus complectitur. Quandoquidem quatuor sunt anguli recti ad punctum B, quos efficiunt lineæ PBO, & GBH, atque hi anguli totam circumferentiam 360. graduum intercipiunt, ac veluti exhaustiunt.

Hinc colligitur quod vbi circulus per polos alterius transit, illum ad pares, seu rectos angulos dispescit; vt circulus GBH transit per G, & H polos circuli PO. Ergo duos angulos GBP, & GO rectos efficit. Quandoquidem ostensum est GP, & GO esse quadrantes circuli; cum sint distantiae poli à circumferentiâ circuli PO: ergo omnes anguli ad B existentes sunt recti, ac singuli 90. gradus continent.

Cum verò omnes circuli sint æquidistantes, & paralleli, qui ab eodem polo, tamquam ab eodem centro delineantur, vt AN, & PO: circulus maximus qui per polos alterius transit, omnes illius parallelos in æquas portiones distinguit, atque ad pares fecit angulos. Sic GBH circulus dividit circulum ACN bifariam in punto C, atque angulos ibidem rectos efficit; idque facile colligitur. Supponimus enim punctum G esse polum circuli ACN, vnde & æquales sunt arcus GA, & GN, qui æquales itidem angulos

ABC, & CB N metiuntur. Sunt igitur duo triangula ABC, & CB N penitus æqualia; nam duo anguli ad punctum B, ac latera BA, & BN sibi æquantur, latus etiam CB est utrisque commune: ergo rectè concluditur bases quoque AC, & CN, angulos denique ad C positos, æquales existere, quod demonstratum oportuit.

6. Eâdem planè ratione si maximus sphæræ circulus minorem in æquas partes, vel ad angulos rectos dividat, per illius polos transibit. Quod si enim CA, & CN sint æquales, etunt quoque duo arcus GA, & GN itidem æquales. Quorsum enim alter altero major existeret? ergo punctum G erit polus circuli ACN. Iam circulus maximus non transeat per polum minoris, ex. gr. VBL fecat circulum AE, nec transit per illius polum P: ergo illum in partes inæquales dirimit, ac major erit portio in quâ circuli AE centrum F reperitur. Quod ex dictis clarissimum est, quam ut demonstratione indigeat. Sed circulum oppositum æqualem, & parallelum NTI, in partes itidem inæquales dispescit; ac major futura est portio NS, in quâ centrum T continetur.

7. Postremò ex his concluditur, quod circulus qui non transit per alterius polos, obliquè eum fecit, & eo magis, quo longius à polis recedit. Sic circulus VBL obliquè dividit circulum GBH: non enim anguli VBG, & VBH sunt æquales, cum inæquales ponantur arcus VG, & VH, nec punctum V sit polus circuli GH. Omnes quoque parallelos AE, & NI in portiones tanto magis inæquales dirimit, quanto longius ab eorum polis discedit: sed in iis Geometriæ dumetis nimis immoror.

MEN. Ita me Deus amet, nihil me adeò delectat, ac geometricæ demonstrationes, quæ non persuadent, sed cogunt.

SIMP. Hæc non æquè fapiunt Theophilo: quare si vobis videtur aliò pergamus, ac cœlestis sphæræ tractationem ingrediamur.

TH. Tuo verò id quidem arbitratu.

SIMP. Sed quædam quasi præambula exponenda sunt antè breviter, quibus non constitutis, vix fides iis quæ demonstrare volumus haberetur. Hæc adeò ad tria, vel quatuor ve-

Iuti axioma reduci possunt. Cælum esse rotundum; motu æquabili ferri; terram & aquam nullam obtinere sensibilem mollem, si cum cælo conferantur; denique terram esse figuræ sphæricæ, & cum aquâ vnum globum efficere. Singula breviter transcurrenta, cùm trita sint, atque omnibus obvia. Non cælum modò, sed etiam omnia hujus mundi corpora sphæricam figuram adepta sunt: nam cujusque corporis partes ad suum totum conspirant; vnde terra, Luna, & reliqui planetæ suum centrum in se habent, quod partes omnes quasi uno consensu æqualiter premunt. Quæ figura potuit mundo competere, vel capacior, vel ad motum magis accommodata, quam rotunda, quæ sola omnes alias suo complexu continet? Stellæ quæ circa polum nobis conspicuum numquam oriuntur, vel occidunt, & quo magis à polo distant, eo circulos ampliores delineant, globosam mundi figuram palam evincunt. Id etiam præter cætera eclipses Lunæ satis demonstrant; quid enim Lunæ eclipsis, nisi umbra terræ, quæ Lunam obscurat? atqui umbra ejusdem figuræ est cum corpore à quo proicitur: est igitur terra figuræ totundæ, atque cum aquâ vnum efficit globum.

Non enim, vt plerique fingunt, aqua maris est elatior, ac supra terram intumescit. Quod si ita esset, cùm aqua semper petat decliviora, proculdubio terram inundaret. Imò eam esse aliquantulum terræ depresso rem, longè probabilius mihi videatur; cùm omnia flumina in mare influant, neque hinc nisi per loca subterranea refluant. Accedit etiam corpora gravia in mare, vt in terram ad perpendicularum incidere, ac commune utriusque centrum petere. Quod si terra non sit sphærica, sed plana, contrarium eveniet. Sit quippe terra A F E plana; corpus grave à puncto V ad centrum B devolutum obliquè in telluris superficiem, non ad pares angulos incurret. Imò codem momento totam terræ superficiem A F E, si plana sit, non globosa, Sol irradiebit. Omnia demum instrumenta quibus siderum motus explicantur sunt rotunda, atque unus terræ gradus, vni item gradui cæli responderet. Omitto diversitatem diierum, & noctium explicari nequaquam posse, nisi cælo, ac terræ globosam figuram tribuamus.

Quod verò terra ad universi cæli complexum quasi puncti

*Cælum, ter-
ram & sile-
ras esse glo-
bus.*

1.

2.

3.

*Terram &
aquâ vnum
globum effi-
cere.*

1.

*Vide supe-
riorum fi-
guram
pag. 92.*

2.

*Terram in-
star cæli*

96 ASTRONOMIA PHYSICA:

*punctum
est.*

1.

2.

*æquabilem
esse siderum
motum.*

instar obtineat, hinc manifestè concluditur, quod dimidium cælum conspectui nostro patet: ex duodecim quippe zodiaci signis, sex supra horizontem attolluntur, reliqua deprimuntur. Imò terra cum cælo in quo Sol versatur, comparata, punctum est: nam in horologio solari extremum styli horam indicantis, centrum telluris exhibet, vt suo loco dicemus: quod si terra molem haberet sensibilem, nullius horologii umbra exactam horam redderet. Viden quām crassum sit illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur.

Sed mihi exciderat de æquabilitate motuum cælestium verba facere: hoc sancè est totius Astronomiæ fundamentum. Omnia quidem sidera statim temporibus eò revertuntur, vnde profeta sunt: quamvis nonnumquam stare, aliquando regredi videantur; atque in id tota incumbit Astronomia, vt quidquid inæquale, ac difforme in conversione siderum appareret, nobis exponat, salvâ motuum cælestium æquabilitate, quam sartam tectam esse oporteat: quare circulares esse globorum cælestium motus necesse est. Quod enim movetur motu recto, & locum mutat, & alia corpora de loco depellit, neque ille motus uniformis esse potest; naturalis quippe acceleratur, violentus minuitur: vnde non competit nisi partibus à suo toto avulsis: sed corpora quæque cælestia suis locis sunt disposita, nec locum mutare affectant. Non igitur recto motu impelluntur, sed circulari, qui vbique suum principium habet, & finem, ac maximè æquabilis existit. Neque hic excutiendum puto utrum sidera ætheris motui obsequantur, vt navis secundo flumine promota; an cælo immoto fermè instar turbinis in disco, propter impetum sibi in principio conditionis impressum, torqueantur; id enim aliud locum postulat. Hoc igitur posito, atque omnium consensu approbato, cælum esse figuræ sphæricæ, & suos motus in orbem agere, rationes omnes horum motuum per minorem globum iisdem instructum circulis, quos cælo affingimus, facilè exponuntur.

*sphærica.
fiialis ex-
plicatio.*

*Horizon &
Meridianus.*

Decem porrò circulis distinguitur, quorum sex maximi, quatuor minores existunt; è magnis duo sunt immobiles, Horizon, & Meridianus: ille cælum quasi medium dividit, & aspectum nostrum definit; hic per utrumque mundi polum & verticem

ticem nostrum transit, ad quem cùm Sol quotidiana conversione pervenit, tum medius effluxit dies. Polus horizontis in meridiano existit, scilicet in eo puncto quod vertici nostro imminet. Poli itidem meridiani circuli in horizonte consistunt; nempe iis in locis, in quibus Sol exoritur, & occidit, cùm dies æquantur noctibus. Sex quippe puncta ut in celo, sic in hac sphæra, quam habemus præ manibus, licet intelligere, ex quibus omnes ferè circuli delineantur. Primum, occurunt duo mundi cardines, qui poli dicuntur, quod circa eos mundi machina quotidiana vertigine volvatur. Polum nobis conspicuum vocant Arcticum, vel Septentrionalem, propter septem stellarum congeriem, seu quamdam constellationem, quæ Ursa minor nominatur. Hic polus supra horizontem tantum attollitur, quantum oppositus, qui & Meridionalis, vel Antarcticus dicitur, sub horizonte delitescit: quemadmodum ex iis quæ superiùs sunt demonstrata, facile colligitur. Nam inter utrumque polum dimidia circuli portio interjacet.

Iam in medio utriusque intervallo æquator describitur, qui diurni motus partes, seu tempora dimetitur; adeò ut 15. gradus intra horæ spatium, & 360. gr. spatio 24. horarum decurrant. Hinc stella, quæ medio intervrumque polum loco affigitur, hunc circulum singulis diebus delineat. Quo verò stellæ ab æquatore longius discedunt, eo minores circulos absolvunt; itavt omnium sint minimi, quos polis proximæ diurnâ revolutione conficiunt. Quocirca hæ stellæ polis finitimæ numquam oriuntur, vel occidunt, sed semper nobis sunt in conspectu. Duo sunt alia in meridiano circulo puncta, quorum vnum vertici nostro impendet, id Zenith Arabes, ut alterum oppositum, Nadir dixerit. His polis horizon describitur. Duo denique sunt in horizonte puncta, quorum jam meminimus, in quibus finitor seu horizon æquatorem fecerat, atque ab iis meridianus circulus ducitur, qui horizontem ad rectos vel pares angulos dirimit, cùm per illius polos transeat. Eodem jure meridianus æquinoctialem circulum, & omnes illius parallelos, ad pares angulos, & in æquas portiones dispescit. Hin liquet cur Sole ad meridianum appellente, jam dimidius dies præterierit; sed de his postea. Cæterum cùm terræ suis sit æquator, qui cælesti

*Per primus
theorema ex
Theodosio
deponen-
tium.*

Æquator.

per 4. theor.

N

subiectur; sius. itidem meridianus, vel horizon: mirum quo & quantos usus hi circuli, non ad Solis modò, vel stellarum morus certis numeris metiendos; sed etiam ad varios terrarum situs dignoscendos, ad ipsius demum Geographiae scientiam, obtineant. Cùm enim ut cælum, sic terram in longum, & latum liceat distribuere; in cælo siderum ab æquatore distantias, quas declinationes vocant, beneficio meridiani circuli cognoscimus, eo quo dicemus alibi modò. Sed latitudo alicujus loci, vel urbis, nihil est quam portio meridiani, inter æquatoriem, & locum ipsum intercepta. Quare qui sub æquinoctiali linea degunt, nullam habent latitudinem; maximam vero fortinuntur, qui longissime ab æquatore, sub ipsis polis versantur: hæc Parisiis existit 48. gr. & 40. minutorum. Nam gradum in 60. minuta, & minutum in 60. item secunda partiuntur. Longitudo autem in ipso æquatore desumitur: est quippe æquinoctialis circuli portio, inter meridianum loci, ex. gr. Parisiorum, & alium meridianum, quem consensu hominum primum assignat, interjacens; is meridianus per insulas, quas Fortunatas vocant, duci solet. Quâ vero methodo, quâ arte longitudinem, aut latitudinem loci invenire liceat, dicemus ubi ad proxim Astronomicam pervenerimus. Astra in horizonte oriuntur, & occidunt: stellæ fixæ iisdem ferè in locis exorti cernuntur.

Zodiacus. Verum Sol, & reliqua sidera, alio motu quam diurno ferruntur, qui illa nonnumquam in Aquilonem adducit, aliquando in Austrum abducit, atque per signiferum orbem, qui Zodiacus dicitur, quasi retro-aguntur. Hic sanè motus paululum obscurior est. Itaque zodiacum Sol intra annum spatium conficit, cuius polos ab utroque mundi cardine, vel æquatoris circuli polis diversos existere necesse est, ac tanto ab iis intervallo dissident, quanta est zodiaci ab æquatore declinatio maxima, hoc est, 23. gr. cum 30'. Cunque intra annum Sol totum signiferum perlustret, unoquoque die ferme unum gradum, atque unum signum intra mensem peragrat: in signa quippe duodecim zodiacus dispergitur, quæ duplice hoc versiculo continentur.

Sunt Aries, Taurus, Geminis, Cancer, Leo, Virgo,

<sup>sic minuta
signantur.</sup>

Librāque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
 Hæc sunt totidem constellationum nomina, quibus quorundam animalium figuræ affinguntur. Cum Sol ad principium Arietis pervenit, ubi zodiacus æquatorem secatur, tum motu diurno æquinoctialem delineat, ac dies nocti æquatur; quod horizon æquinoctiale in partes æquas dividat. Sed paulatim cursum suum ad Septentrionem inflectit, ac singulis diebus parallelos æquatori describit, quos horizon non amplius in partes æquales dirimit: major quippe eorum portio super horizontem incubit.

Horum ultimus dicitur Tropicus Cancri, quem Sol ineunte æstate describit. Illius maxima portio supra horizontem eminet, quod horizon per æquatoris, & omnium parallelorum polos non transeat. Quocirca illos in æquas partes non distinguitur. Hic quidem circulus Tropicus vocatur; tum enim Sol largâ luce eam terræ partem quam ineolimus, compleat: dies artificialis, qui definitur mora Solis supra horizontem, est omnium longissimus; hæc demum est Solis velut meta, ultra quam progressi non potest: sed inde ad æquatorem paulatim revertitur, quo usque exactâ æstate, cum principium Libræ attigit, circum æquinoctialem diurno motu rursus describat, ac dies nocti libretur. Id est autumni initium; ac jam deinceps Sol parallelos conficit, quorum pars major sub horizonte delitescit, quia polus eorum sub horizonte deprimitur. Illorum omnium postremus circulus quem Sol motu suo absolvit, Tropicus Capricorni vocatur, quo peragrat ad æquinoctialem convertitur, ac circuitum suum compleat, cum ad principium Arietis revertitur. Sic Sol cursum suum inflektens, tum ad Septentrionem, tum ad Meridiem, æstates, & hiemes efficit, atque ea duo tempora, quorum alterum hieini senescenti adjunctum est, alterum æstati; illud ver, hoc autumnus dicitur. Quatuor igitur sunt præcipui cardines, in quibus mutationes temporum fiunt; duo æquinoctia, ac duo itidem solstitia. In his Sol aliquantulum in eadem statione perseverat; itavt dies vel noctes, vix augeri, aut minui videantur: cuius adeò ratio paululum abstrusest, ea tamen ex obliquitate zodiaci repetitur, ut suo loco reddemus. Quatuor illa puncta, quæ Cardinalia vocantur, sunt

*Per 6. & 7.
theor.*

Tropici.

Colori.

in primis observanda. Hinc duo circuli maximi per illa ducuntur, quorum alter colorus æquinoctiorum, alter solsticiorum dicitur: ille per polos mundi & æquinoctiorum puncta; hic per maximos Solis ab æquatore excursus, seu per solsticia transit. Cum Sol alterum ex nodis æquinoctialibus ob sitet, tum nullam habet declinationem; sed maximam obtinet, cum ad alterum tropicorum pervenit. In tropico quidem Cancri, nostro vertici proximus est, in tropico Capricorni remotissimus. Declinatio autem illius citissimè crescit prope puncta æquinoctalia, vix sensibiliter angetur circa solsticia. Sed de his aliis. Reliqui sunt in sphæra duo circuli omnium minimi, quos motu diurno poli zodiaci describunt, hi Polares dicuntur, atque ab utroque mundo cardine 23. grad. & 30'. distant, quanta nimurum est Solis maxima declinatio. Nam polum à circulo maximo, quadrantis circuli seu 90. grad. intervallo dissidere jam ostendimus. Vnus ex omnibus sphæræ circulis zodiacus suâ latitudine donatur: non enim Solis modò, sed etiam cæterorum planetarum, qui numquam à zodiaco desciscunt, circuitus exhibet. Sol autem à mediâ zodiaci linea, quam eclipticam vocant, numquam deflectit, à qua cæteri planetæ hinc & inde octo & amplius gradibus possunt aberrare. De circulis sphæræ, quam potui brevissimè dixi, magis ut nihil omittere viderer, quam ut vos quicquam docere præsumerem. Vbi pauca de diversitate dierum, & noctium addidero, totam sphæræ tractationem absolutam iti existimo, cui rei plerique alii non libos tantum, sed etiam ingentia volutina destinant: opus enim quærunt. Ad rem igitur.

*Polares circuli.**Pers. theor.**De quinq^{ue} Zonis.**De nocturnis & diurnis dieris.*

Totum terrarum orbem in quinque partes, quas veteres Zonas dixerunt, distribuunt. Primam quæ inter utrumque tropicum interjacet, torridam appellant: nam radiis solaribus ad perpendicularum vibratis aduritur; hanc ex utraque parte excipiunt duæ mediae, ac temperatae, inter tropicos & circulos polares comprehensæ; harum alteram quæ ad Septentrionem vergit, incolimus. Reliquæ sunt duæ frigidissimæ, quæ circulis polaribus concluduntur. Qui sub zonâ torridâ degunt, vix ullam diem, & noctum diversitatem experiuntur. Nam qui in ipso æquatore verticem habent, iis dies omnes noctibus

æquantur, ac sphæram rectam habere dicuntur, quod æquator horizonem ad pares angulos dividat: uterque enim per alterius polos transit: neque opus est ut vos admoneam eorum quæ superiùs sunt demonstrata, circulum nempe, qui per alterius polos ducitur, eum ad rectos angulos dividere, atque omnes illius parallelos in æquas secare partes. Quocirca Sol tamdiu supra horizontem, quamdiu infra commoratur. Bis unoquoque anno eorum verticibus imminet; atque adeò æstatem habent duplēcēm; nempe cūm Sol ad æquinoctiorū puncta accedit. Circa solstitia Sol quām potest maximè ab eorum vertice recedit. Iis etiam omnes stellæ oriuntur & occidunt: nam quæ sunt vel polis finitimæ, sub horizontem deprimuntur. Qui inter tropicum, & æquatorem versantur, jam aliquam dierum inæqualitatem obtinent, eo majorem, quo longius ab æquinoctiali discedunt: tum quippe horizon non amplius ad pates angulos æquatorem, neque illius parallelos in æquas portiones dispescit, cūm per eorum polos non transeat. Vmbras habent in omnem partem porrectas: Sol enim exortiens in occasum, vbi occidit in ortum; cūm versatur in signis quæ ad Austrum vergunt, in Septentrionem; cūm denique existit in 6. signis, quæ inter æquatorem, & Septentrionem deflectunt, vmbra versus Austrum porrigit. Nullam verò vmbram projiciunt corpora, vbi Sol eorum zenith in ipsâ meridie attigit, quod semel unoquoque anno evenit. Nos qui zonam temperatam incolimus, vmbras in meridie semper in Septentrionein, numquam in Austrum projicimus, quod Sol ad verticem nostrum numquam perveniat, & vbi cumque existit, magis ad Austrum vergit, quare in oppositam partem vmbras dirigit. Contrarium vñvenit iis qui meridionalem plagam inhabitant, atque inter tropicum Capricorni, & circulum polarem interjacent; his enim vmbrae in ipsâ meridie ad Austrum tendunt, atque illis etiam hiems eo tempore, quo nobis æstas contingit. Utisque dies sunt noctibus inæquales, & eo magis, quo longius recessunt ab æquinoctiali, quod horizon æquatoris parallelos in partes magis inæquales dividat, quo polus magis super eorum horizontem attollitur. Hinc etiam terram in varia climata veteres distribuerunt. Clima vocant tantum terræ spatium, Quidclimx
terra.

N iiij

102 ASTRONOMIA PHYSICA.

quantum satis est, ut maximus æstatis dies per semihoram varietur. Primum ergo sub æquatore constituitur; postremum sub altero zodiaci polo: ita ut 24. climata, non septem modò, ut veteres credidere, incolantur. Qui verticem habent in circulo polari, cum Sol ad tropicum Cancri pervenit, tum diem artificialem 24. horarum obtinent; cum enim idem sit illis circulus horizon, qui zodiacus, nam ab eodem polo describuntur: ubi Sol principium Cancri attigit, totus super eorum horizontem extat, nec sub illo delitescit. Sed si qui sint qui verticem habeant sub ipso æquatoris polo, diem continuum sex mensium habent necesse est; cum idem sit illis circulus æquator, & horizon: quando Sol in sex signis quæ ad Septentrationem declinant, versatur, tamdiu ab illis conspicitur, nec umquam, nisi toto vertente semestri, sub eorum horizonte deprimitur. De ortu, & occasu siderum solent hic disputare, commodius in alium locum differemus. Piger profectò in his minutissimis diutius immorari.



CAPUT TERTIUM.

De Solis theorâ.

- I. *Quæ sit anni magnitudo definitur, ubi de emendatione anni Juliani.*
- II. *Varii Solis motus, iuxta omnium ferè Astronomorum hypotheses explicantur..*

MENANDER.

NVNC nisi forte alienum est, planetarum Theoreticas aggredere. Id mihi constat per esse paucos è Philosophorum turbâ, qui hanc materiam, ita vti-par est, tractaverint; Astronomi verò sic eam tradunt, ut sibi solis scribere videantur. Quotus enim quisque interpretis operâ non indiget. Quod si totum Simplicium excusseris, mihi persuasum est, fore ut hanc sublimem scientiam non Physicæ modò restituas, sed etiam program, & facilem omnibus exhibeas.

SIMP. Quām vellem dilucidē mentis cogitata enuntiare: id cūm in omnibus philosophicis disciplinis, tum maximē in Scientiis physico-mathematicis arduum est, quarum demonstrationes actiorem animi contentionem postulant. Quo magis mihi veniam dabiris, si in re diffīllimā, quādam vobis subobscura videantur. Vnde porro exordiar, nīl à Sole, qui inter sidera principatum obtinet, ac cæterorum planetarum motus regit, qui diem noctēmque, nec non vicissitudines anniversarias conficit? Ante omnia de anni magnitudine pauca perstrin-gam necesse est: hinc enim cætera quæ dicturi sumus, quasi re-ligantur. Annūm in civilem, & tropicūm partīuntur. Civilem diversæ nationes diversūm constituant; alii ad Lunam annos describunt, cujus 12. menses, 354. dies, & 8. horas cum 48'. continent: sed de anno lunari postea. Civilem itaque annum dicimus, qui ad popularem vsum accommodatur. Ex eo ge-nere est Iulianus, qui diebus constat 365. horis 6. quæ quidem horæ diem vnum efficiunt quarto quoque vertente anno; hic Bisextilis nominatur, quod vigesimus quartus Februarii bis sexto ante Kalendas Martii co anno usurpetur. Tropicus annus est tempus, quo Sol circuitum suum absolvit, atque ab uno cardine ad eundem revertitur. Non enim hoc nomen obti-nuit, quod ab altero solsticio annum veteres inchoarent: siquidem facile est demonstrare cum Petavio *τροπικός* non solum pro solsticiis, sed etiam pro æquinoctiis accipi. Sic igitur dictus est, quod ab aliquo ex quatuor cardinibus incipiat. Iam quæ sit il-lius magnitudo, mirum quantum inter se digradientur. Id v-nūm constat, Julianum annum, cujus recipiendi Julius Cæsar Romanis auctor fuit, quēmquead vsum suum Romana adhi-bet Ecclesia, paulò majorem quām par sit, existere. Ptolemaeus quidem 300. Copernicus verò 130. annis vno die abundare existimat. Quocirca annus tropicus erit dierum 365. horarum 5. 49'. Est igitur annus Iulianus tropico major 11. ferè minutis. Hæc scrupula post multa annorum volumina effecere, vt æqui-noctium vernum, quod tempore Concilii Nicæni 21. dierū Martii obtinebat, post 1300. annos vndecimum ejusdem men-sis ob sideret, ac decem fātem diebus anteverteret: cūm Iulia-nus annus in eodem loco consisteret, tropici initium post 130.

*Quid an-nus civiliſe.**Quid tropi-cus annus.**Anni Iuli-anae emen-datio.*

annos versus principium mensis recurrebat. Hinc Gregorius XII. annum 1582. decem diebus multavat, jussitque ut dies quintus Octobris, illius anni decimus quintus haberetur: sic æquinoctia & solsticia suis locis restituit: quod certè permagni fuit momenti in ipsis festorum temporibus obsignandis. Nam Paschatis festum præstituto tempore celebrari non poterat, quod Iudæis, & infidelibus nostri irridendi facultatem præhebat. Sentis, mi Theophile, quantum Astronomiæ cognitio ipsi Ecclesiæ profuerit. Iam ut in posterum quatuor cardines in suâ statione permaneant, jussit Gregorius ut centesimo quoque anno vrnius dies bisextilis expungatur; & quia non 100. sed 130. ferè annis, Julianus tropicum vno die superat, statuit quoque ut quadringentesimo vertente anno, dies bisextilis non prætereatur. Summus itaque Pontifex certo quodam judicio, frequentibus licet hæreticis annum emendavit, cavitque ne deinceps hic error minimè conteinnendus obreperet. Nunc ad Solis phænomena accedamus.

T H. Vberius ista quæso: nondum enim mihi constat quâ ratione Ptolemæus, Copernicus, & alia Astronomiæ lumina, solarem annum tam exactè definire potuerint.

*Quâ ratione
anni ma-
gnitudo co-
periæ fuit.*

S I M P. Rem totam paucis dabo. Hipparcus Rhodius anno ab obitu Alexandri 177. circa medianam noctem diei ineuntis 27. mensis Septembris, æquinoctium autumnale; Ptolemæus anno 463. Alexandri, die 26. ejusdem mensis, idem quoque æquinoctium observavit. Inter utramque observationem anni Ægyptii 285. dies 70. horæ 7. min. 12. intercedunt: atqui si annus foret dierum 365. & sex horarum, 71. dies, & sex horæ abundant; ergo eo temporis intervallo defunt anno tropico horæ 22. & 48'. hoc est 300. annis dies integer deficit. Eadem arte Albategnius conclusit tropico anno centesimam sextam vnius diei partem deesse. Nam anno Christi 882. die Septembris 18. æquinoctium autumnale observavit. Inter Ptolemæum & Albategniū interjacent anni 743. dies 178. cùm tamen deberent dies 185. intercedere. Itaque redundat annus Julianus, si Albategnio Arabi credimus, septem ferè diebus in 743. annis: itavt 106. annorum spatio, vno die abundet. Copernicus acerrimo vir ingenio, & Astronomiæ instaurator egregius,


egregius, anno 1515. & 1516. idem æquinoctium observavit, & cum veterum observationibus suas comparans, deesse anno verenti, seu tropico nonnumquam partem 116. aliquando 128. comperit: res est adeò lubrica, & incerta, ut tropici anni exacta magnitudo definiri prorsus nequeat. Tot enim occurunt inter observandum impedimenta, partim ex visus deceptione, partim instrumentorum vitiis, vel denique ex ipsis refractionibus, ut mitum non sit, si præstantissimi Astronomi aliquot iniunxit aberrent.

M E N. Nec dum planè assequor, cur inter Hipparchi & Ptolemai observata æquinoctia, anni ut vocas Ægyptii 285. & dies 70. interjaceant, cum tamen dies 71. intercedere deberent. Cur enim dies illi superfluant non video.

S I M P. Rechè tu quidem interrogas: quid enim esset annus Ægyptius, & in quo à Juliano dissideret, exponendum mihi ante fuit. Julianus itaque annus semper ab eodem die, nempe à Kalendis Ianuariis dicit initium; cum Ægyptius principium habeat instabile, & desultorium; constat enim 365. diebus præcisè, neque ullo bisextili intercalatur. Hinc quarto quoque anno, die uno Julianum anticipat. Si hoc anno 1658. Kalendis Ianuariis incipiat; anno 1662. die 31. Decembris; anno 1666. die 30. ejusdem mensis, atque ita deinceps inchoabitur: adeò ut post annos 1461. illius ad Kal. Ianuarii fiat reversio. Quocirca hic annus Julianus minor est quartâ parte vnius diei, & in 1000. annis 250. dies deficiunt. Hinc igitur liquet cur non modò 285. anni Ægyptii inter Hipparchum, & Ptolemæum, sed præterea 70. dies numerentur. De civilis, ac tropici anni differentiâ, tum de vtriusque magnitudine, hæc sine statuta. Sequitur ut varia solaris motus phænomena paulò diligenter contemplemur.

Sol duplicitate orbis, & centri agitur: motum quippe orbis maculae demonstrant, quæ ab ortu in occasum spatio ferè menstruo, rotum Solis arbitrium absolvunt. Circulus G P O G in superiori schemate Solem nobis exhibeat, cuius ecliptica sit G B H, maculae à punto G in C, tum in B, atque ita deinceps spatio 27. dierum deferuntur. Circa punctum B maiores, ac celerius promoveri videntur, quam versus vtrumqua

O



Disci solari limbum, quod ibi sub majori angulo cernatur. Sol quippe licet globosus existat, planus tamen apparet, & circulus qui per medium Solem ducitur, quem eclipticæ nomine signamus, tamquam recta linea accipitur. Sed si arcus æquales O I, & I H sumantur, his respondebunt rectæ lineæ in Solis diametro prorsus inæquales BD, & DH, quarum BD est longè major. Nihil igitur mirum est, si maculæ prope centrum B velocius ferri videantur, licet motu æquabili promoveantur. Nullæ maculæ prope utrumque polum corporis solaris P, & O visuntur: sed saltem 45. graduum intervallo, hinc inde distant, quod Solis motus sit tardior versus polos, ac prope eclipticam concitatiōr. Quidquid sint illæ maculæ, seu instar spumæ Solis innatent, quas tandem Sol ipse resorbēat, seu nubes à calore Solis sublatæ; ad eas semper partes expelluntur, in quibus

motus est concitior, neque umquam circa polos P, & O abripiuntur. Non etiam GBD lineam, vel illius parallelam circuira suo delineant, sed hujus motus poli V, & L ab eclipticæ solaris polis P, & O, sepm vel circiter gradibus rece-
Motus orbis annus.


Quemadmodum poli zodiaci circa utrumque mundi

cardinem motu diurno rapiuntur; sic motus menstrui macula-
tum poli V, & L circa polos eclipticæ solaris P, & O spatio
ferè anno vertuntur. Quod quidem longo observationum usu
compertum est: nam motus macularum curvilineus nunc sur-
sum versus P, nunc deorsum versus O, convexitatem suam ob-
vertit. Iam ad motum centri solaris annum revertamur.

Annus, vt dictum est, conversione Solis finitur, ac 365. die-
rum, 49. min. absolvitur. Necesse igitur est vt Sol singulis die-
bus 59. min. & 19. secunda, vel circiter in propriâ orbitâ pro-
grediatur. Motum illum esse æquabilem, ac regularem, jam
superius conclusum est. Sive enim cælum ab Angelis rapiatur,
sive naturale, & intimum sui motus principium obtineat; mo-
tus ille non potest non esse æquabilis, cum causam habeat con-
stantem, & æternam, cumque nullis obicibus retardetur. Ni-
hilo tamen seciùs, magna disformitas in hoc, vt in aliis moti-
bus corporum cælestium appetat. Nam Sol juxta Ptolemæum
quartam zodiaci partem à principio Arietis, usque ad princi-
pium Cancri spacio 93. dierum, decem horarum, & 24. min.
decurrit. Æstivalem verò portionem, quæ usque ad princi-
pium Libræ extenditur, diebus 93. horis 13. min. 36. peragrat:
adèò vt in signis borealibus, diebus ferme 187. immoretur;
cum sex reliqua signa diebus 178. cum quadrante conficiat.
Hæc sanè minus videntur cum uniformitate motuum cæle-
stium convenire.

Quò igitur ea disformitas ad cerram redigatur æqualitatem;
Ptolemæi hypothesis per circulum excentricum.
supponit Ptolemæus Solem moveri in circulo nobis excentri-
co, in quo æquis temporibus, æqua spacia conficit; quam-
quam nobis extra illius circuli centrum constitutis, motus so-
laris non parùm inæqualis appareat. Rem totam ponam ob
oculos. Sit circulus DCD centro M descriptus, in quo Sol
singulis diebus 59'. & 19''. decurrat. Sit mundi centrum in
quo stamus S, principium Arietis T, initium Libræ I. Itaque

O ij



recta linea I S T zodiacum in duas partes æquales, Solis vero excentricum in portiones penitus inæquales dirimit; majorque est TCI, quam TEI. Ergo majus temporis spatium Sol insumet, in peragranda portione TCI boreali, quam in reli-

Licet enim quâ parte IE T.* Punctum C, quod longissimè à terra abest intelligere Ptolémæus Apogæum vocat: ibi Sol tardissimè ferri videtur, zodiacum centro S descripsi. manifestum est in volatu avium, qui principio lentissimus, quamquam deinde cum capitibus nostris imminent, citissimus conspicitur. Punctum E oppositum, ac terræ proximum, Perigæum dicitur: in hoc puncto motus Solis appetet celerrimus. Quare motus diurnus quem circa summam absidem, seu apogæum Sol conficit, est fere 57'. circa perigæum longè major existit: nempe 61'. cum semisse. Prope apogæum Sol vix 30. grad. spatio 31. dierum cum semisse percurrit. Tantumdem vero per-

* hunc non expresserimus.

grat spatio 29. dierum cum triente, vbi ad perigaeum pervenit. Cum itaque $\tau\delta\pi\eta\mu\sigma\pi$, seu dies naturalis, cui definitur diei noctisque spatium, 24. horas, ac præterea tantum temporis includat, quantum interea Sol in zodiaco motu proprio impedit; non omnes sibi æquantur revolutiones diurnæ, sed æstatæ aliquantulum prolixiores, quam hicme existunt, quod æstatis tempore Sol apogæo sit vicinior, ac proinde motu proprio tardius incedat. Discremen quidem vix est sensibile, Astronomo tamen minimè contempnendum. Solis apogæum Ptolemæus in sexto gradu Geminorum comperit, atque hinc quanta esset excentricitas M S geometricis demonstrationibus investigavit, quod quâ arte cœmpererit, dicetur à nobis, vbi ad partem Astronomiæ practicam pervenerimus. Credidit itaque excentricitatem M S esse vigesimam quartam ferè partem radii M C, atque apogæum Solis esse immobile existimat. Rem aliter se habere, atque apogæum secundum signorum zodiaci seriem, seu, ut loquuntur, in consequentia paulatim promoveri, recentiores compererunt. Quod enim Ptolemæi tempore sextum Geminorum gradum obtinebat, Copernicus ad sextum grad. Cancri pervenisse deprehendit.

Ptolemæus quidem per excentricum circulum solaris motus anomaliam, seu inæqualitatem explicat, eamque alii æquè comodè per epicyclum exponi posse putant. Sit enim centrum mundi M, à quo Solis orbita describatur D B D. Ponamus epicyclum H F H, cuius centrum spatio annuo zodiacum D B D perlustraret, eâ lege ut cum centrum epicycli erat in punto C, tum Sol supremam partem epicycli H obtingeret. Promoto quidem epicyclo ad punctum D, vbi quartam sui circuitus partem confecit, Sol eodem tempore, & æquali motu ad punctum G perveniet. Supponimus quippe eodem prorsus tempore Solem suum epicyclum percurrere, quo centrum epicycli zodiacum peragrat, sic tamen ut Sol in epicyclo contra successionem signorum, atque ut loquuntur in præcedentia ab H per G, in F deferatur. Cum igitur centrum epicycli punctum E obtinebit, tum Sol in F nobis proximus existet, atque eadem prorsus quæ in excentrico evenient, cum radius epicycli H D, æqualis excentricitati M S supponatur.

O iii

*secunda hypothesis,
per circel-
lum, qui
epicyclus
videtur.*

Vbi Sol in utraque abside, seu apogæo, vel perigæo consistet, tum medius seu æquabilis motus, ab apparente, seu vero neutruam dissidebit. Medium verò motum dicimus, quem centrum epicycli describit, hunc inæqualem reddit alius Solis motus in epicyclo, qui vbi ad D pervenerit, tum utriusque motus maxima differentia futura est. Sol quippe existet in G, medius motus erit C D, verus seu apparenſ C G, differentia utriusque D G, seu angulus D M G, quem prosthaphæsim maximam Ptolemaeus, maximam æquationem recentiores dicunt: æquatio enim est differentia veri, & medii motus. Ex iis liquet eadem omnino phænoimena per epicyclum, ac per excentricum explicari: nam hi duo motus epicycli in zodiaco, & Solis in epicyclo, seorsim quidem sumpti sunt æquabiles, simul juncti motum apparentem penitus inæqualem exhibent. Hinc Sol apogæum occupans contrariis motibus in diversa trahitur. Nam in epicyclo ab ortu in occasum, seu in præcedentia, centrum verò epicycli ab occasu in ortum, seu in consequentia nititur. Ex illâ veluti pugnâ tardiore motum sequi necesse est. Sed cum in perigæo versatur, & centrum epicycli, & Sol ipse in epicyclo, in easdem partes conspirant: quare hic celerior erit motus. Hinc facile colligitur Solem in sex signis, quæ ad boream declinant diutius, quam in reliquis australibus commorari.

Sol igitur iis motibus cietur. 1. Ab ortu in occasum quotidiana vertigine abripitur. 11. Sub zodiaco ab occasu in ortum: spatio annuo circumducitur, sive in excentrico, sive in epicyclo, nihil moror. 111. Illius apogæum in consequentia motu tardissimo defertur, ut nihil loquar de dupli motu orbis, tum menstruo, tum annuo.

*Alii Solis
motus ex
mente Co-
pernicci.
1. Excen-
tricitatis va-
riatio.*

Copernicus tres alios motus non quidem Soli, sed terræ (quod cōdēm recidit) affingit. Primum, aliam esse excentricitatem Solis, quam tempore Ptolemæi, existimat. Tum enim vigesima ferè quarta pars fuit totius radii M C, sed successus temporum paulatim imminutam esse, ex suis & Arabum observationibus deprehendit: adeò ut nunc temporis vix trigesima pars existat. Quare centrum excentrici Solis M, in parvo circulo M P M tardissimo motu circumagi putat. Quod si ter-

ram in puncto A sitam esse intelligamus, excentricitas maxima fuit circa tempora Hipparchi, AP & centrum orbitæ Solis in P, minima tempore Copernici, AN centro excentrici ad punctum N delato.

Declinatio Solis maxima sensim quoque imminuta est: nam ab Hipparcho deprehensa fuit 23. grad. & 52'. ab Albategnio 23. grad. 38'. à Copernico 23. grad. 28'. nunc demùm 23. gr. 30'. invenitur. Quod quidem ut explicit recentiores decimam, & vndecimam sphæram commenti sunt, ac si Deo placet, brevi novum aliquod cælum excogitabunt. Copernicus orbitam terræ à Septentrione in Austrum, hinc inde librari putat, vt ab Had F, adeò vt aliquando in H, aliquando in F post longam annorum seriem excurrat, neque HD F amplius quàm 24. minuta complectitur. Hi sunt enim maximæ, & minimæ declinationis velut extremi limites.

Postremò, æquinoctia non iisdem in locis fixa permanere, atque anni magnitudinem non esse constantem observarunt Astronomi: itavt æquinoctia hinc inde motu quodam librationis ab ortu in occasum, & vicissim fluctuant. Æquinoctium autunnale sit in puncto D, post aliquot annos excurret in G, tum revertetur in D, atque hinc in I deflegetur: sic vt uno gradu 14'. 16''. à medio æquinoctio D possit evagari, illiusque periodus HG H annis 1717. absolvatur. Motus obliquitatis zodiaci seu maximæ, & minimæ declinationis duplo tardior existit; huic æqualis est motus centri M in parvo circulo MM P.

Ignoscant mihi Astronomiæ principes, si nullam fidem eorum observationibus adhibeam. Quid enim? adeò exactè siderum loca, ac statas periodos definire potuerunt, vt aliquot minutorum error non irrepserit? Solæ refractiones à veteribus Astronomis negliguntur, minus accuratas, & suspectas eorum observationes reddunt. Copernicus ipse tametsi adeò religiose motus cælestes perséquitur, in explorandâ tamen altitudine poli Frueburgensis, si Tychoni erimus, non parum hallucinatus est: eam quippe statuit 54. gr. & 19'. Tycho vero illuc misit discipulum cum sextante (id est instrumenti nomen) ac reperit in eâ civitate polum 54. gr. 22', elevari. Hincque natos

*z. Variatio
obliquitatis
zodiaci.*

*3. Anticipa-
tio aquino-
ctorum.*

*Opinio Co-
pernici regis
citur.*

esse Copernici errores circa Solis motum, acerrimè contendit. Declinatio quippe Solis maxima esse debuit 23. gr. 31'. cum Copernicus suppositâ minore poli altitudine, illam 23. gr. 28'. constitutat. Hæc erunt planiora, vbi Astronomiæ praximè exponemus. Quocirca verisimillimum puto, nec Solis eccentricitatem, nec æquinoctia, nec demum zodiaci ipsius obliquitatem, vel declinationem maximam variari: sed omnis illa diversitas ab observationum defectu ducitur.


T H. Hic vetus illud proverbium usurpare licet; habeo quos fugiam, quos sequar non habeo. Quod si res mei arbitrii foret, explosis omnium Astronomorum sententiis, unum dumtaxat motum sideribus concederem, ut tu ipse nos superius monuisti: omnia quippe ab ortu in occasum feruntur: sed stellæ fixæ celerius suas revolutiones conficiunt; planetæ eo tardius, quod longius à stellis recessere. Luna nobis finitima tardissimo motu convertitur: unde in ortum celerrimè regredi appetet. Sol igitur spacio 24. horarum, non totum circulum, sed tantum 359. gr. vel circiter peragrat, ac singulis diebus non circulos integros, sed spiras delineat, eò majores quod æquinoctiali circulo sunt viciniores. Motus vero spiralis ex duplice motu recto scilicet, & circulari componitur, ut videre est in cochleis; quæ in orbem circumductæ, pondera sursum attollunt. Quo major est motus rectus, eo spiræ sunt laxiores. Contrà vbi circularis motus rectum superat, spiræ sunt confertiores: illud licet cernere in funiculo circa digitum vel baculum involuto: nam vbi evolvitur, non circulos sed spiras delineat, tanto maiores quanto radium habent longiorem; adeò ut ultima sit omnium maxima. Quid igitur oblitat quominus Solis motum ex circulari ab ortu in occasum, & recto à Septentrione in Austrum, seu à tropico ad æquatorem, compositum statuamus? Ea certè est circularis motus conditio, ut naturaliter neque accelerari, neque retardari postulet; secùs vel in immensum cresceret, vel in infinitum minueretur. Contrà accidit in motu recto, qui numquam est uniformis, & sui similis, sed paulatim intenditur, aut remittitur, ut ex motu rerum gravium constat. Itaque Solis motus ab ortu in occasum semper est æquabilis, & vniuersaliter; rectus à tropico Cancri ad æquatorem sensim crescit,

3. hypoth.
fs.

Erescit, atque ab æquatore ad alium tropicum minuitur: nec citius minores spiræ quam maiores absolvuntur. Idem prope vsuvenit, atque in calamo volatili, cui duo motus competent; alter centri & rectus; alter orbis, & circularis: quantò ille major est, tantò hic debilior existit. Calamus quidem de motu centri, seu progressivo plus obtinet; pennæ vero in orbe gyrrant, & calami motum sustinent, eodem tamen tempore calamus, & pennæ suos orbes, aut potius spiras absolvunt. Sed vereor ne in re ludicra serio despiciam. Id vnum volebam, restum motum circulari non nihil repugnare: tametsi non sunt duo motus, sed duas determinationes, quarum una alteram castigat, & impedit. Quod si declinatio Solis maxima, eccentricitas, & anni magnitudo, huc usque aliquantulum imminutæ fuerint, id certè accidit propter motum rectum, qui sensim minui potest; non item circularis, qui constans est, & perpetuus. Hinc facile accedo sententiae doctissimi Fabry, qui censet sidera impetu ab Auctore naturæ impresso cieri. Id enim alias ostendimus motum omnem corporum ab impetu di manare. Impetus vero ille sideribus impressus non extinguitur, quia non est inutilis: nihil porro destruitur, nisi quod frustra existeret: ut calor frigus perimit, quod frustra esset frigus, ubi summus calor inest. Quod si turbo propter impetum à puerō impressum, tamdiu in glacie torqueatur, & tot millia gyrationum agit; quid de impetu sideribus impresso existimate par est, ubi nihil resistit, nihil adversatur? An necesse est ad motrices intelligentias confugere, ubi principium naturale, & intrinsecum in promptu est? sed quā ratione hunc impetum Sol accepit? non abhorret à verosimili Solem in apogeo, ac tamquam in summâ epicycli abside conditum fuisse, ita ut motu recto, & accelerato, eam velocitatem, quam nunc obtinet acquisiverit. Quemadmodum si globus ex aliquot pedum altitudine in planum exquisitè politum decidat, inter descendendum comparabit impetum, quo satis diu in plano provolvator. Quod si terra foret lœvis, & terfa instar sphæræ crystallinæ, necio an globus in illam impactus motum suum unquam fisteret. Quid enim productum impetum destruat? Sic funependulum, seu plumbum funi appensum semel agitatum, vi-

*Opinio P.
Fabry.*

brationes suas, sive itus, ac redditus numquam intermitteret; nisi moles aëris, ac funis gravitas obsisterent. Rota denique quæ ad perpendiculum horizonti insitit, semel mota non cef- faret, nisi affictus, vel collisio partium hunc motum paulatim infringeret. Quid igitur dicturi sumus de motu siderum, quem nulla partium collisio, nulla corporum resistentia, vel gravitas imminuit? Quocirca Solvnicō quidem motu, ex triplici tamen composito cietur: duo sunt recti, alter declinationis à Septen- trione in Austrum, qui quatuor anni tempora dispensat; alter ab apogæo in perigæum, quasi deorsum tendens; tertius denique est circularis, qui dies noctesque efficit. Declinationis motus, apogæi motu aliquantulum celerior est: hinc apogæum quasi in consequentia ferri nobis apparet. Hæc sane mihi veri- similia videntur, tametsi scio me in alieno foro peregrinari, atque extra territorium jus dicenti posse non pareri.



CAPVT QVARTVM.

De Luna theoriam.

- I. *Corpus lunare non esse tersum & politum, sed asperum & terre simillimum.*
- II. *Lunam collustrari lumine à terrâ re- flexo, & easdem terram subire phases, quas in Lunâ depre- hendimus.*
- III. *In corpore lunari, ut in terrâ montes assur- gere, valles deprimi, lacus & maria diffundi.*
- IV. *De Lune influxibus, de mense atque aliis que ad calculum Ecclesiasti- cum pertinent, agitur.*
- V. *Lunares motus juxta omnium fere Astronomorum hypotheses explicantur.*
- VI. *De Solis & Lune defectibus multa speculatione digna proponuntur.*

SIMPLICIVS.

RORTE ita est vt dicis; quique rem vt physicum decet, seriæ æstimatione perpenderit, facile tuæ opinioni accederet, atque oīnes epicyclorum rotas, vel motuum varietates è cælo depellat. Sed ve- nient Astronomus, qui te dicat despere; neque ullâ ratione statas siderum periodos definiri, vel phænomena

explicari posse, nisi multiplici motu, tum Sol, tum etiam planetæ deferantur. Quis motus cælestes certis numeris persequi queat, nisi circulares eos esse constituerit? quod in Lunâ longè evidentius liquet. Hæc enim vñà cum reliquis sideribus diurnâ conversione abripitur, ac motu sibi proprio menses efficit. Aliquando longius abest à terrâ; nonnumquam vicinior est, vt nihil dicam de motu latitudinis, quo ab eclipticâ, seu Solis viâ, modò in Austrum, modò in Septentrionem deflectitur. Imò non eodem tenore, sed aliquando tardius, nonnumquam celestius promovetur. Verùm antequam de horum motuum diversitate tractare aggrediar, quid mihi de naturâ corporis lunaris videatur, explicabo brevi.

Pulcrè quidem Beda Lunam terram ætheream esse arbitratur. Non enim corpus est instar speculi lœve, ac politum, vt sibi fingunt plerique Philosophi. Corpus quippe tersum, ac politum vnicâ superficie continetur; quare ab uno punto in vnum dumtaxat locum radios luminis reflectit. Soli conve-xum speculum expone, id nonnisi in vnam partem lucem re-geret: quòd si quis in eo loco consistat, vix luminis reflexi ful-gorem sustinebit: extra hunc locum existenti speculum ob-scurred, ac subnigrum appareat necesse est. Non ergo Luna sub visum cadet, si sit instar speculi polita; cùmque ex omni parte sub obtutum veniat, corpus obtinet innumeris superfi-ciebus asperum, & inæquale. Hoc igitur habet Luna cum terrâ commune, quòd utraque magnâ inæ qualitate partium, & opacitatē donetur: adeò vt singula puncta in omnes partes radient, nec minus Luna à telluris globo, quām vicissim terra à corpore lunari collustretur. Quòd si quis ex editissimo monte terram aspiciat, eam certè non tenebrosam, sed splendidam, & ful-gentem contuebitur. Quid, si totum terratum orbem inueniri liceret? vnde obsecro lux illa debilior, quæ per Lunæ silentis, ac novæ orbem dispersa conspicitur? Non enim modò extre-mus Lunæ circulus micat, sed tota etiam facies, quæ nobis obvertitur, hac tenui luce aspergitur.

T H. Ratio in promptu est: Luna quippe proprio sibi, & congenito gaudet lumine, quod non modò in noviluniis, sed etiam in mediis eclipsibus prodit. Tum enim luce solari-

Corpus lu-nare esse as-perum, non tersum & leve.

Lunam à terra non nibil illuſtrari.

destituta, rubro, & tertibili quodam colore infecta cernitur. *S i m p.* Sit icta sancè, Luna proprio fruatur lumine, quod nunc non discutio. Iam cedo, cur lux illa quâ pars Lunæ tenebrosa perfunditur, sit maxima, cùm Luna viciniùs Solem petit, ac tenuiter est falcata; cur Lunâ crescente paulatim minuitur: sed ni fallor, cùm nocte intempestâ oritur, ac longius à Sole discedit, multo clariùs hanc lucem debiliorem contueri uiceret. Non ergo lux illa est Lunæ insita, sed mutuatia tantum existit, atque à terrâ reflectitur: easdem enim (si forte nescis) phases terra subit, quas Luna, nisi quòd silente Lunâ, globus terrestris pleno orbe lucet & è contrâ. Tum verò nobis nova, vel sibiens videtur Luna, cùm inter Solem, ac terram interjacet: sic enim Sol partem Lunæ nobis aversam irradiat: sed cùm Soli opponitur, tum hemisphærium Lunæ nobis conspicuum illustratur. Luna silens vñacum Sole oritur, & occidit: in pleniluniis Sole occidente oritur. Cùmque Luna celerius versus Orientem promoveatur (circuitum enim suum spatio menstruo perficit) secundo à novilunio die, tardius Sole occidit, atque ita deinceps: vnde jam sinuatur in cornua, eaque in Orientem dirigit. Ex Lunæ quippe hemisphærio nobis obverso, jam aliquam partem Sol irradiat, atque à nobis tum cava cernitur, quoisque medio orbe luceat; tum enim partis illustratæ, & tenebrosæ confinium in rectam ferè linéam porrigitur. Cùmque circa medianam noctem super horizontem emergat, lux illa quam Lunæ insitam, & congenitam esse arbitraris, vix percipitur: adeò vt Lunâ gibbosâ existente, atque ad plenum orbem accedente, pars tenebrosa, hac tenui luce nequaquam perfusa videatur. Vnde hoc? nisi quòd novâ existente Lunâ, tum telluris facies Lunæ obversa lumine compleatur. Quòd si enim aliquis à lunari corpore terram spectaret, totum hemisphærium à Sole collustratum inueniretur. Lunâ crescente terra veluti senescit; ita vt in plenilunio iis qui in Lunâ degerent, terra sibiens appareret. Quid igitur mirum, si crescente Lunâ, lux à terrâ emendicata paulatim minuatur? Imò longè clariùs senescente Lunâ, biduo aut triduo ante utriusque luminaris congressum, quando Luna manè cadit sub obtutum, id lumen conspicitur, quām post novilu-

Phases Lunæ à terra finitæ.

nium, quando nempe post Solis occasum Lunam contuemur: cum enim lumen excipit à parte telluris orientali, vbi terræ est plurimum, aquæ perparum: totam enim Asiam ea plaga complectitur. Sed vbi Luna fit occidentalis, rotum mare Atlanticum respicit; hinc parciore luce perfunditur. Abunde ergo ex iis quæ diximus judicatum est, Lunam, & terram sibi mutuas operas tradere, atque vnam ab alterâ collustrari; easdem prorsus habere phases, ejusdem esse naturæ. Non enim Luna corpus est pellucidum, sed opacum, solidum, & inæquale. *Quod primus omnium demonstravit Plutarchus, ex eo maximè, quod partis lucidae, & tenebrosæ confinium non sit rectæ lineæ simile, sed lacerum, & discriptum. Hinc manifestè probat corpus lunare non esse politum, & laxe, sed asperum, & inæquale. Addit etiam ibi & maria, & lacus, & montes, & insulas existere. Argumentum dabo, si forte dubitas, certissimum.* Quid enim sunt ingentes illæ maculae omni ævo cognitæ, quæ obscuriores apparent, nisi quædam maria vel paludes, quæ Solis lumen non regerunt, sed ferè extinguunt, & absorbent? vnde per has maculas vmbrae sectio traducta, planissima est, & æquabilis; ac partes etiam littorales recedente, vel accedente Sole, tardius quam subiecta maria illustrantur, & quædam dilutiores vmbras in partes oppositas projiciunt. Multa præter cæteros addit Gassendus, in primis longas series vmbrae plerumque nigrescere. In iis quoque maribus esse quasi vada, vel scopulos candidiores. *Quid etiam esse possunt innumerabiles maculae, quæ tubo optico, non solùm in eâ quæ illustratur, sed etiam in tenebrosâ parte deprehenduntur? cum enim vmbras in adversam Solis partem densissimas projiciant, cùmque illarum juga sint illustriora, quam partes depressores, nihil aliud esse possunt quam montes: nam vmbrae Lunæ crescente paulatim minuuntur, quo usque in plenilunio penitus evanescant. Idem videre est in montium jugis, quæ Sol exoriens irradiat, horum quippe vmbrae sensim decrescunt, donec Sol ad Meridiem pervenerit: tum enim vel nullæ sunt, vel minimæ: inclinato Sole, augmentur, atque in oppositam partem portiguntur. Sic pars illa maculae, quæ crescente Lunæ obscurior fuit, senescente illustratur; quæque antè lucidior erat,*

*Lunam effo
montibus
asperam.*

jam apparet obscurior. Quare eadem redeunt vmbrae, sed in contrarias partes diriguntur. Observat etiam Gaslendus varietates terrarum (vt ita loquar) silvarum, stagnorum, & similia diversum alborem creare, & in medio Lunæ disco areas quasdam ex ordine humilioribus collibus obseptas videri. Sunt item profundiores valles, quæ in pleniluniis multum candidæ; Sole verò accedente, vel recedente obscuriores apparent. Est insignis versus Orientem cuspis, quâ illustratâ nihil est candidius; sic alia sunt partes adeò lividae, & pallescentes, sive sint lacus, sive tructus terræ nigrioris, vt nullâ luce candidiores videantur.

T H. O desirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia est dicenda. Exspecto ut cum Xenophane habitari in Lunâ doceatis, eamque esse terram multarum urbium, & montium. Quid enim, si in Lunâ paludes, maria, & continentes existant, necesse est ut pluviae & nubes identidem Solis calore evanescantur; quæ Lunam subinde occultabunt, eamque aspectui nostro subducent. Crassiori quoque aere, & veluti atmosphera instar terræ vallabitur. Id si ita esse fateberis, fateare simul necesse est Lunam in proprio loco observari numquam posse. Nam præter cætera obstabunt refractiones, quæ Lunam semper vlerâ quam par sit altam exhibebunt. Faceant igitur cum istis portentis Astronomi: profectò hoc genere hominum nihil est arrogans.

S I M P. Luna non sit terra, sed quiddam terræ simile; nulla in corpore lunari aqua restagnet; sed quiddam mari analogum; non sint in Lunâ montes; sed partes dumtaxat quædam aliis elatiore affurgant, quæ certè sub obtutum cadunt: nec demonstrationis fides major aliunde esse possit. Sic velut scopuli vel insulae è maculis nigrioribus, & perpetuis, atque in mediâ planicie quasi rupes attolluntur: ibi & areæ visuntur, in quarum meditullio affurgunt monticuli. In parte tenebrosâ quot pumcta lucidiora conspicuntur, quæ paulatim augentur, cum Luna impletur lumine. Iam ubi tenuissime est falcata, nonnullæ partes lucidæ prope cornua visuntur ab ipso margine sejunctæ; hæ forsitan nihil sunt quam montium cacumina à Sole collustrata. Est quædam macula à cæteris sejuncta, quam

idecirco mare Caspium vocant, quæ aliquando extremo margini vicinior est, nonnumquam remotor; sive Luna aliquo librationis motu agitetur; sive propter diversos Solis aspectus, & varios in zodiaco situs, id accidat. An ideo in Lunâ habitari putem? nihil potest dici inconsideratus; quod si zona torrida vix incolitur, quid de Lunâ existimare par est? nam totos quindecim dies eidem Lunæ hemisphærio Sol incumbit. An si quæ sint ibi plantæ, vel animantes, non exurentur? cùmque Luna s. dumtaxat gradibus ab eclipticâ, hinc inde excurrat; vix decem gradus-minimam inter & maximam Solis altitudinem meridianam intererunt: cùm nobis Sol æstate 47. grad. altior esset, quam hieme: hinc dierum, & noctium inæqualitas, & quatuor anni temporum vicissitudo. At in Lunâ dies dimidium mensem contineret, atque intra mensem Sol totum zodiacum perlustrare videretur. Quocirca minus absurdè quis fingeret hunc locum lustrandis animabus destinari. Quamquam id quoque divinare est; & magno conatu magnas nugas ago, qui in his refellendis tempus impendam.

Nihil quoque ut puto necesse est hîc de Lunæ in hæc inferiore influxibus disputare. Quis enim ignorat Lunam crescentem corporibus humorem affundere, quem senescens quasi refert? vnde qui interlunio nascuntur, vel concipiuntur, imbeciliores esse solent, præ humoris defectu. Hinc docet Plinius quod omnia quæ cæduntur, carpuntur, tondentur, innocentius decrescente Lunâ, quam crescente fiunt: adeò ut vtilissimè in coitu luminarium sternantur ligna. Nam quæ crescente Lunâ dejiciuntur, præ nimio humore fabricis minus apta sunt: quæ igitur vis ut sicca permaneant, ea deficiente Lunâ colligas; quæ humidiora cupis, ea crescente Lunâ conficias. Quare purgatio optimè instituitur in plenilunio, quod tunc corpora laxiora existant, ac sicciora semina longè opportuniùs in pleniluniis terræ mandantur. Post plenilunium vtilius metitur quam seritur. Omitto conchyliis, ostreisque omnibus contingere, vt cum Lunâ crescant pariter, pariterque decrescant; ac corpora nostra vberiore sanguinis copiâ perfundi, Lunâ tumente, quam cùm sitiens existit; aut denique formicam interlunio cessare. Hæc quippe nimis trita sunt, & vulgata.

*Nullus offe
in corpore
lunari in-
cubat.*

*De Lunæ
influxib.*

Vtrum æstum maris reciprocum motus Lunæ moderetur, alio loco excutiendum erit. Atque hæc, vt ego arbitror, veteres rerum magis eventis moniti, quām ratione ducti probaverunt. Non enim fortasse Deus nos ista naturæ arcana scire, sed his tantummodo ut voluit.

M E N. Quantum ego conjecturis assequi possum, idcirco Lunâ crescente corpora sublunaria humidiora sunt, quod radii solares in Lunæ maculas, quas nihil esse quām aquas dixisti, impingantur, & ad nos usque reflexi rebus omnibus humorem affundant, ac prolifici existant. Est quippe lunaris humor quasi fermentum quo humidiora corpora solvuntur. Radii solares per aquam trajeclti vermes, & alia id genus procreant. Nihil igitur mirum si iidem radii à lunari bus maculis huc usque repercuti, tantam rebus terrenis fecunditatem impertiant. Luna igitur multos humores excitat, corporum poros laxat, & aperit, unde ægris multum obesse, vel prodesse perhibetur. Ptolemæus quidem Solem vitalis potentiae, Lunam verò facultatis naturalis fontem esse existimat: illius quippe lumen calidum est, & vivificum, Lunæ autem humidum. Nec dubito quin ex Lunæ variis coloribus tempestates facile prænuntientur. Hinc pallida Luna pluit: vapor enim plurimus hunc Lunæ pallorem conciliat: rubicunda flat, quod multa exhalatio interjacens radios luminis, si tibi credimus, mi Theophile, interrumpat, ac Lunam tubeo colore tingat: sic enim flamina fumo permista, subrubra videtur. Alba ferent: tum quippe vel nulli, vel paucissimi vapores illam obscurant: nullâ quoque exhalatione aër inficitur. Sed parum est Lunam esse tempestatum indicem, nisi sit & causa, quod ipsa comprobat experientia. Plinius octonis ferè annis, vel centesimâ revolente se Lunâ, non modò æstuum maris, sed etiam ventorum, ac tempestatum varietatem contineti arbitratur; quod vtrum verum sit, ipse viderit. Illud vero est similius, æstate Lunam silentem esse calidissimam, plenam verò gelidam existere: contrà hieme interlunium friget, plenilunium tepidius existit. Ratio ita prompta est. Luna quippe æstate cum silet, in eodem cum Sole gradu moratur; quare ad verticem nostrum quām proximè accedit: sed plena longissimè abest à Sole,

le, ac circulum tropico Capricorni finitimum motu diurno describit. Hinc solet esse frigidiuscula, secus hieme vsuvenit, contraria ob rationem: nam interlunio longissimè abscedit à nostro vertice: hinc & gelidior existit. Cum plena est lumine, nobis est finitima: vnde & calore suo noctem tepidiorem efficit. Hęc quidem omnibus in ore versantur: neque tamen indigna esse puto quae à Philosopho diligenter excutiantur. Nunc nisi quid tibi aliter videatur, de variis Lunæ motibus quam dilucidè poteris, nobis ediffere.

SIMP. Discedam igitur parumper à Physicā, ad quam mox reverar; neque enim multum me delectat Astronomica illa subtilitas; sed tibi nos gerendus est, & rem satis arduam paucis expediam. Quenadmodum sol circuitu suo annum, sic Luna mensem conficit, qui periodicus est, vel synodicus; ille nihil est quam temporis intervallum, quo Luna integrum revolutionem absolvit, ac diebus 27. horis 7. min. 43. sec. 7. perficitur. Synodicus verò est spatiū quod inter duo novilunia intercedit, constatque diebus 29. horis 12. min. 44. sec. 3. cùm enim Luna suum orbem peragrat, Sol interim circiter 27. gr. in zodiaco promovetur. Quò igitur Luna eum assequatur, duos dies, & aliquot horas insumit. Mensis itaque synodicus is est quem definivimus; tametsi illa minuta soleant negligi, vt ad usum popularē adhibeatur: quare menses alternis 29. & 30. diebus constant. Quæ supersunt scrupula in horas colliguntur, donec post aliquot annorum volumina, unius diei summam efficiant. Hic mensis duodecies repetitus lunarem annum producit 354. dierum, 8. hor. 48'. 38''. ita vt solari anno diebus vndecim, vel circiter minor existat, qui tertio quoque anno intercalantur, atque annum 13. mensium lunarium efficiunt. Dies aliquot abundant, qui certis annis accrescent; adeò vt post 19. annorum circulum, septies intercalare oporteat; tūmquæ lunares anni solaribus satis accurate exquantur. Hęc est periodus Metonica, decemnovalis, seu *etatis metone* adeò decantata, vel cyclus aureus à Metone excoctatus, qui Græcis sic placuit, vt in foto cujusque urbis insignioris præfigeretur. Quocirca si novilunium hoc anno 1658. in quintum Martii inciderit; exacto 19. annorum circu-

*Quid perio-
dicus, quid
synodicus
mensis.*

*Cyclus dei-
cennovalis.*

Q

lo, hoc est, anno 1677. in eumdem prolsus diem incurrit: cuius rationem, & calculum paucis absolvit Petavius hoc modo. Anni 19. solares, 6939. dies, 18. horas complectuntur, seu menses 235. continent: totidem anni lunares diebus constant 6732. hor. 23. 24'. 5''. seu mensibus 228. His igitur desunt septem menses, qui certis annis intercalantur; scilicet dies 206. horæ 17. 8'. 22''. quos si 6732. diebus addideris, jam 6939. dies, 16. horas, 32', 27''. seu 235. menses obtinebis: quare claus Metonicus minor est 19. annis Julianis, vñ ferè horā, 27. min. 32''. Non igitur præcisè ad eum locum Luna revertitur, sed horā ferè cum semisse anteverrit. Quod quidem discrimen neglectum fuit: atque à tempore Nicænae Synodi post 1300. circiter annos, jam quadriduo novilunia anticipabant, quod noviluniorum, & pleniluniorum calculos, Paschatis, & festorum mobilium loca omnino turbabat; sed ut suprà monuimus, Gregorius XIII. ea restituit, & fastos emendavit. Cùm antè in Martyrologio consueto more novilunium prænuntiabatur, jam quartus pñne dies Lunæ effluxerat.

M E N. Quid esset numerus aureus, seu Metonica periodus planissimè nobis exposuisti: nunc quid cyclum solarem vocent, quæque sit illius ratio, nobis explicare ne graveris.

S I M P. Quamvis mihi ad majora properanti hæ minutæ non arrideant, tamen quo tu ~~me~~ cumque duces, sequar. Annus 365. diebus, & senis horis constat, qui hebdomadas 52. efficiunt, diésque vñus superest. Cùm igitur septem dies, qui hebdomadam constitutæ, 7. literis ABCDEFG exprimantur; nisi dies ille abundaret, vnaquæque feria suam literam; vel characterem constanter recineret: sed hic dies superflius efficit, vt quæ litera hoc anno primam feriam, seu diem Dominicum designabat, anno proximo alium indicet diem; ac nisi quid aliud obstaret, hic circulus 7. annis absolveretur. Ut si hoc anno litera quæ Dominicum diem notat, fit A, sequenti erit G, tum F, ita vt post orbem 7. annorum, ad idem caput litera quæque revertatur. Verum bisextilis dies qui quarto quoque vertente anno inseritur, hanc seriem interpellat, efficitque vt non nisi exacto 28. annorum circulo, idem literarum tenor recurrat. Nam quater septem 28. producunt. Sit

*Quid cyclus
solarius.*

ex. gr. hic annus bisextilis, cuius literæ Dominicæ sint GF, hoc est, ante sextum Kalendas Marci, litera G fuit Dominicæ: post bisextilem intercalatum succedit litera F: quare anno sequenti erit E, tum D, post C, cum BA, &c ita deinceps. Neque literæ GF, nisi absoluto 28. annorum circuitu revertentur. Iam ut nihil videar omittere, tertius est quoque magno in vnu cyclus, qui Indictionis nomen obtinuit, hic 15. annorum spatio perficitur. Quocirca cyclus 1. 2. 3. Lunæ est primus, vel secundus, vel tertius annus decemnovalis circuli. Idem de cyclo solari, vel indictionis dictum puta. Sic Christum natum esse dicimus cyclo Lunæ 2. Solis 10. indictionis 4. quod si Lunarem cyclum in solarem ducas, 19. in 28. præsibunt anni 532: qui rursus in 15. seu indictionis circulum multiplicati efficiunt 7980. hæc est Julianæ periodus à Scaligero excogitata, obsignandis temporibus, & epochis perutilis. Cum enī tanta sit opinionum varietas de numero annorum ab orbe condito; nec veteres iisdem vterentur annis: alii quippe lunares, alii solares adhibuerunt: cūque non eadem essent annorum exordia. Siquidem alii ab æquinoctio verno incœperunt, vt anni vrbis Romæ: nonnulli ab æstivali solsticio, vt Olympiades, quæ quatuor annis integris constabant, sic dictæ quod quinto inueniente anno ad Olympiam urbem Peloponnesi, ludi committerentur; alii ab autumno, vt anni Iudaici cœpti sunt; alii demum à brumali solsticio, vt Juliani, quibus Latini omnes scriptores nunc vntuntur. Quando res acta suo tempore reddetur, longum erit inquirere quo anno ab orbe condito congerit; quod genus annorum auctor usurpet, quod denique sit illius anni exordium: sed omnes epochæ, seu annorum radices in periodo Julianæ suum locum obtinent. Illius quippe primus annus mundi originem præcedere supponitur, ac cyclum Solis 1. Lunæ itidem 1. indictionis quoque 1. obtinet. Præter hunc annum nullus in totâ periodo Julianæ reperiatur, in quo tres hi cycli simul concurrent. Sic Christi epocha incidit in solarem cyclum decimum, lunarem secundum, indictionis quartum, atque tres isti cycli in nullum aliud quam in 4714. annos Julianæ periodi incurruunt. Nam si hunc annorum numerum 4714. per cyclum solarem 28. partiaris,

*Quid Indi-
tio.*

*Julianæ pe-
riodus.*

Q ii

divisione peractâ, residui erunt 10. sic distributo per lunarem cyclum 19. restabunt 2. denique diviso per circulum indictionis Romanæ 15. supererunt 4. hac arte cujusque anni Iulianæ periodi cycli proprii invenientur: divisâ annorum summâ per vnumquemque cyclum; residui, quotus sit cujusque circuli annus ostendent. Sed non longius evagabor, atque ad propositum revertar.

Quod si Luna æquabili cursu suum orbem perlustraret, ac singulis diebus æqua spatio decurreret; dicam planiūs, si medius motus cum vero, & apparenti exactè conveniret, nihil esset opus excentricis, vel epicyclis, quod illius motum explicare, ac certis numeris dimetiri liceret. Nam si spatio 29. dierum, 12. hor. 44. min. à Sole digressa, eum assequitur; singulis diebus 13. gr. & decem minuta conficiet. cùmque Sole eodem tempore circiter 59'. in easdem partes promoveatur, Lunam motu diurno à Sole gr. 12. min. 11. elongari necesse est. Quare singulis horis dimidium ferè gradum peragrabit; neque erit arduum conjunctiones omnes medias, vel oppositiones, vel deum ipam Lunæ ætatem dignoscere. Sed hæc fortè ad proxim pertinet. Quid igitur hanc scientiam adeò difficilem, & spinosam reddit? Idem scilicet in Lunâ, quod in Sole vñvenit: aliquando tardius, nonnunquam celerius promoveri apparet; neque in pleniluniis, ac neomeniis tanta occurrit diversitas, quanta in quadraturis, cùm Luna est dividua; nam in oppositione, vel conjunctione, inter verum mediumque motum differentia maxima, vix ad 5. grad. exsurgit, cùm in quadraturis ultra 7. gr. excurrat.. Quæ quidem phænomena, atque anomalias vt explicit Astronomiæ princeps Ptolemæus, supponit Lunam moveri in circulo nobis excentrico DBD, cuius centrum M, terræ centrum S, summa absis C, infima, seu perigæum E, non aliter atque in Sole. Centrum epicycli lunaris à punto C, in D, juxta signorum successionem progressiatur; atque eodem tempore apogæum C, contra scriem signorum, seu vt loquuntur, in præcedentia à punto C, versus B, è lege deferatur, vt in singulis conjunctionibus vel oppositionibus centrum epicycli apogæum occupet. Quare motus Lunæ diurnus, qui centro epicycli competit, futurus est


*Ptolemai
hypothesis.*

13. gr. 10'. 35''. motus item diurnus apogæi erit 11. gr. 12'. 19''. Sol verò inter centrum epicycli, & apogæum medio semper loco consistet. Sic periodus centri epicycli diebus 27. hor. 7. apogæi verò revolutio diebus ferme 32. hor. 3. min. 4. absolvetur. Mensis synodicus diebus 29. hor. 12. min. 44. perficitur. Quapropter vbi Luna cum Sole congreditur, vel ei opponitur, necesse est, ut medius Solis motus, necnon & motus centri epicycli, atque apogæi in vnam lineam conspicient E C. Sed primo die à nouilunio centrum epicycli 13. gr. & amplius versus sinistram progreditur in K, tumque apogæum C in dextram versus occasum excurrit, ac circiter 11. gr. peragrat. Interea Sol vno ferè gradu in ortum promovetur. Quare Luna 12. tantum gr. à Sole digredietur, atque apogæum tantumdem à Sole discedet; adeò vt centrum epicycli ab apogæo 24. gr. vel circiter recedat: Sol igitur Lunam inter, & apogæum medium locum obtinet. Cùm autem Luna quadrante zodiaci lustraverit, & ad punctum D pervenerit, quod accidit cùm est Διχόπος, seu dividua, jam toto semicirculo distabit ab apogæo, quod tum in puncto B existit, atque adeò Luna in perigæo, seu terræ finitima futura est. Sed vbi ad plenilunium pervenerit in E, eodem tempore apogæum eumdem locum attinget. Itaque Luna bis vnoquoque mense in apogæo; bis in perigæo invenitur. Sic in quadraturis cùm sit terræ proxima, inæqualitas apparet maxima. Accidit etiam vt in noviluniis, ac pleniluniis eum locum sæpe non occupet, quem ex medio, & uniformi motu debet obtinere. Vnde præter circulum excentricum addidit Ptolemæus epicyclum H F H: quem Luna spatio 27. dierum, 13. hor. 18. min. perlustrat, eà conditione vt ab H versus G, quod vocant in præcedentia, & contra signorum successionem moveatur. Quocirca vbi superiorem epicycli partem Luna peragrat, tardius ferri videtur. Nam duo illi motus, & Lunæ in epicyclo, & epicycli in excentrico in contrarias nuntuntur partes, ac sibi mutuo adversantur. Cùm verò Luna inferiorem partem epicycli decurrat, tum motu celeriori promoveri nobis videtur.

TH. Dilucidiūs hæc eloquere; vix enim assequor.

SIMP. Rem totam explicabo brevi. Centrum epicycli in

Q iii



puncto D constitutum singamus, Lunam vero in puncto G, quae idcirco tardius incedere videbitur. Sed ubi pervenerit ad F, vel H, tum medius, & verus Lunæ motus simul concurrent, ac neuter alterum superabit. Existat demum in puncto I, tum celerius promota apparebit. Differentia utriusque motus mediæ & veri, qualis est arcus G D, seu angulus G M D, æquatio, vel prosthæresis vocatur, qua addita, vel subducta à medio motu, verum exhibet. Medius motus est C D, verus C G. Quod si subduxeris arcum D G à medio motu D C, verus seu apparet motus supererit C G.

Duplicem igitur in Lunâ inæqualitatem deprehendimus. Prima ab eccentrico proficitur, quâ sit ut Luna in quadraturis propriis sit quam in neomeniis, vel plenilunii, hicque minores sint prosthæreses, quam cum Luna est dividua. Secunda irregularitas, ut ita dicam, per epicyclum exponitur,

quæ efficit ut Luna etiam cùm nova est, vel plena, minori aliquid, vel longiori à nobis distet intervallo; nec medius motus cum vero ubique conveniat.

Hæc quidem hypothesis Copernicum offendit, nec immerti. Supponit quippe Ptolemæus epicyclum in excentrico circa centrum mundi S, vniuersitatem, & regulari motu ferri; irregulari verò circa punctum M, quod orbitæ lunaris medium obtinet. Id si ita sit, motus illius tantum secundum quid, non simpliciter erit æquabilis; quod quidem est contra ipsius artis principia. Supponit quippe Astronomia omnem motum corporum cælestium esse regularem, atque tota in id incumbit, vt qui disformes nobis, & inæquales videntur, vniiformes, & semper sui similes esse demonstraret. Cùm igitur motus Lunæ in epicyclo, & epicycli in excentrico disformes esse, & inæquales in propriis circulis contendat Ptolemæus, in ipso offendit limite, atque vt ait Copernicus, ansam præbet iis qui huic arti detrahunt. Præterea, hæc hypothesis non rationi modo, sed etiam ipsi repugnat experientiæ: cùm enim maxima Lunæ à terrâ distantia 64. semidia metras terræ contineat; cùmque excentricitas M S juxta Ptolemæum sit 10. semid. & 8. min. vbi Luna ad perigænum pervenit 43. semid. vel circiter abest à nobis. Nam dupli excentricitate vicinior terræ est. Iam si infinitam epicycli partem occupet, cuius radius quinque, & amplius semid. complectitur. Necesse est vt in quadraturis Luna vix aliquando 33. semid. terræ à nobis elongetur. Tum igitur, inquit Copernicus parallaxim duplo majorem obtinebit, ac Luna ferè quadruplo major videbitur, quod experientiæ omnino repugnat. Sed ipse quoque hic nonnullo errore labitur. Nam quæ propiora sunt, majora quidem cernuntur; non tamen in eâ ratione, quâ propiora existunt, vt suo loco dicemus. Id certè evincit Copernicus Ptolemaïcam Lunæ theoricam cum sensu, & ratione pugnare; neque enim corpus lunare circa quadraturas sensibiliter majus observatur. De parallaxi alibi.

MEN. Vtri potius accedendum putas Ptolemæo, an Copernico?


SIMP. Vtriusque apud me summa est auctoritas; sed ta-

*Ptolemæi
hypothesis
rejectio;*

*Minores
vocamus
equis que
integri par-
tem sexagesi-
simam.*

2.
*Hypothesis
Copernici.*

men longe probabilius de motu Lunæ sentire mihi videtur Copernicus. Statuit quidem Lunam in circulo nobis concentrico et quilibet motu deferri. Verum hic motus propter duplē epicyclum, multum inæqualis nobis apparet. Sit epicyclus major H F H, cuius centrum D spatio vnius mensis synodici orbitam Lunæ nobis concentricam D B D peragrat. Itaque prima inæqualitas, quæ in novâ plenâque Lunâ observatur, per hunc circulum commodè explicatur. Maxima prostaphresis, seu differentia inter medium verūmque motum erit angulus G M D, qui gradus quinque non excedit. Sed prope quadraturas æquatio maxima invenitur gr. 7. min. 40. quare addendus est minor epicyclus I R. Quem Luna bis in unoquoque mense perlustrat, eâ lege ut in plenilunio, vel novilunio sit majoris epicycli centro D proxima; in quadraturis remotissima. Quò igitur rem totam paucis contraham. Centrum ma-



joris

ioris epicycli spatio 29. dierum, 12. hor. 44'. orbem C D B conficit. Interea centrum minoris epicycli I moverur ab I in H, & ab H versus G, seu in præcedentia contra signorum tenorem, spatio 27. dierum, & aliquot horarum; adeò ut hic motus diurnus, qui anomaliæ dicitur, quod efficiat ut prior motus inæqualis appareat, sit 13. gr. min. 3. sec. 53. tardior videtur cùm semicirculum H G F decurrit. Tertiò, Luna minorem epicyclum bis vnoquoque mense lustrat, simili motu in præcedentia nitente; ita ut prope quadraturas sit in apogeo minoris epicycli versus I, & maximam efficiat prosthæresim 7. gr. 40'. quæ angulo D M I continetur. Sed in conjunctione, vel oppositione futura est æquatio minima, tum enim est Luna in perigao minoris epicycli R, ac centro maioris D proxima. Distantia Lunæ maxima, cùm plena vel nova existit, erit semidiametrorum terræ 65. cùm semisse, minima 55. cùm verò est diæta, elongatio maxima est 68. semid. minima 52. Non igitur mirum, si Luna ejusdem ferè molis vbiique videatur.

TH. Quod si diligentissimo examine hanc quoque hypothesim libraveris, forsitan rationi minus convenientem repries. Quid enim stultius quam epicyclum epicyclo insertum fingere? Quod si cælum liquidum sit, magnus ille machinarum apparatus ne concipi quidem poterit.

SI M P. Nec mihi, ut ingenuè aperiam quod sentio, illæ rotæ, vel epicycli probantur. Nescio an Lansbergii hypothesis sit ad veritatem propensior. Orbitam Lunæ nobis excentricam D B D licet concipere, cuius centrum M, punctum terræ medium A, maxima excentricitas sit A P, minima A N, Luna autem in suo orbe singulis diebus Solem 12. gr. 11'. anteveritat, atque à punto B in C, tum in D promoveatur; cùm interim centrum lunaris orbitæ M versus P, duplo celeriori motu in consequentia, nempe 24. gr. 22'. conficit. Sic igitur apogæum Lunæ continenter variatur, & bis vnoquoque mense Luna in apogeo versatur. Postremò orbis Lunæ à punto D in G, & vicissim à G in D hinc inde libretur; qui motus ident efficit quod minor epicyclus, quem Copernicus admisit. Sit igitur arcus D G duorum gr. atque illius motus, seu anomalia in circulo H F H numeretur ab H versus G, adeò ut intra men-

R

Lansbergii.

3.

sem synodicum hic circulus quater absolvatur. Addit etiam Lansbergius quartum motum, quo medium apogaeum C versus K, singulis diebus septem ferè minuta progreditur. Id sane mihi est miraculo omnes omnium temporum observationes tam aptè cum hâc hypothesi consentire, ut non aliam esse lunaris motus œconomiam jurare possis. Sed de Lunæ theorica satis multa.


*Motus eclip-
ticæ & per-
iboream.*

Id tamen præterire nequeo, quod Luna non eandem insitit viam cum Sole; sed illius orbita eclipticam in duplo puncto secat, quemadmodum zodiacus æquatorem in punctis æquinoctialibus dirimit. Intersections altera similis est æquinoctio verno, ac nodus ascensens à Ptolemæo, Caput Draconis à recentioribus vocatur; tum Luna ad verticem nostrum ascendit, & in Boream deflectitur. Declinationem seu latitudinem maximam, Ventrem Draconis nominant. Sectio altera Nodus Descendens appellatur. Neque amplius quam quinque gradus, Luna hinc inde in Boream, vel Austrum excurrit. Tamen si nonnulli circa quadraturas majorem quam in noviluniis, vel pleniluniis latitudinem esse autument. Excessum vero 16' definunt; ac novum proinde librationis motum inducunt; meo quidem judicio presus inutilem. Fieri enim potest, ut Luna nobis vicinior, ab eclipticâ aliquantulum magis declinare videatur: nam quæ nobis sunt propria, eadem majora cernuntur. Quod si nodi, seu mutuæ orbium Lunæ, ac Solis intersectiones, in eadem statione permanerent; profectò eclipses tum Lunæ, tum Solis semper isdem in locis contingenterent. Quis enim ignorat Lunam eclipsim pati, quando terræ umbram ingreditur, quod tum accidit, cum Soli è regione opponitur, atque ambo luminaria utrumque nodum obseruent. Sol vero nobis videtur deficere in ipso novilunii puncto, cum Luna illius nos aspectu fraudat. Sed quando ab itinere solari exorbitat, tum nec Solem occultat, nec ab umbra terræ obscuratur.

*Quid ecli-
pticæ & per-
iboream
in conser-
gat.*

Sit Sol in H, Luna in F, terra, seu oculus M, planum est interjectu corporis lunaris terram radiis solaribus orbari. Tum igitur non Sol, sed terra ipsa deficit, ac tenebris involvitur; idque evenit cum Sol, & Luna prope nodos versantur. Nam si Luna

in Austrum, vel Boream declineret, circa punctum G, tum Sol aspectui nostro minimè subducet. Ex iis etiam liquet, cur eclipsis solaris nunquam ferè integra, & totalis existat, neque vim quam toti terrarum orbi appareat. Cum enim Luna longè celerius in Orientem quam Sol progrederiatur; adeò ut intra hora spatium, dimidium ferè gradum conficiat (quantum scilicet diameter Solis in proprio cælo occupat.) Vix evenit ut totum Solem obtegat, ac nocturnas tenebras inducat: vel si id quandoque accidat, ut historiarum monumenta tradunt, intra paucissima momenta, aliquam Solis partem nobis aperit. Iam oculo in M existenti, Sol H interjectu corporis lunaris F, rotus videatur deficere. Qui in P futurus est, vix ullum eclipses vestigium percipiet. Nulla ergo solaris eclipsis universo orbi appetat. Secùs de lunari eclipsi sentiendum est. Sit enim Solis globus H F H, terra V, Luna M, quæ interpositu terræ



R ij

*sol terrâ
longè ma-
jor. & terra
lunam fit.
perat.*

solari luce privatur; cùm ipsa omni lumine careat, toti terrarum orbi simul obscurata appetet. Hinc certè colligimus Sollem esse terrâ majorem, cùm terræ umbra in mucronem destinat. Lunam quoque terrâ longè esse minorem concluditur, cùm ab umbrâ terræ tota sàpe obscuretur; cùmque illius umbra figura sit conicæ & pyramidi similis, necesse est ut terra V, quæ locum basis obtinet, multò sit amplior quàm Luna M, quæ tota umbræ immergitur, & mucroni proxima est.

T H. Sedquâ ratione eyinges umbram terræ in conum desinere.

S I M P. Rem ab altiore principio deducamus. Corpus lucidum, & sphæricum, aliud opacum, & ejusdem figuræ collustrans, vel eo majus erit, vel minus, vel demum æquale. Corpus luminosum minus supponatur, ut M, & opacum sit V, tunc vel oculis pater minorum corporis opaci portionem illustrari, atque umbram majorem existere, quo longius progeditur. Siquidem MG, & MI sunt extremæ lineæ umbram terminantes, quæ ab eodem veluti puncto M digressæ, quo longius procedunt, eo magis inter se distant. Contrarium eveniet si corpus lumenosum HH majus constituantur: nam & majorem corporis opaci portionem collustrabit, atque contraria ob rationem, umbram in conum projiciet. Quod si ambo corpora ponantur æqualia, umbra parallela in infinitum protrahetur. Non enim vlla est ratio cur vel in mucronem acuatur, vel magis, magisque amplietur. Iam verò certissimum est terræ umbram in infinitum non protrahi: non enim Lunam modò, sed etiam cæteros planetas obscuraret. Restat igitur ut pyramidis similis sensim minuatur. Vnde quo Luna longius à terrâ abest, eo minor est eclipsis, nec tamdiu durat, nec totum lunare corpus umbrâ terræ opprimitur. Idem accidit cùm Luna aliquantulum latitudinis obtinet, nec præcisè alterum ex nodis occupat. Tum enim minus directè Soli opponitur, atque umbram terræ, vel omnino eludit, vel partem dumtaxat illius ingressa, non tota deficit. Iam nescio quid volui dicere, ac mihi excidit.

M E N. Nempe ut puto, utrumque nodum non esse immobilem, sed desultorium; idque hinc probare occuperas, quod

Eclipses tum Solis, tum Lunæ, nec iisdem in locis, nec penitus æquales contingent.

S I M P. Id ipsum est: atque hic motus fermè 19. annis absolvitur; adeò ut caput Draconis, vel nodus ascendens vnoquoque die uniformi, & æquabili motu, tribus ferè minutis in præcedentia, seu in occasum deferatur. Hanc adeò periodum Astronomi ex duobus Lunæ defectibus omnino inter se æquilibus, tum in morâ temporis, tum in parte Lunæ obscuratâ, collegunt, adeò ut Luna in eodem, vel opposito loco, atque inæquali à terrâ distantia consisteret. Hinc enim manifestè evincitur eamdem fuisse utrobique Lunæ latitudinem, ex quâ utriusque nodi motum colligere in proclivi fuit. Sed de eclipsibus seorsim alias pluribus.

F N. Hæc sane quæ de eclipsium causis attigisti, longè sunt verissima. Quod verò hypotheses lunaris motus attinet, ne veri quidem similes mihi videntur. *Varia hysos hypotheses d' seu ciuntur.* Quis enim in animum inducat suum, tot moribus oppositis corpus cælestè distrahi? Ptolemaïca quidem hypothesis ipsa Astronomiæ principia convellit; quemadmodum ex Copernico pulcrè demonstrasti. Epicyclorum machinæ quas Copernicus & Tycho-Braheus struunt, cum cæli naturâ liquidâ, & spirabili minimè cohærent. Vix etiam crediderim cum Lansbergio orbitæ lunaris centrum in parvo circulo torqueri, adeò ut totum in quo Luna versatur cælum modò attollatur, modò deprimatur. Ingeniosè quidem hæc singuntur, sed vide an sit necesse omnia credere. Satis est Astronomo si motum cælestium æquabilitate suppositâ, omnes inæqualitates conciliare possit; tabulas hypothesis suæ, & corporum cælestium motibus convenientes concinnet, ex quibus eclipses præfigiat; & quem quisque planeta in zodiaco obtineat locum, cum libuerit, invenire queat. Neque adeò difficile fuit medios & æquabiles motus definire. Hipparchus v. gr. contulit suas eclipsium observationes cum iis quas à Chaldaëis acceperat, isque comperit intra 345. annos Ægyptios, dies 82. & vnam horam, omnes anomalias (sic vocamus motum sideris cujusque ab apogeo) & mensium circuitus, ad eundem locum reverti; quo quidem temporis intervallo 4267. menses, & 4573. anomaliaz circuli explicantur.


R ij

tur. Quocirca necesse est mensem synodicum juxta Hipparchum esse 29. dierum, 31. min. vnius diei, 50''. 8''. adeò ut diurnus à Sole motus sit 12. gr. 11'. 26''. diurnus vero anomaliæ motus qui cum periodico ferè convenit, futurus est 13. gr. 3'. 53''. Cum Hipparcho Ptolemæus, & Copernicus fermè consentiunt. Hinc minimè arduum fuit tabulas mediorum motuum in omne ævum disponere. At illud artis caput erat apparentem Lunæ motum, quem verum dicunt cum medio, seu æquabili conciliare. Cur Luna velociori, & quasi præcipiti cursu quandoque feratur; vix aliàs locum suum per aliquot horas commutet. Cum enim perigæum sui epicycli (si quem habeat) peragrat 14. gr. si Reinholdo credimus, unoquoque die decurrit; sed ubi apogæum obserdet, vix duos gradus cum semisse uno die conficit. Atque eam esse potissimum causam existimat Reinholdus, cur quandoque Luna nascens oculis serè proferat. Ita ut eodem die nova ac vetus videri possit; idque maximè si ad Boream cursum suum inflectat; tum enim maiorem parallelum quotidiana conversione describit, celeriusque oritur, & tardius occidit. Quare si Solis, & Lunæ congregatus circa meridiem contingat, mane veterem, vespere novam, præsettum è loco editissimo, atque ab aëris crastitie libiore, licebit observare. Multum quippe circumfusi aëris claritas obstat ne sidera de die intueamur. Vnde quæso te ex fundo puteti stellas contuemur, vel in ipsâ meridie, nisi quia fulgor ille aëris circumstantis arcet? Multum quoque latitudo borealis momenti obtinet: efficit enim ut tenuissimam lunaris disci partem Sol irradiiet; atque in ipso luminarium coitu, terra Lunam non mediocriter illustrat, quæ hac luce à terra reflexa fruens, circumfusi aëris fulgorem facilè superat: nec mirum si possit sub aspectum cadere. Hinc si velimus αὐτὸν, nullum umquam vel novilunium, vel plenilunium contingit. Luna quippe semper aliquâ donatur latitudine, sive Soli opponatur, sive cum illo conjugatur; ac necesse est ut saltem uno gradu, & aliquot minutis, vel ab ipso Solis loco, vel ab opposito dissideat; nisi umbram telluris delibet, aut Solem abscondat. Cum etiam Sol plusquam dimidiâ Lunam collustret, apertissimè colligitur in omni novilunio portionem

*Cur Luna
nascens
quandoque
celius, quæ-
doque tar-
dius videa-
tur,*

aliquam Lunæ nobis obversam collustrari; quemadmodum in plenilunio, tota illius facies luce solari non compleatur, cùm præ latitudine suâ partem aliquam licet exilem, nobis avertam, solaribus radiis collustratam habeat; sed illud quantumcumque est meritò conterni possit. Ex his liquet cur Luna nascens vix secundo, aut tertio die nonnumquam emergat: vel quia in Austrum deflectitur, ac parallelos tropico Capricorni vicinos delineat; vnde tardius ortur, & citius occidit, vt Sol hiberno tempore; vel quod tardissimè procedat. Sed nescio quo impetu abruptus, longius quam par erat excori; illuc ergo redeam quod cœperam.

Vix quicquam curæ est Astronomis, quæ sit natura corporum cœlestium; utrum multæ pluri motu, an unico ex multis composite rapiantur; dummodo hypotheses suas siderum motibus accommodent, atque eorum certas leges præscribant; quid amplius ab iis desiderari possit, non video. Sed Physicus in has hypotheses inquirit diligenter, quæque rationi & naturæ magis consentanea videantur, accuratiū expendit. Quod si mihi in re obscurissimâ divinare liceat, Lunam ut Solem uno motu ex tribus conflato circumagi purem. Nam ab ortu in occasum tardissimè cietur, tum ab Austro in Septentrionem intra mensim, quod minus spatium habeat decurrentem; postremò sursum deorsumve fertur ab apogeo in perigaeum, eo quo de Sole diximus modo; ita ut non circulum, sed ovalem ferè figuram circuitu suo describat. Et sane nescio quid Astronomi in mentem venerit, ut tot circulos excentricos commiscerent, & tantis difficultatibus cœlestes motus implicarent; cùm una ellipsi totum negotium absolvî poslit. Diu est quod Erasmus Reinholdus Lunæ motum ad ovalem ferè figuram accedere subficerat. Keplerus proprius vero accessit, nam in tabulis Rudolphinis planetarum motus per elliptim explicari posse demonstrat. Nuperiùm verò illustrissimus Comes Paganus quasi ultimam manum Astronomia imposuit, & planetarum theoricas adeò accurate juxta hanc hypothesis explicitavit, ut nullum dubitandi locum reliquerit, orbitas planetarum non circulares, sed ellipticas existere. Rem totam oculis subjiciam. Sit ellipsis BCB, cuius centrum A, major diameter BC,



minor DE hæc porro figura non vnico centro instar circuli,
sed duobus F, & G, quæ foci dicuntur, solet delineari. Funiculi GDF, extrema duo in punctis F, & G affixa concipe, &
ita duo radii FD, & DG, stylo, vel digito circumducti ellip-
sim describunt. Vbi radii mobiles in punctum H transferun-
tur, in radios GH, & FH abeant, qui simul juncti prioribus
GD, & DF æquantur. Nam quantum crescit GH, tantum
minuitur FH, quo usque stylus ad B pervenerit: tum enim FB
sit omnium radiorum minimus, & GB maximus. Iam licet
mente concipere planetam non in circulo excentrico, sed in
ellipsi

ellipſi BCB, eā lege deferri, vt æquabili motu circa focum F promoveatur; adeo vt nobis in foco G constitutis, inæqualis motus appareat. Fingamus enim Solem in puncto H versari, angulus BFH distantiam illius ab apogæo B, seu anomaliam medium in zodiaco ostendit; angulus verò BGH, qui multò minor existit apparentem, seu veram anomaliam demonstrat. Angulus denum GHF vtriusque anomaliæ differentia æquatio futura est, eo quidem minor, quo majori diametro BC, sive vtrique absidi propior existeret: adeo vt Sole vel Lunâ in punctis B, & C commorante, nulla æquatio futura sit: sed in punctis D, & E minoris diametri, quæ puncta mediæ longitudinis dicuntur, æquatio FDG maxima contingit. Quod si Sol v. gr. superiorem suæ orbitæ partem decurrat, tardius ferri videbitur; vt cùm versatur in puncto H: sic enim angulus BFH, longè major existit angulo BGH: ille medium, hic verum seu apparentem Solis motum exhibet. Contrarium evenit cùm Sol inferiorem suæ orbitæ portionem perlustrat, vt si in puncto K constituatur, celerius progredi apparebit, sive quod terræ G sit vicinior, sive quod angulus CGK, qui apparentem Solis motum dimetitur, longè major sit, & apertior angulo CFK, qui medium seu æquabilem motum exhibet. Taceo superiorem focus F non esse prorsus immobilem; neque enim apogæorum loca in eadem statione fixa permanent. Itaque licet concipere circulum radio GF, & centro G descriptum, quem focus F lento quidem motu juxta seriem signorum peragrat; ac tardissimè incedit in Solis orbitâ, non enim absolvitur, nisi expleto 21029. annorum spatio. In Lunâ citius promovetur: nam 79. annis ac 7. mensibus perficitur. Id quidem omnibus planetis commune est, vt focus superior F sit centrum medii, & æquabilis motus; in Sole verò, ac Lunâ globus telluris inferiorem ellipseos focus obtinet. Reliqui planetæ cùm circa Solem moveantur, inferiorem cuiusque orbitæ focus Sol occupabit. Nec metuendum est ne hæc hypothesis in ipsa Astronomiæ principia impingat, cùm ellipsis sit figura simplex, vti circulus, nisi quod duplici centro ac radio delineetur. Neque id absurdum futurum est, si planetæ motus circa inferiorem focus inæqualis, circa superiorem.

S

æquabilis existat, non enim æquabilis esse potest si cum utrumque comparetur. Omitto centrum epicycli Lunæ in ellipsi lunari deferri, & unoquoque die 13. gr. 10'. 35". consicere, cum duplo velociore motu Luna proprium epicyclum percurrat, ac singulis diebus 24. gr. 22'. 54". progrediatur. Sed tamen hoc epicyclo nonnihil offendit, atque optarem ut omnes illæ rotæ ab Astronomiâ exularent. Mirum profectò quâm pulcrè vir illustris siderum rationes ex his principiis deducat; quâm subtiliter locum cujusque planetæ in suâ ellipsi inquirat; quâm accuratè æquationes, seu mediæ, & veri motus differentias investiget. Nec clam me est, Simplici, quin mecum sentias, si doctissimi illius viri Astronomiæ, & Geometriæ libros evolvere non graveris. Quod ad me attinet, cum eruditum illum Geometriæ pulverem vix attigerim, sèpiùs offendit, & magis me physicae scientiæ delestant, quâm mathematicæ, quæ mihi spinosiores videntur, ac nimia subtilitate asperiores. Nec ciplicet tamen Astronomorum diligentia, dummodo usque ad supervacuum laborem non sit occupata. Mihi quidem inter virtutes Philosophi habebitur aliqua nescire; & quod Fabius de Grammaticâ, idem de Mathematicis licet pronuntiare; non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.

S I M P. Dissimulare non possum me in nobilissimi illius viri Astronomiam incidisse, quæ certè plus habet operis, quâm ostentationis; nec facile percipi poterit, nisi ab iis qui jam interiora velut sacri hujus adierunt. Sed ne nimium excurramus, ad eclipses revertantur. Cum Luna terræ est finitima, tum profundiori umbræ immergitur; unde & diutius laborat, quâm cum apogœa existit, & umbræ mucronem vicinius petit. Ad dâmine quod Luna apogœa, atque à nobis remotissima, rubrum illum colorem, cuius jam meminimus, apertius prodit, qui in eclipsi paulatim diluitur, atque in omnes Iridis colores sensim degenerat. Sed ubi perigœa deficit terribilem illum colorem non præ se fert, ut Reinholdus scitè observat; quod sanè illius, & tuam de luce corpori lunari congenitâ sententiam jugulat. Profectò lux illa illustrior appareret, cum Luna densioribus tenebris circumfunditur. Hinc de nocte splendidior

*Iude rubens
color, qui in
Luna labo-
rante prece-
pit.*

Luna cernitur, quando à solaribus radiis ejus fulgor minus opprimitur. Vnde ergo color ille pruni accensis non dissimilis, quem Luna tum cùm laborat, exhibit? Non aliunde si bene auguror proficisciatur, quām à radiis solaribus per atmosphæram, seu potiás crassum aërem, qui circa terram diffunditur, refractis. Radii quippe cùm à densiori medio ad perpendicularum infringuntur, citius coēunt; vnde non mirum si partem vmbrae remotiorem diluant. Hinc colores Iridi similes Luna sustinet; ut si quis cubiculi tenebrosi rimulae, quam Solis lux subit, globum vitreum aquā plenum objiciat; radii per globum transmissi colores Iridis in pariete opposito delineabunt: sic solare lumen per densum & humidum aëra trajectum varios colores in Lunā, tamquam in adverso pariete depingit; quod, vt ego arbitror, primus omnium animadvertis Keplerus. Multum ergo fallitur Tycho Braheus, cùm putat Lunam deficiente hunc colorem à Venere mutuari. Quasi verò semper Venus in eo situ existat, in quo possit Lunam suā luce aspergere. Sed habet vir ille doctissimus etiam sua deliquia. Non inficior tamen fieri posse, vt reliquā sidera tenuissimā luce corpus lunare perfundant. Quod verò jam pallescere incipiatur priusquam terra vmbram subeat, id ab atmosphærâ Lunæ, vt plerique putant, neutiquam oritur; at quod solaris discus non subito, sed paulatim abscondatur. Hunc Lunæ laborantis pallorem, penumbra Astronomi dixere. Tametsi non abhorret à vero Lunam, vt terram crassiore & nebuloso quodam aëre involvi. Hinc forte, cùm Sol totalem patitur eclipsim, illius limbus aliquando, tamquam extremus lucis circulus appetat, vt scilicet à se observatum fuisse anno 1567. testatur Clavius. Cūque anno 1560. totum Solem obscuratum, ac terram densissimis tenebris involutam tradat; adeò vt omnes stellæ sub obtutum caderent, & quædam aves præ horrore in terram ruerent: (quod sapientius contigisse ex historiarum monumentis constat) planum fit diametrum Lunæ visibilem aqualem saltem esse Solis diameetro visibili: quidquid reclamet Tycho Braheus. Vnde ergo in alio Solis deliquio circulus ille lucidus circa Lunam à Clavio observatus? Fors est vt vtriusque luminaris centra non accuratè conjuncta fuerint, tum cùm eclipsim Clavius obser-


*Quid pen-
umbra.*

*An Lunæ
planum possit
Solem ob-
scurare.*

vavit. Videndum quoque est an Luna perigæa fuerit, vel apogæa? Nec mirum si totum Solem non absconderit, si in maximâ à tellure distantia extiterit; tum enim minorem arcum in suo cœlo obtinuit. Sed tamen Luna tum apogæa non fuit. Necessè igitur est, ut vel aër densior globo lunari circumfusus, lucem Solis instar exilis circuli infregerit; vel aër terræ finitus, qui præ densitate suâ, & albedine quâdam insitâ, crepusculorum est causa, umbræ lunaris corporis non immersus, solares radios ad nos usque inflexerit. Quid tandem prohibet, ne Lunæ ut aquas & insulas, sic atmosphærā quoque tribuanus, quæ radios Solis infractos ad nos usque deducat. Tycho Braheus negat interpositu Lunæ, adeò obscurari posse Solem, quin extremi illius margines illustres appareant; quod diametrum Solis visibilem majorem diametro Lunæ constituant. Keplerus contrà Lunæ diametrum aliquantulum majorem apparet existimat; atque adeò quotiescumque amborum luminarium centra coëunt, densissimâ caligine aliquam terræ partem obvolvi arbitratur. Keplero magis favent eclipses plurimæ, quas hystoriarum scriptores memorie prodiderunt. Quamquam fieri possit, ut stellæ de die appareant, etiam cum Sol totus à corpore lunari non tegitur. Maximè si Luna sit aliquantulum supra horizontem magis quam Sol elevata, & utrumque sidus horizonti vicinum, Solisque infima portio appareat; tum enim aër superior ab umbrâ Lunæ magis obscuratur: quare nox major capitibus nostris imminent. Hinc forte ante medium eclipseos matutinæ, maiores quam post, tenebræ offenduntur; lux enim crepera tum extinguitur. Contrarium evenit in eclipsi vespertinâ, in qua post medium eclipseos nox densior ingruit. Cum vero eclipsis sit Sole, & Lunâ ad verticem nostrum accendentibus, tum sanè res omnes colorem mutant, idque maximè æstivis, ac serenis diebus videre est, quod oculos majore antea luce perfusos subita obscuratio fortius offendat; unde species quamvis imbuitur, lucem cum obscuritate miscens, flavum, vel rubeum colorem exhibet: quod non evenit cœlo nubibus obducto; vel cum eclipsis horizontalis existit, quamvis maiores tenebræ incurvant, rebus tamen proprium colorem non aufert; quia nihil insolitum patitur visus.

*De eclipsi
lunæ.*

Ita quidem Keplero videtur. Hæc sanè pluribus quam par fuit tractavimus, si cogites ea quæ hodie nobis evolvenda restant: paucissimis tamen perstrinximus, si rem spæctes, & argumenti foecunditatem.



C A P V T Q V I N T V M.

De reliquorum planetarum theoriâ, ubi fusè de vero mundi systemate.

I. *Systema Copernici proponitur, phases Veneris, stationes, directiones, & regressus planetarum, juxta hanc hypothesis explicantur.* II. *Tria Ptolemei, Tychoonis, & Copernici systemata refelluntur* III. *Expositis omnibus phenomenis novum P. Fabry systema expenditur.*

T H E O P H I L V S.

SE Q U I T V R disputatio copiosa illa quidem, sed paulò abstrusior de motibus quinque stellarum, quas errantes, seu planetas dixere; at nonnulla de corporum cælestium coordinatione, seu de vero mundi systemate dicenda sunt ante breviter, quò faciliùs oratio progredi possit longius. Nisi enim priùs inter nos convenerit, quibus locis quæque sidera aptata fuerint, quoive ordine disposita, nihil certi de eorum motibus definiti potest. Neque res esset adeò difficilis, si recentiores Astronomi antiquorum decretis acquiescere maluissent, quam nova portenta fingere. Nam quid naturæ convenientius, quid intellectu facilius, quam Ptolemai sistema, vbi terra immobilis medium universi occupat, tamquam vas cælestibus influxibus exceptiendis destinatum. Terræ finitima est Luna, quam naturæ conditor voluit perpetuum esse quoddam, & manifestum quasi calendarium, vt vbique gentium ipsâ accretione, vel diminutione luminis sui, tamquam fastorum dies notaret. Cùm & terræ umbram subeat, & Solem sæpe obscureret, illam telluri esse proximam & longè humiliorem Sole, apertissime


*Systema
mundi Pro-
lemaicum.*

S iii

constat. Plusculum difficultatis est in Mercurio, & Venere; nam eodem ferè motu cum Sole progrediuntur; nec Venus longius quam 48. gr. Mercurius verò 27. gr. ad summum, hinc atque inde à Sole digreditur. Quare Mercurius raro sub conspectum cadit: nam & minimus existit, & solaribus radiis operimur. Lunam Mercurius, hunc Venus, Sol Venerem exceptiat, vt medium inter planetas locum obtineat. Mars Sole sublimior est, cui succedit Iupiter, Saturnus denique inter errantia sidera supremum locum sibi vindicat: idque ex eorum motibus colligitur. Quo enim cælum aliquod sublimius est, eo tardiùs ab occasu in ortum motu proprio cietur; seu potius ab ortu in occasum majori celeritate fertur. Sic Luna spatio mensstro; Mercurius, Venus, & Sol ferè intra annum circuitus suos absolvunt: hinc forsitan in eodem cælo versantur. Mars biennio; Iupiter 12. annis; Saturnus denique 30. annorum intervallo suos circulos explicant, stellæ fixæ non nisi post 36000. annorum volumina revolutionem suam conficiunt. Quocirca stellæ celerrimè ab ortu in occasum rapiuntur. Quid igitur in mentem venit Copernico, vt hunc pulcherrimum naturæ ordinem perturbaret, clarissimis rebus tenebras obduceret, &

*Systema Co-
pernici per-
tellitur.*

1. Sole in centrum mundi relegato, terram inter sidera consecrat; adeò vt Luna circa telluris globum, tamquam in epicyclo circumferatur, vt in schemate jam à te, mi Simplici, delineato cernere est. Sole enim in puncto M constituto, terra motu annuo magnum orbem DBD percurrat. Cùm in D existit v. gr. in principio Librae, tum Sol sub puncto B, seu in principio Arietis apparebit. Iam telluris globus ad E, sive ad initium Capricorni perveniat, tum Sol per radium E M C, sub puncto C, vel primo gradu Cancri videbitur. Et ita tellure motâ in zodiaco, Sol ipse quamvis immotus progredi appetet. Luna verò circa terram D in propriâ orbitâ H F H convertitur. Cùm in puncto F existit, tum nobis Soli conjuncta appetet: nam ambo sidera per eundem radium D F M cernuntur; vbi ad punctum H pervenerit, pleno orbe lucebit; quique in terra D versamur Soli oppositam intuebimus, ac totam illius faciem à Sole illustratam videbimus. Postremò, cùm in punctis G, vel I futura est, tum διχότυπος, seu in quadraturis appetet. Iam cedo
- 2.



quid Lunam terrae sic alligatur, ut circa eam torqueatur; atque annuo telluris motu rapiatur. Cæteri quidem planetæ circa Solem, si Copernico credimus, aguntur; adeò ut Mercurii orbis Solem proximè ambiat, tum Veneris cælum, tum magnus terræ orbis, cui Mars, Iupiter, & Saturnus eodem quo diximus ordine succedunt; sed firmamentum stat immobile. Cùm enim, inquit, cælum stellarum omnia contineat, tamquam locus vñiversalis, cur continentí potius, quam contento motu tribuamus? Egregiam verò demonstrationem! quasi centro potius quam circumferentia motus conveniat. Iam non quæro cur Sol & stellæ quotidie oriri, atque occidere videantur: id enim satis ingeniosè ex motu terræ diurno explicat: quamvis obscurior sit dierum, & noctium diversitas. Sed cur polum eidem loco affixum contuemur? quid causæ est, ut motum annum stellis ipsis, ut Soli & reliquis planetis non af-


singamus? cùm terra mótu annuo ad certas stellas vel propriùs accedat, vel longius abscedat, quid est cur semper æquales, & eodem tempore ferri videantur? quæ propiores sunt, celerius moveri, & aliquantulum majores appareant necesse est. Mitto innumera quæ hanc sententiam sequuntur incommoda, vt mirum sit omnes ferè Mathematicos, quise profitentur cogere non persuadere, in tam absurdam opinionem non concedere modo, sed etiam quasi præcipites ire. Verum nullum æquè admiror ac Cartesium, cui parum fuit hoc sistema Copernici amplecti, nisi alia quoque absurdiora fingeret. Necio quos vortices comminiscitur, qui ne concipi quidem possunt. Totum hoc vniversum in alios minores, atque innumerabiles mundos fecat. Nec cognovi quemquam qui majori auctoritate nihil diceret. Sed vereor ne hic Menander Cartesio juratus dicam injuriæ, & quidem atrocioris mihi impingat.

MEN. Desipiunt scilicet omnes qui tecum non sapiunt. Liceat igitur mihi cum furentibus paululum insanire; & videamus an aliquà saltē probabili conjecturā suaderi possit Solē in medio mundi, non quidem stare; sed circa suū axem torqueri. Quid quæso te, naturæ convenientius, quā illud Copernici sistema, vbi Sol fons luminis, & caloris, mundi centrum occupat, vt planetas omnes suo lumine collusret.

Quibus rationibus Copernicani suum systema propagant.

Quis, inquit Copernicus, in hoc pulcherrimo templo lampadem hanc in alio meliore loco poneret, quā vnde torum possest illuminate: ita profectò tamquam in solio regali Sol residens gubernat astrorum familiam. Non igitur aptius locari potuit, quā in medio vniversi, vt cuncta suo lumine, & calore perfundat. Hinc planetæ quo Solem viciniū petunt, eo sunt illustriores, vt Mercurius, qui Solem proximè ambit, splendorius est Venere; Venus Marte, & ita porro. Iam in systenmate Ptolemaïco omnes planetæ tumultuario quodam ordine disponuntur. Luna citissimè circa terram immobilem torquetur, tum Mercurius, Venus, & Sol eodem ferè passu incedunt; cùmque Mercurius, & Venus à Sole quandoque exorbitent, ingentes ipsis epicycli aptati sunt in quibus deferantur. Venus ferè 48. gr. huc illuc excurrit: quo circa eam immani cuidam epicyclo illigatam volunt, cujus diameter major sit quartâ cæli

fi sui parte. Quid absurdius fingi potest? sed vide quām aptē omnia in Copernici systemate cohāreant. Sol circa suum cētrum spatio 26. dierum volvit: Mercurius tribus ferē men-



sibus; Venus novem; terra annuo spatio; Mars biennio; Iupiter 12. annis, Saturnus 30. suas periodos absolvunt. Sed, inquies, cur Mercurius, & Venus aliquot dumtaxat gradibus à Sole excurrunt; neque vñquam ei opponuntur? id sancè explicatu minimè arduum est.

Sit Sol in medio mundi T, cuius centro describantur plures circuli, S G S, qui Veneris aut Mercurii orbitam exhibeat, L N L orbem telluris magnum exprimat: circulus denique C E C superioris planetæ orbem, vel ipsam eclipticam demonstret. Cùm Venus in puncto G versabitur, tum in eodem cum Sole loco, atque à nobis remotissima videbitur, si telluris globum in puncto L constituamus: proxima apparebit in puncto S, iterum cum Sole conjuncta. Circa puncta H, & F, longissimè à Sole excurrere nobis videbitur: nam per radium L H in puncto eclipticæ K eam conspiciemus 48. gr. à Sole, qui sub puncto E cernitur, diffusat. Quocirca bis cum Sole conjungitur, atque in eodem loco nempe in puncto E appareret, cùm scilicet in G, & S commoratur. Bis quoque maximè à Sole digreditur, nimirum in punctis H, & F. Quo autem Veneris orbita major statuetur, eo longius à Sole excurret. Cùm itaque Mercurius vix 27. gr. à Sole discedat, minorem circa Solem circulum, vt Venus majorem describit. Verum meo quidem judicio nihil æquè Copernici hypothesim confirmat, quam Veneris phases. Nam ubi prope punctum S versatur nobis in L existentibus maxima videtur, & tamen tubo optico tenuissimè falcata appetet, quod Sol in T collocatus partem Veneris nobis aversam illustreret. Cùm autem puncto G vicinior est, tum quidem pleno lucet orbe; sed nihilo secundus longè minor appetet, quod ferè sexies longius à terrâ distet. Iam si Venus Sole sublimior foret, numquam dimidiata, vel faleata videretur; vti nec superiores planetæ lumine diminuti vñquam cernuntur. Quod si Sole inferior instar Lunæ existeret, circa utramque conjunctionem falcata cerneretur. Postremò, si terra centrum foret Veneris orbitæ, nonnumquam Soli, vti & Luna opponeretur. Nec clam me est fore ut vos ad epicyclum configuiatis, adeò ut idem sit motus Solis, & Veneris, idem utriusque medius motus; nisi quod Venus in epicyclo suo ob-

*Veneris &
Mercurii
phenom-
na.*

*phases seu
luminis in-
crementsa
in Veneri-
ferè ut in
Lunā ob-
servantur.*

ambulans, longius quandoque à Sole discedat. Sit ita sane. Iam quero utrum ille epicyclus Sole sit sublimior, an depreciosior? quod si humilior constitutatur, numquam vel plena, vel dimidiata saltem Venus cernetur: quandoquidem ne quadrante quidem circuli à Sole umquam Venus recedit. Manifestum est Lunam tenuiter esse falcatam, atque exilem lucis circulum exhibere, cum minus quadrante circuli à Sole distat: at tubo optico Venus non *discernens* tantum, sed etiam plena conspicitur. Superior igitur Sole hic epicyclus statuatur. Quod si ita sit, Venus instar Martis, vel Iovis pleno orbe ubique fulgebit. Mirum etiam si tam immanis epicyclus fingi possit, ut Venus supremam illius partem percurrentes sexies à nobis sit remotior, quam cum insinam partem peragrat, ac nobis citima est. Restat igitur ut Veneris orbita ipsum Solem ambiat; sic enim quandoque superior Sole, quandoque inferior futura est; cumque terrae orbis tum Veneris, tum Mercurii cælum contineat; nihil mirum si hi planetæ non multum à Sole digrediantur. Nam è quocumque loco spectentur, semper in eisdem cum Sole partes directi videntur, nobis quippe in puncto L versantibus Venus in H existens, in puncto K & Sol T, sub puncto E, scilicet ex eadem parte conspicuntur, quamvis tum Venus quam pote longissime à Sole discedat. Nescio an hæc vllâ tergiversatione eludi queant. Keplerus quidem cum cerneret Venerem in superiore cum Sole congreßu, circa G, diutius latere, ac lumen debilius spargere; descendenter vero, & vicinam puncto S, longè clarius lumen vibrare; adeò ut in ipso conjunctionis puncto instar majoris stellæ cerni queat; existimavit eam propriâ, & congenitâ luce fulgere. Verum post telescopii inventionem nemo amplius in dubium revocat Venerem emendato lumine relucere: nam eisdem ferè cum Lunâ phases, & luminis incrementa sustinet. Tycho quidem observavit Venerem in ipsâ cum Sole conjunctione; sed necesse fuit, ut Venus tum maximâ latitudine donaretur, & Sol fortissimum temporis multis maculis obscuratus fuit. Illud certè est mirabile quod oculorum judicio Venus in utraque conjunctione, in G, & S, sibi fermè æqualis appareat; cum tamen tubi optici beneficio maxima videatur, dum nobis in puncto I.

T ij

existentibus, ipsa puncto S vicina, tenuiter est falcata. Minima verò dum plena cernitur in puncto G. An forte quod plena existens lucido capillatio resulgeat, quod onnes stellas, tum fixas, tum errantes longè majores quam revera sint exhibet? quinetiam sèpe interdiu videtur cum terris est finitima: quamquam sit in cornua tenuiter sinuata; fortiorum nihilominus lumen reflectit, quod pars Veneris illustrata, & nobis conspicua sit majoris circuli portio. Mercurius numquam falcatus cernitur: nam & minor, & Soli propior est; adeò ut vix observari possit; neque enim sui copiam facit.

Orbis terræ cælum Veneris complectitur: quid est enim cur terram inter planetas non censeamus, eum suas habeat phases, nec minus quam cæteri planetæ reluceat; cum opaca sit, solida, & aspera, omnes denique conditiones ad luminis reflexionem requisitæ in illam cadant. Copernico quidem placuit telluris globum triplici motu cieri; annuo, diurno, & tertio quodam, qui efficit ut illius axis vbiunque versetur, sibi parallelus existat: nempe ut poli terræ eundem semper in cælo situm obtineant. Sed virgenuè fatear annuus, & diurnus motus plane sufficiunt, ita ut terra ferè instar rotæ in curru moveatur, nam

De utroque terra motu. ut rotæ, sic terra motu diurno circum se agitur. Axis quidem terræ per motum annuum de loco in locum migrat; sed cum sibi semper parallelus constituantur, in eamdem oculi plagam diriguntur. Finge trochum, quem in magno circulo puer contorquet; hic majorem circulum, ut terra magnum orbem iustrat; circa suum centrum gyrat, & vbi quis sibi æquidistat: ita ut ad eundem cæli locum convertatur. Rogabas tu quidem cur

Quare stellæ in istis locis cernerantur. stellæ aliquando majores non appareant, cum ad eas propius accedimus? nec attendis non terræ modò globulum; sed etiam totum in quo desertur orbem, puncti instar habere, si cum firmamento conferatur. Hoc tibi monstri simile videbitur, non item nobis, qui nullum divinæ potentiaæ terminum præscribimus. Quod si stellæ propriâ, non mutuatitudine luce splendeant, ejusdem cum Sole sunt conditionis, ejusdem forsitan & molis: ac Sol è firmamento visus ceu stella cerneretur, nec magnus ipse terræ orbis Sole major appareret. Corpus enim lucidum in speciem ampliorem spargitur, ut videre est in lucernæ flammâ

et in finis spectatā. Sic Iupiter æqualis videtur extremitate circulo, quem ultimus satellitum motu suo describit.

Longum est si velim diversitatem dierum, & noctium, ac varias anni tempestates juxta hypothesim Copernici explicare: imò & frustra tempus teram. Cùm enim axis terræ, atque ad eò illius æquator sibi sit vbiique parallelus, cumdem semper in cælo situ obtinet, ad eamdem stellam dirigitur, ac prorsus immobiles appetunt; seu terra, seu Sol ipse moveantur, eadem prorsus contingent phænomena. Idque evidentissimè in sphærâ Copernici, si nunc haberem præ manibus, demonstrarem; in quâ horizon, & meridianus vna cum terrâ in magno orbe promoventur; sed propter axis parallelismum, & orbis magni cum firmamento collati insensibilem magnitudinem, immobiles prorsus apparent. Ecce tibi vulgarem sphæram, in cuius medio globus terrestris, suis circulis instrutus collocatur. Hunc globulum eximam, eumque sub zodiaco sic manu circumducam, vt vbique sibi parallelus existat. Iam Solem in medio existentem fingamus, atque primo gradui Arietis globum telluris supponamus. Tunc certè hic globulus circa suum centrum gyrans, dies vbique terrarum noctibus æquales exhibebit. Cùm enim Sol dimidiat terræ partem collustret, & uterque telluris polus in partis illustratæ, ac tenebroſæ confinio versetur, æquo temporis spatio omnes terræ incolæ luce ac tenebris fruentur. Nulla enim est ratio cur dies sit major vel minor nocte. Quare qui zonam torridam inhabitant, tum radios Solis directos, ac perpendiculares excipient, atque illis æstas maxima contingit. Iam paulatim terræ globum versus principium Cancri promoveo. Vides ut sensim axis terræ à Sole digrediatur. Sol quidem in parte oppositâ circa initium Capricorni cernitur, ac polus nobis conspicuus, seu axis terreni, vel mundani extremitum tum longissimè à Sole declinat, qui radiis maximè obliquis nostras regiones collustrat. Nam polus arcticus hemisphærio terræ tenebroſo altè immergitur. Nobis ad eò huic polo vicinis dies brevissimi contingunt. Sed qui Australē plagam incolunt, & aestate, & diebus longissimis gaudent; quod eorum polus ad Solem maximè inclinet, atque in partem telluris irradiatam multū sit progressus. Iam globo

T ij

terrestri ad principium Librae accedente, polus nobis conspicuus paulatim ad Solem accedit, ac tandem in partis illustratae & obscurae confinio existens, dies rursus nocti æquatur; tuncque Sol in principio Arietis cernitur. Denique cum globus telluris ad principium Capricorni pervenit, tum polus aëtius maximè ad Solem inclinatur, atque in partem irradiatam altissimè proiectus est. Hinc Sol radios directiores vibrat, & dies longissimus efficitur. Siquidem pars terræ in quâ degimus, motu diurno describit parallelum, cuius major portio solaribus radiis collustratur. Ut semel finiam. Systema Copernici nihil à Ptolemaico differt, nisi quod Sol, & terra locum commutent, ac Luna terram circumeat. Nam teste Aristotele maximam cum terra cognitionem habet. Iam verò sensuum judicio definiri nequit, an Sol, vel terra moveatur. Cum enim duo corpora à se mutuò divelluntur, visus minori motum affingit, in illud quippe aciem dirigit: hinc nubes aliqua, si vento in occasum rapiatur, tum Luna ipsi obviam versus ortum ire, nobis apparet. Cum igitur terra, & nos cum ipsâ ab occasu in ortum promovemur, hunc motum sideribus ab ortu in occasum tribuimus. Imò si ad visus judicium rem exigimus, nec Solis nec stellarum motum percipit: nam oculus totum hemisphærium in momento lustrat, quod Sol duodecim horis percurrit; adeò ut hic motus sit penitus insensibilis, si cum oculorum & capitis agitatione conferatur. Sol quippe quatuor horæ minutis in eodem gradu moratur: hinc nobis videtur planè quiescere; ac solo discursu, non visu corporis hunc motum percipimus. Sic enim ferè colligimus, modò illicerat, jam hic existit; ergo huc promotus est. Atque ut optimè animadvertisit Keplerus, non motum modò, sed etiam varias illius species, ut ortum, & occasum, ascensum, & descensum sideribus affingimus; neque his appellationibus abstinere possumus. Si ve cœlēnt sidera, sive re ipsa moveantur; quique in Lunâ existeret, necessariò iisdem vocibus vteretur, nec motum Lunæ perciperet, sed eum terræ tribueret. Cum autem scripturæ Sollem moveri asserunt, necessariam visus nostri affectionem insinuant; nec falsum dicunt, sed quid oculis appareat, vel ex visu colligatur, verissimè affirmant, atque ad institutum suum accommodant.

Sequitur Martis orbita, quæ orbem terræ magnum cingit. *superiorum planetarum phanomina.*
 Siquidem Mars suum circulum longiore temporis intervallo absolvit, nec Soli conjunctus, falcatus appetet. Tametsi circa quadraturas minus fulgeat, & pars Soli obversa longè illustrior videatur, quod lumen suum à Sole, ut cæteri planetæ, mutuetur. Sed cur Soli oppositus, & cum vespere oritur, octies ferme major, quam cum mane emergit conspicitur, quando scilicet cum Sole conjugitur? Necesse profecto est, ut Soli oppositus, nobis sit multo vicinior. Solem in T, terram in S, Martem in L concipiamus. Numquid palam est tum Solem per radium ST in puncto eclipticae E, & Martem per radium SL sub puncto vel stellâ C, & Soli oppositum conspicisti, tuncque Martem terræ longè esse propriem, quam si terrâ manente in S, idem Mars existens in N, ex eadem cum Sole parte videatur: idem prorsus per viginti annos in Iove, & Saturno observavit Galilæus; sed cum longiore à nobis distent intervallo, vix citra tubum opticum, hoc discrimen apparebit. Mars verò Soli oppositus aliquando Iovem magnitudine æquat, cum in ipso cum Sole congressu, vix stellam secundi ordinis supereret. de Marte haec tenus. Iupiter Marte superior 12. annis zodiacum lustrat; quatuor sideribus seu satellitibus circumdatur, qui circa Iovem eo celerius feruntur, quo ipsi sunt propiores. Intimus, & Iovi proximus, 40. ferè horarum spatio, hunc alias excipit qui 84. horis; tertius diebus ferè septenis; extremus demum diebus sexdecim circuitus suos complet. Fontana quidam Neapolitanus duas itidem stellulas Veneris velut pedissequas deprehendit. Omnes hi satellites non immerito lunulæ vocantur: nam ut Luna circa terram, sic minutiora illa sidera circa Iovem, vel Venerem contorquentur; atque easdem phases sustinent, ac Luna; defectiones itidem patiuntur, ubi Iovis umbram subeunt; parte dumtaxat Soli obversâ colustrantur, ac Solis lumen in ipsum Iovem regerunt. Ultimus planetarum est Saturnus, qui 30. annis orbem suum emetitur, ac duobus quoque satellitibus stipatus creditur: sed verisimilius est nihil eos præter partes quasdam Saturni eminentiores existere, quæ per certas cavitates, planetæ coharent; nec possunt illæ valles sub aspectum cadere, quod sint depresso.


Rem ita se habere argumento est quod à Saturni lateribus numquam discedant, nec instar Iovis satellitum circa eum gyrent. Vnde Saturni stella non perfectè sphærica videtur, sed ad ellipsem magis accedit. Sic macula quædam in Martis meditudo subnigra cernitur, quam non esse montem atro colore infectum, ut placet Campanellæ, existimo; sed cavitatem potius quamdam esse, qualis in Venere deprehenditur conjicio. Hæc quidem non ægrè conceditis, sed impudentes sumus quæ terram inter Martis & Veneris orbitas mobilem constituimus. Rem tamen ita esse cùm multa demonstrant, tum maximum quinque planetarum motus.

*Cur planetæ
stare ali-
guando, &
regredi vi-
deantur.*

Neque ignoras, Theophile, planetas omnes, si Solem & Lunam excepéris, nobis aliquando in consequentia ferri, (tumque directi appellantur) nonnumquam stare, sæpe in contrarias partes retroagi apparere. Quódque magis mirere, superiores qui sunt planetæ, Mars, Iupiter & Saturnus semper retrogradi videntur, cùm Soli opponuntur; directi prope conjunctionum loca; contrarium in Venere, & Mercurio experimur. Nam in superiori coniunctione, seu cùm faciem à Sole irradiatam nobis obvertunt, directi; circa inferiorem coitum retrogradi cernuntur. Vnde hæc miracula? Stellæ omnes æquabili motu cíentur; quid illis cum Solis motu commune est? Cur Saturnus sæpius regreditur, quæcum Jupiter, & hic frequenter Marte? An rursum ingentibus epicyclis celum onerabimus? Quæcum primum est hos planetarum errores explicare, si terram moveri phænomenis convicti fateri volumus. Nam quæc eadem celeritate cùm oculo feruntur, stare eredimus; quæc tardius oculo incedunt, in contrariam ferri partem; quæc celerius, præcurrere videntur. Hæc est nî fallor propositio 54. Optices Euclidis, quam ipsa comprobat experientia. Finge duas naves in eamdem partem agitari. Quod si illa in qua velheris celerius promoteatur; jurabis alteram retrocedere: si ambæ æquali passu incedant, utramque immotam putabis. Denique si navis quæ te vehit tardius feratur, alteram quæcum citissime agi credas. Cùm igitur terra in punto S consistet, Iovi vel Marti in punto L existenti proxima, tum Iupiter Soli oppositus conspicietur; cùmque in easdem partes ambo ferantur, &

terra

terra velocius moveatur versus H, quam Jupiter versus I, hic regredi à punto C, in Q videbitur. Nunc Iove in eodem punto L remanente, aut paululum progresso, fingamus ter-



ram prope punctum G existentem; adeò ut Sol & Iupiter congre-
re videantur. Nonne terra versus F, & Iupiter versus I, in con-
trarias nimirum partes nituntur. Quare tum velocissimè Iupi-
ter progredi in consequentia, & maximè directus apparebit.
Nam qui in tellure versamus, motum terræ quem non percipi-
mus, Iovi & aliis planetis affingimus. Hæc sane pulcre cum
phænomenis convenient: nam circa oppositiones, cùm plane-
tæ superiores vespere oriuntur, atque in L versantur, terrâ in
S constitutâ, tum retrogradi; circa ortus matutinos, quando
cum Sole congreguntur, directi; in medio ferè inter utrum-
que limitem intervallo stationarii cernuntur, ut circa puncta
H, & F, terrâ in G vel S existente. Hinc jure Plinius mira-
tur Martem senis mensibus sæpe in eodem zodiaci signo com-
morari, quod duorum mensium spatio deber percurrere.

Iam Venus quoque ac Mercurius suas stationes, suos habent
regressus. Solem itaque in T, Venerem in S, terram in N con-
stituamus, hæc cùm motu annuo versus M progreditur, tum
Venus versus H motum suum accelerare appetet: directa igitur,
ac veluti præcipiti motu lata conspicitur, quando pleno
orbe fulget. Idem vñvenire solet, cùm navi delati, aliam ve-
lis passis in contrarium actam offenditque; nos quidem stare,
illam verò raptissimè ferri credimus: siquidem in illam nostræ
navis motum transferimus. Quando Venus ad punctum H
pervenerit, si terra in eodem quo priùs loco scilicet in N per-
manere concipiatur; tum nobis Venus multum prometa, sub
stella R, hoc est in maximâ à Sole digressione videbitur. Sed
vbi inter H & G consistet, jam nobis in N collocatis, ver-
sus C regredi apparebit. Hæc sane phænomena cum terræ mo-
tu optimè convenient: vix aliter explicari posse putem. Dic
obsecro cur Sol, & Luna numquam, cæteri verò planetæ sæ-
pius retrogradi videantur? Cur Saturnus frequentius quam
Iupiter, & hic crebrius quam Mars retroagantur; Mercurius
sæpius vnoquoque anno, Venus vix semel sit retrograda? Cur
in Marte arcus retrogradationis (dabitis enim profecto, ut in
rebus iniustitiae utramur interdum verbis non auditis) major
sit quam in Iove, æque in Iove major quam in Saturno? Ho-
rum omnium causæ nobis in promptu sunt; vos sudare oportet.


*Quare Sol
& Luna
numquam
regrediriuntur.*

teat; vt vel vnam proferatis. Sol quidem retrogradus numquam existit, est quippe veluti centrum circa quod terra veritatur: vnde tellure mota ipsum progrederi nobis appareat neceſſe est. Nec Luna unquam regreditur, quia circa terram, vt centrum gyrat; motus terræ annuus, Luna communis est; diurnus ipsi non competit, hunc adeo corpori lunari affingimus. Saturnus vero singulis ferè annis fit retrogradus: cùm enim vix 12. gr. in propriâ orbitâ unoquoque anno conficiat; quando telluris globus circuitum suum complevit, brevi eum assequitur; adeo vt terra à Saturno digressa, post duodecimum mensem cum semisse ad eum revertatur, tuncque Saturnus fit iterum retrogradus, neimpe cùm terræ est proximus, & Soli quasi oppositus videtur. Sic Iupiter decimotertio quoque mense retroagi nobis appetet; cùm enim 30. gr. intra annum decurrat, terra post 13. menses, & aliquid amplius, eum assequitur. Eadem quoque ratione Mars non nisi exacto biennio fit retrogradus: tantum enim temporis exigit vt ad illum redeat. Mercurii frequentiores sunt quam Veneris regressus, quod ille 80. ferè diebus suum orbem perlustrat: hinc sapientius cum terrâ vel Sole conjugitur. Mars quod terra sit vicinior maiorem arcum retrogressus in firmamento exhibet. Terrâ quippe inter S. & H. constitutâ, Mars existens in L. regredi nobis videtur; adeo vt sub stella Q. appareat, & arcus C. Q. retrogressus, tanto major existat, quanto punctum L. nobis est vicinus. Vnde stellæ fixæ numquam retroagi apparent, quod immenso à nobis distent intervallo. Nec aliunde planetarum loca, nisi ex fixis dignoscimus; quocirca si Mars antea sub primâ Tauri stellâ visus, jam sub primâ Arietis appareat, illum uno signo regressum fuisse arbitrabimur; sed nihil ultra stellas fixas contuemur, cum quo earum vel directiones, vel stationes, vel regressus metiantur. Sapientius igitur Saturnus retroagitur quam Iupiter, & Mars; sed pauciores gradus in suo regressu pereurrunt, non modò quia motu tardiori fertur; sed etiam quia sublimior existit. Bis unusquisque planeta videtur stare, circa puncta I. & M prima statio sequitur conjunctionem cum Sole, quando scilicet directus planetæ motus paulatim decrevit, atque ab illa statione jam fit retrogradus; altera post opposi-

*Quare in
Marte arcus
retrog. major
est quam in
lune.*

tionem contingit; cùm planeta cursum suum paulatim accelerat. Hac sane multo illustrius sistema Copernici demonstrant, cùm ad calculum, & numeros exiguntur: nam statuum, & retrogradationum loca, tempora, arcus denique ipsi pulcrè adeò cum planetarum distantiis, & motibus converniunt, vt qui rem accurato examine perpenderit, aliter eam se habere non posse constanter asseveret.

Non equidein ignoro pleraque id genus phænomena cum Tychonis systemate vtcunque consentire: nam repetito scheme quod nobis, Simplici, in Solis theoricâ delineasti, terra centrum mundi M occupet, quo Lunæ, Solis, & firmamenti orbes describantur. Centro verò Solis, vbi cumque sit, puta in D, Mercurii, Veneris, & aliorum planetarum circulos descriptos concipe, vnuis nobis sufficiat H F H, qui Veneris orbem



exhibeat. Hinc liquet primò , cur Sol quinque planetarum motus gubernet, cùm illorum centrum occupet? II. Cur Venus, & Mercurius ne ad sextilem quidem aspectum, vel 60. gr. à Sole digrediantur: nobis enim in puncto M existentibus, quoquinque in loco Venus versetur, semper Soli finitima apparabit. Dissimilare tamen non possum multa in hoc systemate rationi minus esse consentanea. Illud in primis, quod epicycli planetas aliquando nobis proximos admoveant, aliquando longissimè à tellure efferant; quomodo enim aliter explicari posset, cur Venus scè quadrages minor, tubo optico deprehendatur, cùm faciem à Sole illustratam nobis exhibet, quām cùm à nobis eamdem avertit. III. Extra fidem est Solem quinque planetarum orbes secum rapere, & circa terram convertere; maximè cùm totum cælum sit liquidum; atque orbis in quo Sol movetur, quantus quantus sit, vix orbis Saturni decima pars existat. IV. Cælum Martis iuxta hanc hypothesim Solis orbitam interfecat: nam & Martem Tycho observavit Sole nobis longè propriorem. Quare per eundem locum Mars & Sol transeant necesse est; ac fieri poterit ut aliquando sibi occurrant. Iam quæ collisio horum corporum futura est, quām toti terrarum orbi metuendum erit Martis incendium! Sed in rebus tam severis non est jocandi locus.

Ptolemæus ut planetarum excursiones, & varias à nobis distantias explicet, ad epicyclos identidem configuit, quos libenterissimè Tycho amplectitur, ut planetas terræ admoveant. Imò ut stationum, & retrogradationum negotium conficiant: supponamus enim Martem in suâ orbitâ D B D existentem deferri in epicyclo H F H; adeò ut ambo motus tum centri epicycli D, tum planetæ in epicyclo H F H, annuunt Solis motum adæquent. Cùm igitur Mars punctum H obtinebit, tum centrum epicycli, & planeta in epicyclo in easdem partes versus E, seu in ortum ferentur: celeriori ergo motu tum planeta ageatur. Iam ubi Mars à punto I, in F progredietur, tum incipiet retrogradi, nam velocius in epicyclo, quām epicyclus in magno orbe, planeta defertur, atque ambo motus in contrarias partes distrahuntur. Verum non impetrò epicyclorum machinas è cælo depulisti, Theophile: quātus quæso erit Martis

*Rationes
adversus
Ptolemaï.*

epicyclus, qui illum terræ tam propè admovet, & tantum retrogradationis arcum efficit? sed plura peccat Ptolemæus, qui omnium planetarum (Sole excepto) motus inæquales super proprium centrum existere, contra ipsius artis principia decernit. Nec dissimulat Copernicus quinque planetarum motus occasionem ipsi præstisſe, de telluris mobilitate cogitandi, quò, inquit, principia artis permaneant, & ratio inæqualitatis apparentis reddatur constantior. Hoc certè systemate positum atque concessum, quinque planetarum theoricæ minutiæ sunt obscuræ. Nam singuli orbem Soli excentricum percurrent. Finge Solem in puncto A constitutum. Iupiter excentricum suum C D C, duodecim fermè annis peragrat; dum centrum M minorem circulum M P M duplo velociùs decurrit. Atque interim apogæum medium C lentissimo motu ineedit in consequentia: vix enim singulis diebus 9''. conficit. Eadem est cæterorum ferè theoria, nisi quòd epicyclus Mercurio aptetur, quòd præ reliquis majorem inæqualitatem præferat. Ptolemæus quippe minimas illius à Sole digressiones, in signo Libræ, majores in Ariete, maximas in Geminis, & Aquario contingere observavit. Vix tamen sub conspectum cadit, quòd Soli sit finitus: nonnumquam instar maculæ in disco solari visus est.

De latitudine planetarum.

fit
us

sla
us

lo
ce

ce
ri

epi
bris

x i
enti

in o
syste
ma
Copern.
re
fertur.

*sistema
Copern. re
fertur.*

Latitudo potro eadem ferè in omnibus planetis manet, quamvis major appareat, cùm planeta perigæus terram vicinius petit, minor cùm apogæus longissime à nobis distat: id enim juxta leges Optices fieri necesse est, cùm quæ propiora sunt, eadem majora videantur. Quòd si excentrici orbes tibi displiceant, nihil repugno, quin ellipses planetis decernas; ea lege vt Sol inferioris foci locum occupet; quemadmodum scitè ex illustri Pagano superiùs exposuiti: nam & ipse nobiscum sentit, & sistema Copernici amplectitur, de quo fusiùs quam institueram, differui, quòd tibi, Theophile, nimis quam absurdum, & à communi sensu penitus abhorrire videretur.

T. H. Iam si placet disputationis tuæ rationem ineamus, quæ mihi quidem hoc syllogismo contineri videtur. Illud sistema cæteris est anteponendum, quod cum phænomenis optimè consentit: sed nullum addo omnibus experimentis satisfacit,

eo Copernicæum: quid igitur impedit, ne illud cæteris explosis amplectamur. Eâdem ratione mihi licet contorquere, ac concludere: nullum ferè systena cum phænomenis non convenit: ergo nullum est rejiciendum: quasi ex falso verum concludi non posset? An oblitus es illius regulæ, quam Arithmeticæ tradunt? hanc si bene meinini, falsarum positionum vocant; nam falsis quibusdam positis, ipsum qui quærebatur numerum solerter inveniunt. Quidni ergo falsissimæ hypothesi phænomena congruent? ingeniosè quidem Copernicus, cur stare, & retrogradi videantur planetæ, ex motu telluris explicat: sed cùm orbem ipsum in quo terra devehitur, nihil quām punctum esse cum firmamento comparatum afferit; illud sanè mihi ~~magis~~ videtur. Multa quoque quaæ dubia sunt, pro certis atque concessis Copernicæi assument. Neque adeò certum est Martem infra Solem descendere; neque rationes ex parallaxium doctrinâ depromptæ satis firmæ sunt, vt iis credere sit necessæ. Non etiam satis compertum est, an superiores planetæ directi semper existant, cùm in apogœis versantur. Enimvero quām concinnè Copernicus planetarum orbitas non codem, sed diversis centris describit; ac nescio quo modo nihil tam absurdè dici potest, quod non dicatur ab aliquo ex his recentioribus Astronomis.

M.E.N. In meâ quidem hæresi persevero, donec aliquid probabilius nobis attuleris.

T.H. Rectè hæresim vocas hoc opinionis monstrum: non enim modò sensu, & rationi, sed etiam sacrarum scripturarum auctoritati repugnat.

M.E.N. Bona verba. Quòd si locis scripture pugnandum foret; sexcenta proferrem, quibus eam sàpere non quid sit, sed quid nobis appareat, docere comprobarem. Nisi fortè illos hæreticos appelles, qui negant veras aquas supra firmamentum existere; aut contendunt stellas quas intuemur, non esse innumerabiles, sed vix ultra 500. sub aspectum cadere.

S I M P. Obscurate, dulcissime Menander, terram & Solem suis locis restitue. Quòd si pertendis Soli quietem, terræ motum tribuere, yniversa, & Theologorum, & Philosophorum manus in te impetum faciet. Næ tu mihi ipsam Astronomiæ

urbem prodere videre, dum castellum ejus tam pertinaciter defendis, cùmque terram moveri contendis, totam Philosophiam pervertis. Ecquid tandem fidei causâ affers? Optimè, inquis, huic systemati phænomena, nulli verò alteri concinunt. Id certè tibi non concedam: nam si terram in medio mundi, ut par est, constituamus, circa quam Lunæ, Solis, Martis, Iovis, & Saturni orbitæ convertantur; Venus autem & Mercurius circa Solem, vt sidera Medicea circa Iovem, torqueantur: omnium phænomenon rationes hinc apertissimè constabunt.

MEN. Adde etiam omnia sidera vnicō motu ex variis composite agitari, quæ quidem est P. Fabry sententia. Sed multa sunt quæ te de hac opinione retrahant, quæ libens prætermitto, ne longâ litigiosâque contentione tempus teram.

*Novum sy-
stema ex P.
Fabry pro-
positur.*

T H. Cedo quæ sunt illa incommoda, quæ hanc sequuntur hypothesim: quid hoc mundi ordine concinnius: stellarum errantium Sol motus moderatur: superiores habet Martem, Iovem, & Saturnum, qui celeriâ quidem ab ortu in occasum progrediuntur, hinc tardius versus ortum promovet apparent. Luna verò Sole semper est inferior, & præter omnia sidera, tardissimo motu in occasum nititur. Venus demùm & Mercurius, modò ocyùs, modò tardius quàm Sol cidentur, eoque nonnumquam superiores, aliquando inferiores existunt: sunt enim velut Solis satellites.

M E N. Iam omni verborum prolixitate concisâ, dic nobis quibus motibus quinque illi planetæ ferantur, quam figuram sibi vniuersusque orbita vendicet.

T H. Iam alias diximus Solem motu ex tribus aliis conflato, nimirum circulari, qui quotidiana conversione finitur; recto, seu transverso à Septentrione in Aufstrum, quique declinationis motus appellatur; alio denique recto ascensus, & descensus, ab apogœo in perigœum agitari: atque ex his duo ultimi annuo ferè spatio circumscribuntur. Idem planè in omnibus planetis vñivenit, & quo motus declinationis est tardior, eo circularis sit velocior. Vno verbo, motus diurnus omnium planetarum est contorta spiræ similis, non in orbem perfectum circumductus, & omnes ferè planetæ ellipticam potius figuram, quàm circulum motu suo delineant.


MEN.

MEN. Quid porro causæ est, cur planetæ in apogæo sint directi, in perigæo retrogradi?

TH. Ratio in promptu est: cùm enim circa apogæum versantur, tardius ab ortu in occasum deferuntur, quod maius habeant spatum decurrentem, & motus sit omnino æquabilis: hinc magis in ortum promoveri videntur. Contrà, cùm perigæi sunt, tum celerius ab ortu in occasum rapiuntur, quod æquabili motu minorem circulum citius percurrent. Quocirca rum stellas quasi à tergo videntur relinqueret, ac retrogradi vocantur, quod non in ortum, sed in occasum remeare nobis appareant. Iam vbi in medio ascensus, & descensus intervallo morantur, tum in eodem loco consistere creduntur, quod eodem temporis spatio cum stellis fixis diurnam revolutionem perficiant, atque iisdem stellis per aliquod tempus subjiciantur.


MEN. Pulcrè tu quidem; sed quare frequentiores sunt Saturni quàm Iovis, & Iovis quàm Martis regressiones?

TH. Quod Saturnus celerrimè in occasum moveatur, hinc citius Solem assèquitur. Nihil addo de motu latitudinis, quem ex iis quæ dicta sunt in Lunæ theorî colligere est expeditum. In Venere latitudo maxima ad Boream, in Mercurio ad Austrum deflectitur: & quia Venus suas spiras, seu declinationis motum tardius quàm Sol, Luna autem longè celerius conficit; hinc evenit, ut in Lunâ caput, & cauda Draconis in occasum, seu in præcedentia; nodi autem Veneris, sive intersectiōnum loca in ortum, hoc est, in consequentia ferri appareant. Postremò, Venus ab apogæo ad perigæum 583. dies, 22. horas; Mercurius verò dies 115. horas 21. impendit; non secūs atque Astra Medicea tardius feruntur, quo longius à Iove discedunt. De ortu & occasu s. planetarum.
Sed cur Venus ab apogæo recedens fit vespertina, seu vespere emergit; cùm verò à perigæo discedit, fit matutina? idem de Mercurio dictum puta. Quod id siat illustrius, terram in puncto M, Solem in D, Venetem perigæam in F concipiamus. Tum igitur præcipiti cursu ab ortu in occasum fertur; vnde & retrograda nobis videtur, quod citius in occasum tendat; sed hunc motum, cùm ad apogæum H properat, paulatim remittit; quare celerius in ortum niti nobis appetet; cùmque citius Sole oria-



eur, Solem præcurrat, & matutina vocatur. Iam vbi ad apogæum H pervenit, manè occultatur: nam vñà cum Sole oritur. Verùm ab apogæo egressa, atque ab H in I tendens, tardius Sole oritur super horizontem DB, tūmque motum diurnum tardius Sole conficit, cùm sit directa: ergo manè nobis non oritur, quòdeam Sol abscondat; sed vesperè Solem sequitur. Tandem vbi ad perigæum F rediit, vesperè occultatur, quia vñà cum Sole occidit; sed postquam ex hoc loco eluctata est, & sursum contendit, non vesperè, sed manè emergit. Circa vñiusque stationis puncta G, & I longiori tempore sui copiam facit. Superiores verò planetæ cum Sole congressi, fiunt orientales, seu matutini; Solem quippe præcurrunt, cùm celestius Sole ab ortu in occasum rapiantur; cùmque de nocte supra horizontem ascendant, manè emergunt, & vesperè Solem antevertunt. Vespertini autem fiunt cùm à perigæo, seu ab op-

positione ad apogaeum eluctantur; tum enim de die oriuntur, atque ante Solis occasum emergunt: contrarium enim in his atque in Lunâ evenit, quae cum oxyüs Sole ab occasu in oreum promoteatur, post interlunium vespere; post plenilunium manè appetet; illic Solem sequitur, hic præcedit. Sed in his minutis diutiis quam par sit immoror.



C A P V T S E X T V M.

De stellarum fixarum theoriâ.

I. *Systema Cartesianum proponimus.* II. *Multis illud oppugnationibus.* III. *Exposito firmamenti motu, quædam ex Euclide theorematâ premittantur.* IV. *Trigonometria forcè universalis, seu triangulorum Analysis ad proximam Astronomicam necessaria paucis demonstrationibus absolvitur.*

M E N A N D E R.

 BSECRO te, mi Theophile, istos omnes aculeos, ac tortuosum hoc disputandi genus relinquaremus; quod sit univ ersale mundi systema, quem locam unaquæque stella sibi vindicet, quæ tandem sit motuum cælestium causa, placide atque armis depositis inquiramus: ac primùm, quid illustra Cartesio videatur, breviter exponam.

T H. Sentit verò Cartesius nihil unquam elegans.

M E N. Ego qui nihil quam probabilia sequor; & refellere sine pertinaciâ, & refelli sine iracundiâ paratus sum. Me minimi tu quidem, Simplici, quod paucis abhinc annis una cum aliquot ex amicis nostris te conventum venimus; cùmque, ita ut sit, varios sermones inter deambulandum cæderemus, in hanc questionem quæ nunc nobis est in manibus incidimus. Forte quadam unus qui tum aderat, in Cartesium acerrimè inventus est: negavit ullâ mentis agitatione hanc turbinatam (vt ipse loquebatur) Philosophiam concipi posse. Tum amicus noster, vir sanè omni laude major, disserit, ac copiosè; vt est

Systema
Cartesia-
num.

summus fandi artifex, non quid ipse sentiret, sed quid Cartesio videretur exposuit. Ad eumdem, inquit, fermè modum, tota mundi machina vertitur, quo cernimus in hoc flumine aquam in se contortam varios efficere vortices; in quibus non raro alii minusculi reperiuntur; qui omnes circa sua centra torquentur, dum communis vertigine à majoribus rapiuntur. Aliquando vsuvenit, ut folia arborum, vel paleæ horum minusculorum vorticum centro inhærent, & circumactæ sèpius gyrent, dum maiores vortices gyrum suum semel absolvunt. Vortices demùm circularem motum affectant, sed vix perfectos orbes describunt, nec parùm in longitudinem, vel latitudinem excurrunt. Non dissimili, inquietat, modo totum hoc universum, si Cartesio credimus, in varios vortices, tamquam in diversas provincias distinguitur; centrum uniuscujusque Sol, vel stella obsidet. Solem efficit materia primi elementi tenuissima, quæ cùm sit quietis impatiens, & motum ab auctore naturæ sibi impressum pertinaciter conservet, raptissimè circa se vertitur, atque eodem profus motu cælum, & planetas omnes circumagit, eo majori impetu, quo centrum vicinius petunt. Alii autem vortices minoris notæ circa terram, Iovem, & Venerem torquentur: adeò ut terra 365. vicibus circa se volvatur, dum semel communis vertigine circa Solem circumducitur. Sic Venus, Iupiter, & alii forsitan planetæ circa suum centrum gyrant: quemadmodum ex eorum scintillatione colligimus. Astra Medicea cum Iove peculiarem vorticem constituant: sic Luna circa terram duodecies volvit, cùm teluris globus semel circa Solem gyrat. Quid enim prohibet quominus terram inter maiores planetas, qui suum habeant peculiarem vorticem, majori licet contentum, reponamus. Postremo, planetarum motus non erunt accuratè in orbem circumducti; nec spatum in quo deseruntur erit perfectè sphæricum; sed instar ovi ex parte alterâ latius, & obtusius existet, sub quâ cælum expansum lentius fluat, quam vbi est angustius, necesse est. Eum verò locum planeta quisque sortitus est, qui ejus soliditati magis congrueret; adeò ut satis verisimile sit planetas eo maiores, vel certè solidiores existere, quo longius à Sole recesserunt. Quo magis credibile est partem Lunæ nobis ob-

versam, minùs habere soliditatis; argumento sunt nigriores ille maculae, quas liquidas, & fluxiles esse satis compertum est. Id verò quod jam subinde insinuavi ex mente Cartesii, magnos vortices esse ferè innumerabiles, pulcrè hinc demonstrabat, quòd eorum numerus, stellarum numero exæquetur. Nam si vnaquæque stella propriâ luce fulget, nihil à Sole nisi forte solâ magnitudine dissidet; adeò ut singulæ fixæ proprium suum systema habere videantur. Non enim ut plerique sibi persuadent, stellæ omnes eidem sphæræ affiguntur. Cælum quippe solidum non est, sed fluidum; nec necesse est ut stellæ eidem circumferentiæ inhæreant: nam corpus lucidum optimè in medio constituitur, ut vnde fulgeat: nec commodè in extremâ superficie collocatur, ubi media lucis portio pereat necesse est. Quòd si igitur Sol vna ex fixis censeatur, atque omnes sunt immobiles, melius in centro sui vorticis, quâ in circumferentiâ, vna quaque stella instar Solis consistit. Totum etiam cælum cùm sit spirabile, in perpetuo motu versatur, atque in eo planetæ, ut naves secundo flumine deuehuntur. Nec terra, nec vllus planeta propriè movebitur, sed sui vorticis motum consequetur: cum enim res movetur, cùm à viciniâ aliorum corporum divellitur, quod terræ, vel aliis planetis non convenit; quamvis motui totius cæli obsequantur. Quâ quidem ratione omnem de terræ motu invidiam amoliri in proclivi est. Cælum porro quâ minimo impetu convertitur, quòd nihil ei resistat, ac motum maximè affectet. Quocirca totum hoc universum non instar globi concipiendum est, & licet finitum sit, nullis tamen terminis illud circumscribere possumus. Non equidem infinitum, sed indefinitum decernimus; atque in eo complura sunt centra, in quibus totidem fixæ, tamquam faces accenduntur, atque ingens æther, seu expansum circa suum Solem celestrem agitat. Dubitari quoque non potest, quin stellæ immenses à nobis distent intervallo: quandoquidem cometæ mole maxi inter Saturni cælum, & fixarum vortices excursunt. Nec minùs supra fidem est stellarum à nobis distantia, quæ ab omnibus Astronomis statuitur, quâ vis alia major. Denique metuendum non est, ne Dei opera ambitiosè augeamus, & majora quâ par sit, aut divinam deceat omnipot-

*Hec jam
superiùs at-
tigimus, sed
hic fixis
explican-
tur.*

tentiam fingamus. Addebat quod cum stellæ fixæ immobiles existant, nequaquam mirum est, si eamdem inter se distantiam servare videantur, quamvis aliae alii nobis sint viciniores; tanto tamen à nobis sunt se junctæ intervallo, ut discrimen nullum percipi queat. Tandem magni illi vortices, sic inter se sunt coaptati, ut unius poli partes alterius à polis remotissimas contingant; sic enim mutua inter se commercia exercebunt: cùmque vortex raptissimè circa suum axem contorqueatur, illius materia quantum potest à centro recedit, atque per partes à polis remotiores erumpit, quod ibi motus sit concitator. Quare necesse est ut in proximum vorticem ingrediatur, nec subire poterit commodius, quām per partes polis finitimas, ubi motus est placidior, minor adē resistentia invenitur. Materia verò cum sit tenuissima, meatus satis amplos quibus excipiantur offendit. Sic partes totius universi præcipuae in se se mutuò agunt, & velut undulationes suas exercent. Hac ferè amicus noster, sed majori facundiâ de systemate Cartesiano disserebat, quæ quidem nec me ut assentiar cogunt, nec vera esse putem, sed suâ probabilitate non carent: pleraque verò hujus generis omnia latent crassis occultata, & circumfusa tenebris.

T H. Hac tamen vobis tam sunt defendenda, quām mentia: hinc enim Philosophia Cartesiana velut religata pendet; ea sunt inconcussa novæ, & haec tenus inaudite Philosophiæ fundamenta: neque hic de terminis, sed de totâ possessione agitur: ex his laticibus tria Cartesii elementa fluxerunt. Primum conflatur ex tenuissimâ in centro cujusque vorticis accensâ materia, quæ fons omnis caloris, lucis, & motus existit. Secundum ex innumeris globulis cælestibus constat, qui calum, vel expansum æthera componunt. Tertium denique ex partibus crassioribus, & ramosis compingitur, ex quibus planetæ omnes prodierunt. Atque illud est propterea mirabile, quod tenuissimæ substantiæ agitatio totum æthera, & solidissimos planetarum globos inestimabili celeritate, & numquam fatiscente motu abripiat. Iam quis ferat mundos illos innumerabiles, planetas commentitios stellarum assecelas, qui nec sensu, nec ratione comprehenduntur. Sed illud palmare est tenuissimam materiam in centro vorticis agitatam, globorum cælestium, sive ætheris

Quibus ratiōnibus hoc schema operari posse ostenditur.

1. ratio.

2.

expansi pressione lumen & calorem efficere; adeò ut simul, & eodem tempore globuli cælestes in rectas lineas, seu radios diffundantur, ac totum cælum in orbem, ipsos etiam planetas, ne terrâ quidem exceptâ, contorquere; gravia deorsum protrudere, atque infinitos propè alios effectus solo motu, qui nec concipi nec enarrari queat, procreare valeant. Quæ, inalùm, ratio evincet motum à centro ad circumferentiam propagari, cùm ex Mechanices legibus constet, motum longè facilis à circumferentiâ ad centrum, quâm vicissim diffundi. Iam omitto præclaram vorticum compagem, certè necesse est ut alter alterius sibi contigui motum impedit, atque aliorum inflectat. Imò si Cartesio credimus, quandoque evenit ut vortex minor à vicinis, & majoribus absorbeatur. Hinc quædam stellæ træctu temporis obliterantur. Id scilicet contingit, cùm stella maculis crassioribus involuta expansum circa se æthera moveare amplius non potest, vnde in alios vortices commeat; stella verò ut motu, sic luce suâ excidit, atque in planetam vel cometam degenerat. Planeta fit cùm altius medio vorticis immersitur; tûmque sui turbinis motu agitatur; at verò in cometam abit, dum extremis vorticibus insidet, & facile exalis in alios migrat. Num igitur me cogis etiam fabulis credere? Perfectò hominis est intemperanter abutentis otio, & literis, ca scribere quæ nec demonstrari, nec ratione persuaderi possunt. Atque ego proflus inepire videar, si in his fabulis refellendis diem consumam.

Illud magis ad institutum nostrum pertinet, quòd ut Solem, sic stellas immobiles constituitis. Quòd si vos rogem, vnde ergo oriti, & occidere nobis appareant statim ad terræ motum diurnum, tamquam ad atam confugieris. Sed terra quidem moveatur; est enim satis agilis, atque ad motum accommodata. At quid efficit ut stellæ paulatim versus ortum progredi videantur? Nam spicam Virginis Timocharis Alexandrinus in vigesimo secundo gradu Virginis, anno ab obitu Alexandri trigesimo observavit; eamdem Ptolemæus anno Alexandri 462. in 26. cum semisile Virginis deprehendit. Copernicus deinde anno Christi 1525. spicam Virginis à principio Librae gradibus 17. scrupulis 21. recessisse comperit. Sunt inter Timo-

De motu stellarum.

charidem, & Cœpernicum anni 1819. quo temporis intervallo spica Virginis 27. gr. juxta signorum seriem promota est. Idem prorsus constat ex aliis observationibus Timocharidis, Hipparchi, Menelai Geometræ, Ptolemæi, Albategnii, & Copernici inter se collatis; nisi quodd à Timocharide usque ad Ptolemæi tempora, stellæ tardiori motu, quam à Ptolemæo ad Albategnium, & longè celerius ab Albategnio, ad nostra usque tempora progressæ videantur. Nam Hipparchus observavit eam stellam, quæ Regulus, seu Cor Leonis dicitur, ab æstivo solsticio fermè signo integro distatam. Ptolemæus post 266. annos vix tres gradus progressam fuisse deprehendit. Albategnius post 740. annos ferè duodecim gradus promotam invenit; adeò ut 44. gr. ab æstivo solsticio distaret. Postremò Copernicus post 645. annos eamdem stellam 9. gr. 11'. confecisse reperit, ita ut ab eadem metà 53. gr. jam distaret. Vnde ergo ille motus? Numquid fortè cum Nicolao Copernico terræ axem paulatim declinare, ac locum mutare contendes? Sed hoc effugium ne ipsis quidem Copernicæis placet. Lansbergius enim id fieri posse negat, quod annis labentibus, ipsa terræ climata sicutum suum commutarent; quæque olim erat zona torrida, nunc temperata existeret: necesse igitur est ut hic motus non telluris globo, sed fixis competit; secùs enim eundem motum reliquis planetis affingemus. Ego verò crediderim stellas unico motu ex duobus conflato, instar Solis, & aliorum planetarum agitari. Sed motus declinationis eo est tardior, quo circularis velocior existit. Quare stellæ spiras describunt adeò confertas, ut citra errorem pro circulis perfectis usurpari queant.

Iam quod stellarum locum attinet, quis definire potest utrum eidem cœlo inhærent, an aliæ aliis sint à nobis remotores? Hæc si quæ alia, sunt densissimis tenebris obducta, ac licebit Cartesio quidquid libuerit fingere; dummodo deliria sua, & cerebri vigilantis somnia, tamquam æternæ, & inconcussæ veritatis principia non vendit: dum enim generosiores illi animi vitant huimum, & communes opiniones spurnunt, nubes saepe & inania captant.

MEN. Morosior es, & vltra quam par sit à Cartesio alienior.

nior. Quod si illius scripta evolvas, aliud sentias. Hypotheses suas ut multum probabiles, non ut indubitatæ fidei oracula proponit. Abundè satisfecerit, si omnia phænomena cum systemate quod exposuit, aptissimâ consequentiâ consentiant. Iam si tibi placet, Simplici, excusis planetarum, & stellarum theoricis, ad ipsius Astronomiæ praxim descendamus.

S I M P. Dies antè nos deficiet, quād omnia quæ ad usum sphæræ, & tabularum calculos pertinent, possum evolvere. Quid, si nobis viam quam Astronomi tenuerint in motibus corporum cælestium definiendis, vel tabulis construendis, demonstrare aggrediar; & scientiam parallaxium, ex quibus siderum à terrâ distantias industriâ mirabiliter scrutantur, atque observationum defectus, qui plerumque solent occurrere, velim utrū par est, pertractare, in immensum protrahetur oratio. Sequar igitur summa rerum fastigia, & dabo operam ne affectata brevitas perspicuitati, vel accuratæ rerum tractationi quid ob sit. Verum antequam rem ipsam agamus, pauca è Geometriæ fontibus, quæ ad triangulorum resolutionem spectant, non quidem demonstrata supponere, sed utrumque demonstrare nobis incumbit; ac libenter utrā eā quam tu, Menander, nobis delineasti figurā. Sunt igitur rectæ lineæ AS, & DT parallelæ, quæ scilicet in infinitum productæ numquā concidunt; vel ut definit Posidonius; quæ neque annuant, neque abnuunt, sed lineas omnes perpendicularares, quæ utrasque connectunt (quales sunt TS, & OP) ubique æquales sortiuntur: atque hæc sit linearum æquidistantium notio. Iam inter ea quæ sibi concedi vult Euclides, illud tamquam naturali lumine notum, quodque nullo modo demonstrari possit, postulat; nimirum si linea PO incurrens in rectas TO, & SP, duos efficiat angulos ex eadem parte positos; nempe SPO, & TOP minores duobus rectis, fore ut ex illâ parte productæ lineæ PS, & OT tandem concurrant. Quo enim sunt angustiores anguli P, & O, eo magis annuant, & quasi coire gestiunt rectæ PS, & OT, atque adeò protractæ aliquando tandem coibunt. Id sane mihi non ægrè dabis, quod ipse Euclides demonstrare non præsumit. Nec vobis excidit quod superiùs demonstratum est, scilicet rectam OP, quæ cadit in lineam SPA, duos


*Quæ fratelli
mia parallela
la.*

Postulatum.

Y

170 ASTRONOMIA PHYSICA.

angulos ad P, vel rectos, vel certè duobus rectis æquales efficer; atque eodem prorsus jure, duo anguli ad punctum O existentes duobus item rectis æquantur: adeò ut quatuor an-



gali ad puncta O, & P, ex utraque parte constituti, vel quatuor sint recti, vel quatuor rectis sint penitus æquales. His igitur positis, atque concessis, nunc quid demonstrare velim attendite.

Primum hinc colligitur duos angulos P, & O, ex eadem parte collocatos; vel ut clarius loquar, angulos interiores SPO, & TOP duobus rectis angulis æquari. Non enim minores singi possunt, quia ex parte S, & T, si rectæ PS, & OT producerentur, procul dubio coirent, quod est contra hypothesis; supponimus quippe lineas PS, & OT esse parallelas, & numquam concurrere. Sed neque prædicti anguli O, & P majores duobus rectis dici possunt. Siquidem anguli DOP, & OPA, ex altera parte collocati, duobus rectis minores forent: quod tantum hiscedat, quantum illis accrescit. Hoc est, cum quatuor anguli ad P, & O positi simul sumpti sint quatuor rectis æquales; si contenderis duos SPO, & TOP duobus rectis esse majores, necesse est ut duo reliqui APO, & DOP duobus rectis minores existant; atque adeò lineæ SP, & TO productæ tandem coibunt ex parte A, & D, quod rursus pugnat cum hypothesi. Cum igitur duo anguli SPO, & TOP, ut majores, sic minores dici nequeant, restat ut duobus rectis æquales sint. Quod nobis probatum oportuit.

Secundò, ex iis quæ concessa sunt colligo duos angulos SPO, & DOP, qui alterni dicuntur, inter se omnino esse æquales. Cum enim à duobus, quæ sibi æqualia sunt, quiddam commune aufero, quæ restant adhuc sunt æqualia. Atqui duo anguli interiores, & ex eadem parte SPO, & TOP duobus rectis æquantur, ut quam mox demonstravimus. Sunt itidem duo anguli POT, & POD duobus rectis æquales; nam linea POT cadit in lineam TD: ergo sublato communi angulo POT, remanebunt anguli SPO, & DOP, alternatum dispositi inter se prorsus æquales.

Iam proprius ad institutum accedam; quæque ad triangulorum scientiam attinent brevi expediam, non ut omnia, sed ut magis necessaria demonstrem. Ac primùm duo triangula TSP, & TOP mutuò inter se sunt conferenda. Supponamus quod latus vnius æquale sit lateri alterius, vel utriusque

*Theorem
primum.*

*Per postula-
tum.*

2.

*Per 1. theor.
ex 1.*

Y ij

commune, vt TP , atque duo anguli vnius huic lateri vicini, æquentur duobus angulis alterius. Illos majoris lucis gratiâ designabo. Sit angulus $O\,TP$ angulo TPS ; nec non angulus $TP\,O$ angulo PTS æqualis. Quid futurum est? Duo triangula erunt inter se omnino æqualia. Quæ enim sibi superposita congruunt; adeo vt neutrū alterū excedat, sibi sunt æqualia. Atqui si duo triangula, quæ descripsimus, sibi mutuo superponantur; ita vt angulus T vnius cum angulo P sibi æquali alterius conveniat; latus PO cadet in latus TS , & latus TO cadet in latus PS : ergo punctum O puncto S conveniet; & triangulum TOP toti triangulo PTS congruet, & penitus æquabitur. Quod nobis erat demonstrandum. Sequitur vt vnius trianguli anatomem aggrediamur, & nobis ante omnia demonstrandum est tres angulos vnius trianguli duobus rectis æquari.

4. Sit triangulum TOP . Intelligamus ductam parallelam PS ipsi TO ; & TS ipsi PO . Itavt fiat quadrilaterum, cuius quatuor anguli S , T , O , P , quatuor rectis æquantur; vt ex iis quæ demonstrata sunt liquet. Duo quippe anguli interiores O , & P duobus rectis sunt æquales; & eodem jure duo anguli T , & S duobus itidem rectis æquantur. Atqui duo triangula TOP , & TPS sunt inter se æqualia. Idque nobis demonstrandum est.


*Per 1. theor.
hucus capi-
tis.*

Linea TP cadit in rectas parallelas TO , & PS : igitur facit angulos alternatin dispositos T , & P inter se æquales: ita vt angulus $SP\,T$ sit æqualis angulo $O\,TP$: angulus item $ST\,P$ æquetur angulo $OP\,T$. Duo igitur triangula habent latus commune PT , & duo anguli vnius sunt æquales duobus angulis alterius: quare sunt inter se penitus æqualia. An necesse est concludere tres angulos trigoni $TP\,O$ duobus rectis æquari? Cùm jam ostenderimus quatuor angulos quadrilateri T , S , P , O , quatuor rectis æquivale. Illud verò quadrilaterum in duos æquales trigonos divisum est. Quid igitur restat nisi vt tres anguli T , P , O , trigoni $TP\,O$, duobus rectis æquentur; quemadmodum tres anguli alterius trianguli TPS , duobus itidem rectis æquales sunt. Nam omnes utriusque trigoni angulos quatuor rectis æquari ostensum est.

Hinc etiam licet colligere, quod si trianguli $TP\,O$ vnum

ex lateribus TO producatur in D, fiet angulus POD exterior duobus internis T, & P trianguli POT simul sumptis omnino æqualis. Nec ardua demonstratio futura est. Nam linea

5.



Y ij

PO cadens in rectam TD, duos efficit angulos ad punctum O duobus rectis æquales. Sed mox ostensum fuit tres angulos ejusdem trianguli PTO simul sumptos duobus rectis æquari. Tolle igitur communem angulum POT, duo restabunt anguli T, & P simul juncti æquales vni angulo POD: quod nobis erat probandum.

Postremò nihil necesse est ut vos admoneam in omni triangulo majorem angulum majori quoque lateri opponi. Sic in triangulo POT, angulus O, cum sit major angulo T, latus PT, quod majorem subtendit angulum, longius est latere PO, quod minori angulo T opponitur. Quid enim est angulus, nisi duarum linearum in eundem velut apicem conspirantium inclinatio, seu apertio, quæ quo major erit, necesse est ut majore itidem latere subtendatur. Nam quo angulus O est apertior, eo quoque duæ linea quæ illum efficiunt, majori linæ TP connectuntur. Hinc sequitur æquales esse angulos, cum æqua sint latera: ut in triangulo TPY, æqua sint latera TP, & TY, æquales esse angulos P, & Y manifestum est. Nam si alter major foret, majori quoque lateri opponeretur. Sed æqualia supponimus latera. Äquales igitur anguli futuri sunt.

M E N. Numquid ex iis liceat concludere, quod in omni triangulo eadem est vnius anguli ad alterum, quæ lateris ad latus proportio. Hoc est, si trigoni POT angulus P sit duplus anguli T, latus TO, quod subtendit angulum P, duplum quoque lateris PO oppositi angulo T futurum est. Nam si æqua sint latera, æquales erunt anguli; & majus latus majori angulo substernitur, minus minori. Ergo eadem inter angulos, quæ inter latera invenitur proportio.

S I M P. Ut falsus attemi es. Ponamus enim angulum O æquari duobus angulis P, & T simul sumptis: numquid forte latus TP duo latera TO, & OP adæquabit? Hoc certè esse impossibile nemo non videt: nam duæ lineæ TO, & OP in unam rectam productæ majores lineæ TB evadent? Id verò te fallit, quod anguli, & latera quibus constat triangulum, non sunt ejusdem generis, nec adeò aptè inter se comparari possunt. Anguli quippe magnitudinem metitur circuli cir-

*Non eadem
est inter la-
tera, que
inter angu-
los propor-
tio.*

cumferentia, vt suprà monuimus; & quo major est angulus eo majorem arcum intercipit. Sed illa circumcurrentis linea, quæ circulum efficit, specie non convenit cum rectis lineis, quibus triangulum clauditur. Quòd si eadem ratio esset angulorum, quæ laterum, nihil foret facilius quam triangulum resolvere, ac tribus datis reliqua invenire.

Sit triangulum T O P, cuius anguli dentur cum uno latere P O, reliqua investigare oportet. Si tibi creditus, quoties angulus P angulum T continet (quod ignorare non possum, cum supponamus notos esse angulos) toties latus T O, alterum latus P O complectitur. Atqui datur linea P O: non igitur ignota erit recta T O.

M E N. Quâ igitur arte, quâve ratione cognitis trianguli omnibus angulis cum uno latere; vel duobus lateribus cum uno angulo, reliqua invenientur?

S I M P. Hæc sunt majoris operis, & spiritus. Cogniti quidem anguli invenienda est chorda, vel sinus.

M E N. Quæ sunt hæc verborum monstra?

S I M P. Faciam ut intelligas. Sit angulus P T Y, quem metitur arcus P M Y, cuius chorda vel subtensa erit recta P O Y, hujus dimidium P O Arabes sinum vocant. Est igitur P O sinus dimidii anguli P T O, vel dimidii arcus P M; ac perpendiculariter cadit in semidiametrum T M. Eadem prorsus ratione recta P S est sinus arcus P L, vel anguli S T P. Quare optimè definitur sinus, dimidium chordæ duplum angulum, vel arcum subtendentis.

Quocirca in triangulo P T O, si dentur omnes anguli cum uno latere P O, reliqua facilè invenientur: nam eadem est inter latera, quæ inter sinus angulorum proportio. Hoc est, quoties latus P T continet latus P O, toties sinus anguli O complectitur sinum anguli T. Dantur ex hypothesi anguli O, & T, quorum sinus in tabulâ facilè inveniuntur. Ergo minimè nos latebit, quoties recta linea P T contineat rectam P O; atque eadem facilitate obtinebis latus T O. Igitur datis trianguli omnibus angulis, cætera facilè inveniuntur. Quod quidem in trigono rectangulo, seu qui rectum angulum habet, qualis est P O T, planum est. Siquidem latera sunt sinus ipsi angulorum,

Quid sit sinus anguli.

Trigonometria problemata 1.

Quo modo hec tabula sit conficienda, & ad eundam infra dicendum.


quibus substernuntur. Ut PO est sinus anguli T , & TO est sinus anguli TPO . Denique radius TP est sinus anguli recti O : nam diameter LN est chorda semicirculum, sive 180 . gr. subtendens: igitur radius TL , cui æqualis est TP , erit sinus quadrantis circuli, qui angulum rectum O mensurat.

M E N. Iam si angulum O , rectum non statuamus, an eadem proportio recurret?

S I M P. Eadem prorsus: nam æquales anguli æquales obtinent sinus; majoris anguli major est sinus; minoris minor: nec licuit nobis angulos cum lateribus componere, vt quantè angulus est altero major, tantò vnum latus alterum excedat; quod anguli, & latera sint res penitus disparatae, & non ejusdem generis. Nunc si loco angulorum sumantur eorum sinus, vel chordæ: palam est æqualibus angulis, æqualia latera, & æquales chordas, vel sinus; majoribus quoque angulis, majorres sinus, & majora latera; minoribus minora respondere. Ergo eadem est inter chordas, vel sinus angulorum proportio; quæ inter latera invenitur. Clarius dicam, vt se habet vnum latus ad aliud, v. gr. TO ad OP , sic se habet sinus vnius anguli P ad sinum alterius anguli T . Illud quippe axioma à Philosophis usurpatum, vt se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; in rebus ejusdem generis, vel speciei longè est verissimum, atque ipso naturali lumine notum. Hæc igitur totius trigonometriæ quasi duo fundamenta substernimus. Primum, dati anguli sinus in tabulâ huic rei destinata; & vicissim cognito sinu facillimè angulus obtinetur: vt si tri-goni PTO angulum T , 30 . gr. novem, sinus quoque PO , in tabulâ sinuum statim occurret: ac si notus tibi fuerit sinus PO , seu illius proportio ad radium PT , sitque ex gr. 20 . partium quarum radius, vel semidiameter TP est 60 . anguli T quantitatem in tabulâ statim offendes. Alterum fuit à nobis idem inculcatum: nempe eamdem esse inter angulorum sinus, ac inter latera trianguli proportionem.

- Principium
totius trigono-
metriæ.*
2. Quare cognitis vnius trigomi omnibus angulis, latera quidem non idcirco innotescunt, sed certè proportio quæ inter ea intercedit, non ignorabitur. Addamne quod perspectis duobus angulis P , & O , tertius T facile elicetur: cum enim tres simul sumpti

sumpti duobus rectis, sive 180. gr. aequaliter, si statuamus angulum O rectum, vel 90. gr. & angulum P 60. gr. necesse est, ut residuus T 30. gr. complectatur; quod tres simul junci angu-



li summam 180. gr. efficiant. Dat's verò angulis, dantur eorum sinus; atque adeò quantum vnum latus trianguli alterum excedat exploratum habebimus; cùm eadem sit inter latera, quæ inter sinus, proportio.

3. Quinetiam si vnius trianguli TPO (ne ab eodem exemplo recedamus) detur nobis angulus O, & proportio anguli T ad angulum P, facillimè inveniemus angulorum P, & T mensuram. Sit enim angulus O rectus, & 90. gr. duo reliqui 90. itidem gradus complecentur. Sit porro angulus T subduplicius anguli P: ergo angulus P 60. gr. atque angulus T 30. gradus continebit, vt ex utroque summa 90. gr. prodeat. Pergamus, ac totam trigonometriam, in quâ Astronomiæ studiosi adeò fatigantur, paucis decurramus.

4. Sæpe vluvenit, vt vnius trianguli P OT dentur duo latera cum uno angulo ab iis comprehenso; vt si detur angulus O, cum lateribus PO, & OT: ac reliqua sint nobis indaganda. Cognitis lateribus PO, & OT, non quidem habentur anguli P, & T, sed quæ sit inter eos proportio obtinebimus. Supponimus enim angulum O rectum, ac proinde duo anguli P, & T, simul juncti, vni recto æquantur: & utriusque seorsim sumpti sinus habebuntur, cùm TO, & OP sint explorata. Ergo anguli facile innoscet.

Longè tamen compendiosiori via latus TP per 47. lib. I. Element. Euc. consequemur, quo cognito, angulos statim habebimus: & si liberet hæc ad praxim redigere, auctor forem, vt latus PT juxta Euclidis demonstrata queretur. Sed nolui quicquam ab Euclide demonstratum supponere; hæc enim mihi à vobis lex præscripta fuit, quam transilire mihi religio est. Neque etiam ignoro longè adhuc expeditiorem fore calculum, si tangentium, & secantium tabulis utramur: vt si radio TO, centro T delineatum circulum intelligas, hunc tanget recta OP in puncto O. Secabit verò linea TP: cognitâ igitur, vt supponimus, tangente PO, statim in tabulâ angulus T innoscet; atque eadem operâ secante TP, quam barbarâ voce hypotenusam vocant, perspectam habebis.

5. Quid si duo latera habeantur TP, & PO, cum angulo O (rectus sit vel obliquus, mihi perinde est) facillimè reliqua

*Quid tan-
gentia, quid
secantia.*

obtinebo. Nam ut eamdem cantilenam s̄apie occinām, quantum latus $T P$ majus est latere $P O$, quod mihi ex hypothesis notum est; tantumdem sinus anguli O major erit si nū anguli P : atqui non me fugit sinus anguli O per tabulam sinuum. An igitur ignorare potero sinum anguli P , vel ipsummet angulum? iam cognitis angulis cum duobus lateribus, statim reliquum latus $T O$ innotescet, vt jam ostensum à nobis est. Sed alia forsitan obscuriora.

Offeratur nobis triangulum omnes habens obliquos angulos $T P Y$, & licet h̄c æqua sint latera $T P$, & $T Y$, finge tamen esse inæqualia, vt ipsa trianguli resolutio plus habeat operis; dentur verò latera $T P$, & $P Y$, cum angulo P ab illis comprehenso; cætera reperiunt nobis incumbit. Datum igitur triangulum in duo minora bipartitum concipiā, ductā perpendiculari $T O$, ac prioris quidem trianguli $T P O$ rectanguli resolutionem aggrediar. Iam illius duo anguli O , & P , cum latere $T P$ innotescunt: ergo per primum problema, reliqua facilè habebuntur. Notum igitur mihi est latus $T O$, cum latere $O P$, & subducto $O P$ à toto latere $P Y$ noto, non ignorabo reliquum latus $O Y$. Quare in triangulo $T O Y$ rectangulo, iam obtinui duo latera $T O$, & $O Y$, ac angulus O reetus cùm sit, mihi est cognitus. Quocirca ex iis quæ mox demonstravimus, reliquum latus $T Y$, cum angulo Y consequar; atque adēd tum latera, tum anguli trigoni $T P Y$ habebuntur. Non morabor in hac parte amplius; & quideam volui in hanc rerum tenuitatem descendere, ne quid ad Astronomiæ intelligentiam necessarium viderer omittere. Nec dissimilandum est, quod illis minutis instructa Geometria ad rationem usque mundi se tollit, & non solum stellarum errantium certos, constitutosque cursus numeris docet, sed etiam siderum moles, eorūque à terrâ distantias industriâ mirabili dimentitur.

TH. Multa tu quidem, quæ non nisi per longas ambages, & morosas demonstrationes ab aliis traduntur, quām brevissimè exposuisti; id vnum tamen tecum quasi expostulo, quod ad sinuum tabulas provocaveris; nec dum nos quā methodo digerantur, edocueris.

S I M P. Non temerè id quod à plerisque tractatum est vberimè, omittendum putavi: nam si Geometricā subtilitate exquirere volumus, quam cujusque arcus chorda, vel sinus cum diametro habeat proportionem, in immensum protrahetur oratio, atque longa demonstrationum series ex Euclide erit retexenda. Hoc quidem argumentum ante annos sexdecim, cùm animum serio ad Mathematicas scientias adjungerem, quantum potui (nihil enim magnopere meorum miror) breviter, & dilucide exposui. Hipparchus olim de subrensis in circulo lineis 12. libros conscriperat: idem postea Ptolemæus facilitiore viâ aliquot demonstrationibus, licet paululum obscurioribus, expeditivit. Nunc satis fuerit si praxim quasi mechanicam paucis aperiā. Circulo itaque in 360. gr. distributo diametrum IM in 120. partes veteres diviserunt. Vnde posito circini pede immobili in puncto M, facile erit dignoscere quot diametri partes unaquæque chorda, vel sinus contineat. Sed ut calculus foret accuratior, placuit recentioribus semidiametrum, seu radius TM in 10000. partes divisum supponere; singulos quoque gradus in tres partes secuerunt, quarum singulæ viginti minuta complectuntur. Imò licebit & radius minutiùs considerare, atque in 100000. partes divisum fingere; sic gradus singuli commodius in sex partes secabuntur. Quocirca si radius TM in centum partes distribueris, unaquæque centum, vel mille continebit, quarum radius TM 10000. vel 100000. complectitur; nec difficile erit cujusque arcus chordam, aut sinum invenire. Chordis verò cognitis, sinus non ignorantur. Detur chorda POY subtendens, vel connectens extrema arcus PMY, illius dimidia PO erit sinus dimidi arcus PM, vt jam subinde mouimus. Circulo autem in suos gradus, & diametro in partes suas divisis, beneficio circini cognoscetur chorda POY, & quota sit pars totius diametri IM. Atque adeò cujusque arcus sinum non ægrè obtinebimus, ac tabulam sinuum hoc ferè modo digeremus. Partes circumferentiarum, seu gradus primo loco constituemus, quibus sinus è regione collectabuntur.

Quæres ex. gr. quantus sinus respondeat arcui vnius gradus & viginti minutorum, è regione invenies sinum 2327. quaruta

Circumferentia	Grad.	Scrup.	Sinus.	Diffe-
				rentia.
	0	10	291	291
	0	20	5 82	
	0	30	8 73	
	0	40	11 63	
	0	50	14 54	
	0	60	17 45	
	I	10	20 36	
	I	20	23 27	
	I	30	26 17	


radius circuli erit 100000. partium.
Iam si velis scire quis sinus respondeat
arcui vnius gr. & 25. min. vide in co-
lumnâ differentiæ , quot partes de-
beantur decem minutis vnius gradus.

Ecce tibi 291. Igitur dimidium hujus
numeri nempe 145. addam sinui prius
invento 2327. summa erit 2472. Tan-
tus igitur dati arcus, sinus futurus est.

M E N. Profectò me besti : num-
quam enim haec tenus istam sinuum, &
triangulorum spinosissimam doctri-
nam assequi potui, in quam tamen plerique omnes Astronomi
tota volumina impendunt.

S I M P. Nunc si placet, in alium diem quod superest differa-
mus; nam diu est quod vestra facilitate nimis intemperanter
abutor.

T H. An tu cum nos in summam expectationem adduxeris,
tam citò deseris; pedem hinc non referes, donec promissa exol-
vas; quaque ad proxim Astronomicam spectant penitus ab-
solvas.





CAPUT VLTIMVM.

De praxi Astronomicâ.


1. Inchoatam capite secundo de sphærâ celesti tractationem absolvimus; quibus utantur instrumentis Astronomi; quâ methodo lineam meridianam, Solis & aliorum siderum altitudines; poli elevationem, locorum longitudines accipiuntur; queque ad sphære, vel globi celestis usum pertinent, compendiose exponuntur, i. i. Quâ industria Solis, & aliorum planetarum excentricitates investigent; tabulas Astronomicas conficiant, atque ex iis motus celestes, & siderum loca explorata habeant, uno item & altero problemate edocetur. i. i. Doctrina parallaxium, ex quibus planetarum à terrâ distan- tias colligunt, nec non quâ arte eclipses prenuntiari & delin- neri possint, aperitur. i. v. Agitur de variis defectibus ob- servationum, veterum & recentiorum erroribus; ubi de re- fractionibus & crepusculis nonnulla; ac demum Astrologia conjecturalis perverllitur, & vanitatis revincitur.

SIMPLICIVS.

Satis pol pro imperio loqueris; sed apud te su- mus, tibi mos gerendus est. Ac primò mihi di- cendum esset, quæ instrumenta Astronomi ad obseruationes suas adhibeant; quâve arte con- struantur, nisi hæc vobis forent notissima, atque ad machinatricem potius, quam ad Philosophiam attinerent. Nemo nescit rotundis instrumentis plerumque eos uti, qui si- derum motus circulares dimeriuntur: sive integrum circulum in 360. gr. distributum adhibeant; sive quadrante circuli in 90. gr. partito utantur. Sit igitur majoris lucis gratiâ circulus C E C in 360. gr. seu partes æquales; vel quadrans circuli CD, in 90. gr. dispartitus; quod compendiosissimè fieri potest bene- ficio alterius circuli, putâ S G S, jam antè distributi, cuius me- dium centro T applicetur: ac regula T B per singulos distributi

LIBER SECUNDVS. 189

prius circuli gradus ductus, gradus itidem in majori circulo CEC delineandos indicabit. Sed parum est Astronomo circulum in gradus dividere, nisi singuli gradus in 60. scrupula,



vel saltrem in sex partes, quarum unaquæque decem scrupulis respondeat, minutius concidantur. Quocirca non exiguis, sed amplioribus instrumentis uti solent. Quod verò vniuersaliterque sideris locum exploratum habere possint, tenuissimam adhibent regulam, aliquantulum latam, cuius una extremitas centro T insigatur, altera B per omnes circuli gradus circumducitur. Optarem equidem ut puncto B arcus BA unius gradus in sua scrupula distributi apponenteret, quem regula TB secum devehieret; tum enim necesse non foret totum circulum operosè in minuta partiri, neque instrumentum ipsum tantam exigeret molem. Prætereo utriusque regulæ extremitati T, & B duo pinnacidia, vel laminulas perforatas, aut rimulis pervias affigi oportere, ut per illa foraminula, vel siderum radii excipiantur, vel ipsa sidera contueri liceat. His breviter delibatis totum opus in certa problemata digeramus. Neque hic est locus, in quo exultare possit oratio, sed in Mathematicorum angustias, & dumeta est compellenda.

M E N. Ut voles, non enim quærimus abundantem terum, aut verborum copiam, quæ cumulum tantum habeat, atque congestum: sed scientiam viâ, & ratione pertractatam voluimus. Cùm in cæteris scientiis, tum præfertim in Mathematicis mirificè capit animum meum erudita brevitas cum aptâ rerum dispositione conjuncta.

S I M P. Qui ordinis ac methodi in hujus disciplinae tractatione nullam rationem habuerit, hic sanè audientes obruet, non docebit; licet amoenâ fortè garrulitate delebet. Praeclaras quidem sententias fundat, quæ si non cohærent, ac demonstrationum munitione destituantur, nihil quam nugas egerit: nam laboratur etiam intemperantiâ rerum optimarum. Quod igitur viam ingrediamur eamque planam, atque ad demonstrandum expediram, à facilitibus ducamus exordium, ex quibus ad extrema occultiora quasi per gradus deducemur. Nobis ante omnia methodus, quâ linea meridiana (sic dicimus lineam quæ directe meridiano circulo subjacet) inveniatur, proponenda est.



PROBLEMA I. Lineam Meridianam *indagare.*

QUOD si acus chalybea, quæ vi magneticâ imbuitur, ad vtrumque mundi polum extrema sua citra yllam deviationem dirigeret; illius ope lineam meridianam invenire expidetur fore: cum acus ipsa versoria, quam querimus, lineam exhiberet; atque omnes rectæ versorio quiescenti ductæ parallelæ rotidem essent linea meridianæ: hinc qui vulgo horologia solaria delineant, hac methodo lineam Meridianam exprimunt. Verum satis compertum est acum versoriam ad vtrumque mundi cardinem non adeò religiosè extrema sua convertere, quin aliquot gradibus hinc, atque inde deflectat. Quare vel illius deviationis ratio habenda est, vel aliam viam paulò difficultorem insistere oportet. Centro T plures circuli describantur, erecto ad perpendiculum cylindro, seu baculo TS, aliquor ante meridiem horis, ut horâ nonâ diligenter inspice cuius circuli peripheriam, quodque punctum attingat extremitas umbræ à baculo projectæ; quod sit ex. gr. 9. idque punctum signa. Eadem ferè post meridiem horâ, tertiam scilicet revertere, atque expecta quo usque eundem circulum extremitas umbræ contingat, ut in puncto 3. Iam arcum 3S9 in duas partes æquales divide in puncto S, & per centrum circuli ducta STG lineam Meridianam præbebit. Nam si umbra circa horam nonam secundum rectam T9, & horâ tertiam in rectam T3 porrigitur, necesse est ut in ipsâ meridie lineam TS describat, ut ab utraque æquo distet intervallo. Neque opus est ut vos admoneam styli, seu baculi extremitatem in mucronem esse acuendam, atque eamdem operationem saepius esse repetendam; est quippe hæc linea omnium ferè observationum quasi fundamentum.

PROBLEMA II. Solis & aliorum siderum altitudinem *reperire.*

INSTRUMENTVM vel annulo liberè suspendatur in punto C, si sit integer circulus, cuius generis est Astrolabium; vel ad perpendiculum erigatur, si sit quadrans circuli DC. Eadem figura: hiq; confutentia.

Aa

lares per utriusque pinnacidiū rimulas trajiciantur; vel astrum ipsum per foraminula conspiciatur. Sit v. gr. regula TB, inter D, & C medio intervallo constituta, tandem numerabis gradus inter D, & B interceptos, ea est quippe Solis vel alterius sideris supra horizontem elevatio. Cùm enim instrumenti punctum medium T, à centro terræ sensibiliter non differat, si per lineam DT Sol radios suos vibret, palam est eum supra horizontem non attolli, sed illius superficiem dumtaxat radere, vt cùm oritur, vel occidit. Quod si per radium TC conspiceretur, tum vertici nostro immineret, ac toto quadrante circuli DC super horizontem assurgeret. Eodem quidem jure cùm Solem per radium TB contuemur, tot gradibus attollitur, quot in arcu DB numerantur. Non dissimilandum est esse alium inveniendæ Solis altitudinis modum, circa vllum instrumentum, per solius baculi erecti umbram.

Sit stylus seu baculus PO, cuius umbra OT, radius solaris BPT. in triangulo TPO nota sunt duo latera, nimis rura PO baculi altitudo, & OT ipsius umbræ longitudo. Angulus quoque O, cùm sit rectus, ignorari non potest; est quippe 90. gr. ergo juxta ea quæ superius de triangulorum resolutione diximus, innotebet angulus OTP, quæ est ipsissima Solis supra horizontem elevatio. Hac quidem subtili, & Geometricâ planè methodo veteres usos fuisse non ignoror; sed tamen incerta est, & lubrica, nisi stylus PO sit portentosæ longitudinis. Nam difficile est lucis, & umbræ confinium discernere, & facile vius, vel alterius gradus error in hac operatione irrepit.

**PROBL. III. Altitudinem poli, seu latitudinem loci
indagare.**

IN hac operatione infinitum propè momentum est; eaque sic potest satis accurate perfici. Cùm Sol alterum æquinoctiorum obtinet, altitudo illius meridiana observetur, sit v. gr. DB, 41. gr. & 10'. tanta erit altitudo æquatoris BT supra horizontem TD, hæc à quadrante circuli DC subducatur, remanebit BC distantia æquatoris à punto verticali C 48. gr. 50'. quæ quidem est latitudo hujus loci æqualis omnino al-

titudini poli quæsitæ VR, quod facile demonstrabitur. Est quippe arcus RB quadrans circuli 90. gr. cùm sit distantia poli ab æquatoro; est itidem CV circuli quadrans, cùm sit distantia punti verticalis ab horizonte: ergo sublato communio arcu CR, remanebunt BC latitudo loci, & RV altitudo poli penitus æquales.


Nec minus præcisè, beneficio alicujus stellæ, qæ polo vicinior neque oritur, neque occidit, eamdem poli altitudinem obtinebimus. Nam si maxima stellæ altitudo meridiana diligenter observetur, quæ sit ex. gr. 60. gr. & post 12. horas, vel alio die, minima quoque stellæ altitudo exploretur, quæ sit 40. gr. utriusque differentia erit 20. gr. cuius dimidium à maximâ altitudine subductum, vel minimæ additum dabit poli ipsius altitudinem 50. gr. vel utramque tum maximam, tum minimam stellæ altitudinem in unam summam congere, prodibunt 100. hujus numeri dimidium sume, minimum 50. hæc erit altitudo poli. Hanc si scinel consecutus fueris, declinationem Solis ab æquatore facilè invenies.

Dato enim die observetur Solis altitudo meridiana, & quantum æquatoris altitudinem jam compertam superabit, vel ab eâ superabitur, tanta Solis declinatio futura est. Sic Parisis cùm Sol principium Cancri subit, 64. gr. & 50'. in meridie attollatur, (nam alii polum 48. gr. 40'. alii 48. gr. 50'. supra horizontem assurgere existimant) ex quibus si æquatoris altitudinem 41. gr. & 20'. deduxeris, remanebit maxima Solis declinatio 23. gr. & 30'. Contrà evenit, vbi Sol hie me Capricornum ingreditur, tum enim in meridie non amplius quam 17. gr. & 50'. attollitur; adeò ut æstivo solsticio 47. gr. nobis, quam hiberno vicinior existat. Hinc tanta dierum inæqualitas.

Petrus Gassendus altitudinem poli Massiliæ per umbram gnomonis, vel erecti perpendiculari exploravit, viâ quidem paullum difficultiore, sed quâ nulla accurasier haec tenus excogitari potuit. Collegii Massiliensis testo æream laminam circello resecto perforatam, sublatâ regulâ, sic aptavit, ut Solis meridiani radios posset excipere. Iam è foramine perpendicularum dermissum est octo orgyis longum, cui prælonga, & lævigata tabula subjecta fuit, & ad libellam composita, in quâ lineam

Aa ij

meridianam ex ipsis perpendiculi casu, quam potuit exacte, ope versorii cuius declinatio nota fuit, produxit. Fingamus itaque foramen in punto P appositum, ac filum pendulum PO



in 1000. partes distributum, quarum vnamquamque in plures alias dispescere licebat. Tabula libellata fuerit TO; Sole in solstitio æstivo versante exspectatum est, donec illius radii per foramen transmitterentur, atque imaginem suam, quam instar ellipsois solet depingere, sic in tabulam TO projiceret, ut à meridianâ linea in partes æquas divideretur: tum enim judicatum est Solem circulum meridianum obtinere. Iam ex proportione perpendiculi P O cum umbrâ TO, meridiana Solis altitudo, tum cum æstivum solstitium occupat 70. gr. 11'. cognita est, eo quo superiùs dictum est modo. Nunc sublatâ maximâ Solis declinatione 23. gr. 31. ferè minutorum ab illâ Solis altitudine, remanet æquatoris elevatio 46. gr. 40'. quæ à quadrante circuli subducta, exhibet urbis Massiliensis latitudinem 43. gr. 20'. hîc tamen ut in cæteris observationibus magnâ opus fuit cautione.

Prinò enim filum pendulum cum sit ductile, & tensile, non nullum errorem facile potuit inducere, cui incommodo ut occurreret Gassendus regulam ligneam P O adhibuit. 11. Rationem quoque habere oportuit semidiametri Solis 15. fermè minutorum, quam necesse fuit ab inventâ altitudine subducere, ne major quam revera esset haberetur. 111. Penumbra etiam (sic vocamus lumen debile, quod inter ipsum lucis nucleum, & nigrum perpendiculi umbram interjacet) negligenda non fuit, atque ab inventâ Solis altitudine subductam oportuit. Æqualis porro erat semidiametro foraminis P, seu circelli in laminâ æreâ resecti. Non enim filum pendulum centrum foraminis, ut par erat, sed infimam partem attingebat. Taceo ipsum Gassendum nonnihil à vero aberrasse, quod supposuerit acum versoriam quinque gradibus à mundi cardine deflectere, ut ante aliquot annos deprehenderat; sed illa versorii declinatio minimè constans existit, quemadmodum ubique ferè terrarum observatum est, vnde nunc temporis vix duobus gradibus Massilia, & Aquis-Sextiis à mundi polo declinat. Hæc paulò uberioris differui, ut hinc constet quâ arte, quâve diligentiâ Astronomi siderum motus dimetiantur. Nulli quidem auctor fuerim, ut in iis artibus ætatem suam consumat, atque ad minutissima Astronomiæ opera descendat; sed fruamur alio-

rum laboribus, iisque studiis liceat donare quædam velut temporum subsidia.

PROBL. IV. Gradum zodiaci in quo Sol versatur investigare.

LI TERARII penè ista sunt ludi, & trivialis scientia; neque observationibus, neque instrumentis opus est; duo dumtaxat versiculi memoriaz sunt insigendi:

*Livor mente latens insultat honoribus, horret
Grandia gesta, herens insigni laude notatis.*

Duodecim sunt dictiones quas in duodecim menses sic tribue, ut prima Martio, secunda Aprili, & ita porro singulæ singulis mensibus ex ordine respondeant. Nunc vide quota in Alphabeto sit prima cuiusque dictioris litera, totidem ex 30. vnitates detrahe, residuus numerus indicabit diem, quo Sol signum zodiaci ingreditur. Exemplo res fiet illustrior. Mensi Aprili secunda dictio (mente) responder, & prima ejus litera in Alphabeto vndecima est: quare ex 30. auferam 11. restabunt 19. Sol igitur decimo nono die Aprilis signum Tauri ingreditur. Sed quiddam aliud inquirimus, in quo scilicet gradu Sol versetur quolibet mensis cuiusque die. Addendus est ad diem propositionum numerus literâ primâ dictioris designatus: quod si numerus minor 30. prodierit, is gradum qualitatem indicabit. Ut die 12. Aprilis scire volo quem gradum Arietis Sol occupet. Dictioris (mente) prima litera est M, in Alphabeto ordine vnde-cima. Addam igitur 11. numero dierum, nempe 12. summa erit 23. quocirca eo die Sol vigesimum tertium Arietis gradum obtinet. Iam si quæras quem gradum Sol occupet die 28. ejusdem mensis, adde ut prius 11. dierum numero 28. & prodibunt 39. detrahe 30. restabunt 9. his adjice vnitatem. Itaque Sol eo die in decimo gradu Tauri commoratur. Meminisse igitur oportet detrahenda esse 30. quoties abundant, & residuo numero vnitatem esse adjiciendam.

PROBL. V. Longitudinem loci invenire.

NIHI L adeò Mathematicorum ingenia exercuit, atque ipsa longitudinum scientia, quæ cum sit navigationi, & Geographiæ necessaria, non mirum est si summi viri impensam

hujus arcani inquisitioni operam dederint. Quæriimus igitur quâ methodo inveniri possit arcus æquatoris inter duos meridianos interceptus; seu quantò citius in uno loco, v. gr. Byzantii, quam Parisiis Sol oriatur: hæc enim eódein recidunt. Veteres ex Lunæ eclipsibus id inveniri posse crediderunt: nec quidem sine causâ. Cùm enim vbique terrarum eclipsis Lunæ appareat, si horâ sextâ Constantinopoli; Lutetiae verò non nisi horâ octavâ defectionis initium conspiciat: rectè colligemus Byzantium duabus horis, seu 30. gr. magis ad Orientem vertere. Verùm multa occurunt, quæ hoc negotium difficilius reddunt. Obstant in primis Lunæ parallaxes, & refractiones, quas accuratè dignoscere citra magnum laborem non possumus. Deinde vix horam satis præcisè habere contingit: nisi forte stellarum fixarum beneficio. Cùm enim Sol aliquantulum tardius quotidiana conversione ab ortu in occasum, quam stellæ deferatur; adeò ut intra annum spatium integro circulo stellæ celerius progradientur, quantum scilicet Sol in ortum remeat. Hinc sequitur singulis mensibus stellam non errantem duabus horis citius Sole ad Meridianum pervenire: sic una è stellis illustrioribus minoris Vrsæ, circa octavum diem Novembris in circulo meridiano vnâ cum Sole reperitur; nimis rûm circa medianam noctem, & revolutione suâ easdem cum Sole horas metitur. Ergo die 8. Decembris horâ decimâ ad eundem circulum revertetur, & ita deinceps, vnoquoque mense duas horas anticipabit. Quocirca ex altitudine stellarum horam satis præcisè de nocte colligi posse non inficior. Sed aliud quidam est quod nobis negotium facessit; nimis rûm in defectione confinium lucis, & umbræ, vel penumbræ finis ab ipsius umbræ nigroris principio ægrè admodum discerni potest, & raro Astronomi in obsignandis deliquiorum Lunæ momentis, vel durationibus inter se consentiunt. Ante aliquot annos Io. Bap. Morinus Regius Mathematicus, tum cùm viveret mihi amicus, multum desudavit, ut toti orbi persuaderet illud arcana tot retro sacerulis quæsitus à se feliciter detectum fuisse. Verùm ut ingenuè quod res est loquar, multa quidem supposuit, quæ vix obtineri queant. Nempe tabulas Astronomicas, quæ corporum cælestium motibus perfectè concinerent; paralla-

xium, & refractionum accuratissimam scientiam, quod citra vi-
lum errorem siderum loca habeantur. Ut nihil dicam de tem-
poris mensurâ exactissimâ; quæ omnia vix sperare liceat. Mul-
ta quidem exposuit speculatione digna, & Geometricis de-
monstrationibus munita; sed nescio an eadem facilitate, quæ
demonstrantur, ad praxim reduci possint. Fateor tamen optimam
esse inveniendarum longitudinum methodum, quam per
Lunæ & stellarum motus Morinus, & alii exposuere.

Nec demum contempnenda est ratio inveniendæ longitudi-
nis, quam vir eruditus & profundæ meditationis Ioannes Dar-
consius per æstuum maris reciprocum satis dilucidè explicat.
Cùm enim eodem momento Oceanus ubique exæstueret; ob-
servare licet quâ horâ, quo ve Lunæ die in aperto mari æstus
contingat. Suppono longitudinem loci ex quo solvisti esse 17.
gr. atque æstum vñâ horâ & 8. minutis post meridiem accidisse.
Quare Sol tum in primo meridiano, qui per Insulas Fortunatas
transit, versabatur. Nam vñâ horâ, & 8. minutis 17. gr. per-
currit. Iam ignorari non poterit, quem longitudinis gradum
Sol obtineat, cùm secundus recurret æstus, nititum post 12.
horas, & 24. min. atque tabulam si libeat conficies, per quam
facile cognosces quem singulis æstibus Meridianum Sol occu-
pet. Nam si huius Oceanus Sole existente in primo Meridiano,
refluet post sex horas, & duodecim minuta; quo quidem tem-
pore Sol motu diurno 93. gr. longitudinis conficiet. Cùm ite-
rum æstus redibit, Sol 93. gr. itidem promovebitur. Quam-
cumque igitur in plagam, vel ipsâ tempestate delatus fueris, ex
æstu maris reciproco, quem Sol Meridianum obtineat explo-
ratum habebis, nec te fugiet sub quo Meridiano existas.

*Quâ indu-
stria difan-
tin inter duo
series loca
haberi pos-
sunt.*

Iam vbi latitudinem, & longitudinem duorum locorum
cognoveris, facile quæ sit inter ea distantia dignosces; cùm vni
gradui 30. vel circiter leucæ Galicæ respondeant. Verum hæc
ad Geographos pertinent, qui etiam locorum tum longitudi-
ne, tum latitudine perspectis, eorum situs in globo terrestri,
vel Mappâ mundi designant. Prætereo quoque ipsius terræ am-
bitum hinc per facilè definiri posse.

Sumantur enim duo loca, quæ eidem Meridiano subja-
ceant, ac solâ latitudine differant, polus item duobus gradibus
magis

Magis in uno loco, quam in altero attollatur, ita ut 60. leucarum intervallo inter se distent. Sunt vero in circulo terrae maximus 360. gr. quocirca 10800. vel circiter leucas terrae ambitus complectitur. Hujus numeri sexta pars (nempe 1800. leucas) dabit distantiam centri à superficie terrae.

P R O B L. VI. *Globum caelestem, vel spharam in debitâ positione collocare.*

NO n equidem recusabo ad minora illa, atque ab omnibus tractata, sed quæ si negligas non sit majoribus locus, descendere. Inventâ linea Meridianâ globum caelestem sic aptare convenit, ut huic linea circulus Meridianus apprimè respondeat; tum polus tot gradibus supra horizontem globi est attollendus, quanta est loci in quo degis inventa latitudo. Parisiis 48. gr. 40'. vel ut aliis placet 50'. attollitur. Sic globus optimè caelo congruet, atque illius polus si productus concipiatur, in ipsum mundi cardinem nobis conspicuum definet. Iam si gradum in quo Sol versatur, in horizonte ex parte Occasus constitutas, licebit cernere in globo caelesti, quem tenes præ manibus, quæ stellæ Sole occidente orientur, vel occidunt, quæque medium caelum teneant. Hac demum arte ex stellis in tuo globo depictis stellas firmamento infixas discernere expeditum erit; maximè si jam aliquas ante noveris. Sed tamen expectandum erit quousque stellæ radiis solaribus prius oppressæ, tandem emergant, atque ut cum Astronomiis loquar, orientur heliacè. Quæ vero cum Sole super horizontem assurgunt, dicuntur oriri cosinice, sed cum Sole occidente oriuntur, tum ortus earum vocatur Achronicus. Hic notare convenit sidera quæ Sole velocius in ortum promoventur, eadem vesperè oriri heliacè, & manè occidere, quod Solem manè assequantur, vesperè deserant: nam celerius Sole in ortum nituntur. Sic Luna radios Solis manè subit, cum vesperè ex iis emergat. Reliqua vero sidera vesperè occidunt, manè oriuntur; quod Sol velocior ea vesperè assequatur. Sic stellæ fixæ & superiores planetæ vesperè radiis solaribus opprimuntur, atque heliacè solent occumbere.

Nunc quæ sit Solis declinatio, vel ascensio tum recta, tum

*De terra
ambitu.*

*Hoc proble-
mate totius
sphere, vel
globi caelestis
radius conser-
vatur.*

*Quomodo
stelle digno-
se posintur.*

*De ortu &
occasu stel-
larum.*

obliqua, quām facillimē invenies, posito gradu quem Sol occupat sub circulo Meridiano; numerabis gradus Meridiani inter æquatorem, & Solis gradum interceptos; tanta quippe erit Solis declinatio, quæ addita, vel subducta ab altitudine æquatoris, meridianam Solis altitudinem exhibebit. Circuli porro declinationis innumerabiles concipi possunt, qui per vtrumque mundi cardinem, & per omnium siderum loca, quasi rotidem meridiani ducuntur. Circuli verò latitudinis per polos zodiaci transeunt; est quippe latitudo Astri distantia illius ab orbitâ Solis, seu eclipticâ; quemadmodum declinatio est elongatio sideris ab æquatore: longitudo quoque stellæ penes zodiacum acepitur; ita ut stella æquinoctio verno proxima nullâ longitudine donetur: major futura est, quo longius à principio Arietis removetur. Est igitur longitudo arcus zodiaci inter duos latitudinis circulos comprehensus, quorum unus per locum sideris, alter per principium Arietis dicitur. Cognitis verò tum longitudine, tum latitudine Astri, facile in globo cœlesti id depingitur: quemadmodum in terrestri, urbium situs cognitis earum tum longitudine, tum latitudine, aptissimè delineantur. Ascensio autem recta, vel gradus zodiaci, vel aliquid sideris, similis est longitudini loci alicujus, qualē Geographi definiunt. Est enim arcus æquatoris inter duos circulos declinationis, tamquam duos Meridianos comprehensus, quorum primus per sectionem æquinoctialem, seu principium Arietis; alter per gradum zodiaci, vel locum sideris ducitur. Ut semel finiam, quod est in globo terræstri latitudo, idem planè in cœlesti declinatio existit, distantia nimirum ab æquatore; quod ibi est longitudo, hic ascensionis rectæ nomen usurpat. Quamobrem qui sphæram rectam obtinent, iis Sol, & omnia sidera rectè ascendunt: sed in obliquâ sphærâ variatur ascensio, eoque est obliquior, quo p̄lus magis elevatur. Sic in sphæra recta gradus duodecimus Arietis cum undecimo æquatoris gradu ascendit; verū vbi polus 49. gr. elevatur, vix sextus gradus æquatoris oīum duodecimo Arietis super horizontem emergit. Cum Sol versatur in 6. signis, quæ ascendentia dicuntur: nempe cum à principio Capricorni usque ad principium Cancri progreditur, tum ascensiones minuantur,

*Quid sit de-
clinatio,
quid latitu-
do, vel lon-
gitudo stel-
lae.*

*Quid ascen-
sio recta,
quid obli-
quia.*

In reliquis eadem proportione crescent. Lutetiae v. gr. Parisiorum primus gradus Cancri ascendit cum 61. gr. æquatoris: nempe quatuor ferè horarum intervallo. In sphærâ autem rectâ cum 90. gr. æquinoctialis ascendit. Quare utriusque differentia est ferè 30. gr. seu duarum horarum: ergo cùm Sol principium Cancri subit, citius nobis oritur duabus ferè horis, quām iis qui sphærâ rectam obtinent: cùmque eadem proportione tardius descendat, liquet tum diem artificialem nobis longiorem esse quatuor fermè horis, quām illis qui sub aquatore degunt. Differentia igitur inter rectam, & obliquam ascensionem, dierum efficit inæqualitatem; adeò vt si illa differentia sit 15. graduum, diem artificialem duarum horarum intervallo majorem, vel minorem 12. horis exhibeat. Imò plerumque hæc ascensionum obliquitas efficit, vt planetæ diutius, vel citius quām par sit è radiis solaribus emergant. Quædam Gaslendus exempla profert contemplatione digna. Scripsit olim Cardanus Regi Christianissimo Iovem perduos menses delitusse, adeò vt sibi copiam non faceret; idque præter communem naturæ ordinem evenisse falso credidit. Tum enim Iupiter in signis ascendentibus vnâ cum Sole versabatur, & propter obliquitatem ascensionis diutius horizonti detentus hæsit, ac luce creperâ obductus non apparuit. Sic quidam Philosophi anno 1615. cùm viderent Martem à Sole distantem 40. gr. nondum tamen comparere, illi epicyclum addiderunt, quo supra Iovem efferretur. Id verò tum accidit, quod Mars Apogæus in signis descendentibus (sic vocant sex signa à principio Cancri ad principium Capricorni numerata) moraretur. Vnde idem ex parte Occasus, quod Iupiter tempore Cardani ex parte Orientis præstítit. Nimirum oblique descendens diutius horizonti adhæsit, nec facilè è solaribus radiis potuit expediti. Venus verò tum temporis sub aspectum venit, quamvis 20. Augusti Mars cum illâ congressurus erat: nempe quod Venus præ suâ magnitudine sese videndam exhibuerit; Mars non item, qui Apogæus existens visus aciem facile clusit. Anno 1634. cùm Venus multum in cornua extenuata vix cerneretur; ita vt illam amplius visam iri spes nulla foret: altero tamen die ante congressum cum Sole, hoc est 17. Februarii, apparuit quasi

*Quare Iu-
piter ali-
quando per
duos menses
delitacunt.*

Bb ij

specie aucta; quod evenit non modò propter ascensionis obliquitatem; sed etiam propter latitudinem 8. vel 9. gr. quâ in Boream declinabat. Ascensionum porro & declinationum tabulas digerunt Astronomi hoc ferè modo.


Canon declinationum & Ascensionum.			
Zod.	Declinatio	Recta Ascensio.	
Gr.	Gr. Scrup.	Gr. Scrup.	
1	0 24	0 55	
2	0 48	1 50	
3	1 12	2 45	
4	1 36	3 40	
5	2 0	4 35	
6	2 23	5 30	
12	4 22	11 0	
18	7 4	16 34	
24	9 19	22 10	
30	11 29	27 54	

Eâdem arte ascensionum obliquarum ad quamcumque Poli altitudinem tabulas concinnant, in quibus illud notatum dignum est, quod circa æquinoctiorum puncta declinatio Solis citissimè crescit, aut minuitur; non item circa solsticia, vbi declinatio in eodem ferè statu diu per-

manet. Sic primo gradui Arietis 24'. declinationis respondent; secundo gradui 48'. cùm tamen ultimus gradus Geminorum vix uno minuto magis declinet ab æquatore, quâ 29. gradus ejusdem signi. Quod in causâ est, cur circa solsticia altitudo Solis Meridiana diutius eadem perseveret, nec tum temporis dierum sensibilis differentia appareat. Contrà evenit vbi Sol prope æquinoctia versatur; tum enim dies citissimè crescunt, vel minuuntur. Sed quâ arte, quâve industriâ Astronomi tabulas tum ascensionum, tum declinationum adeò accuratas fabricare potuerunt? Id scilicet ut cætera beneficio Trigonometriæ consecuti sunt. Nam in superiori schemate circulus C E C meridianum nobis exhibeat, vt T D partem æquatoris, T B portionem, seu quadrantem eclipticæ, punctum T principium Arietis, Solem concipiamus in P, ex. gr. in duodecimo gradu Tauri: quæriimus quanta sit ejus declinatio PO, quanta sit ascensio recta TO. Nam concipiimus PO, tamquam portionem circuli declinationis, qui eum transeat per polos æquatoris, illum ad angulos rectos dirimit in pun-

LIBER SECUNDVS. 197

Quo circia in triangulo TPO noti sunt duo anguli, O rectus, & T , quem mensurat maxima Solis declinatio DB jam cognita $23.$ gr. $30'$. datur etiam latus TP longitudo Solis,



seu distantia illius à principio Arietis , quam supponimus esse 42. gr. ergo reliqua facilè habebuntur, nimirum PO Solis declinatio , quæ futura est 15. gr. 27'. & TO ascensio recta, quæ erit 39. gr. 35'. Illud addam quòd beneficio tabularum, de quibus jam inulta diximus, quacumque horâ facilè cognoscitur quis gradus zodiaci super horizontem emergat, quis deprimitur, vel occidat, quis demum sub meridiano existat: res brevissimo pateat exemplo. Cùm Sol duodecimum gradum Tauri obtinet, scire juvat quis zodiaci gradus horizontem tangat, horâ post meridiem secundâ. Ex tabulâ ascensionum mihi liquet duodecimum gradum Tauri ascendere in spharâ rectâ cum 39. gr. 35'. his addo 30. gr. quòd horâ post meridiem secundâ, quis gradus meridianum obtineat inquiram: tantum verò spatii nempe 30. gr. Sol duabus horis percurrit. Summa efficitur 69. gr. 35'. itaque tabulam ascensionum rectarum adibo, cum hoc numero 69. gr. 35'. cui è regione responderet undecimus gradus Geminorum, qui tum temporis Meridianum occupat. Iam scire volo quis gradus eclipticæ tum oriatur, vbi polus 54. gr. attollitur, vt Fruensburgi (nam tabulis Copernici nunc utimur.) Igitur prædicto numero 69. gr. 35'. quanta est ascensio recta jam reperta, addo 90. gr. seu quadrantem circuli. Prodibit summa 159. gr. 35'. cui numero in tabulâ ascensionum obliquarum è regione responderet gradus 16. Scorpionis, qui quidem tum super horizontem emergit, eumque Astrologi conjecturales horoscopum vocitant. Iam si velim omnia quæ ad longitudinum, latitudinum, & ascensionum, non eclipticæ modò, sed etiam fixarum scientiam pertinent, vt par est, exponere, in multam noctem protrahetur oratio. Id unum tamen non omissam, quâ scilicet arte fixarum loca designare, atque earum ab æquinoctio distantias dimitteri potuerint, cùm veteres, tum recentiores Astronomi. Et quidem si stellæ unâ cum Sole sub obtutum caderent, earum à Sole distantias venari in proclivi foret; cùmque Solis locus numquam ignoretur, non utique nos lateret quantum fixæ ab æquinoctiis, vel solsticiis recederent. Verum stellæ solaribus radiis obducuntur, nec de die videri possunt. Itaque Menelaüs Geometra, Ptolemyus, & alii veteres stellarum loca be-

De horoscopo.

De locis fixarum obliquandis.

neficio Lunæ assecuti sunt. Vnicam Ptolemæi observationem referam, cuius meminit libro septimo Almagesti. Anno secundo Antonini Pii Imperatoris, seu anno salutis 139. die Februarii 23. cùm Sol in tertio gradu & tribus minutis Piscium versaretur, quintâ post meridiem horâ, reperit Lunæ à Sole distantiam 92. gr. & octo ferè minutorum, adeò ut tum Luna obtineret gradum 5. 10'. Geminorum. Post medium horam, Sole jam sub horizonte depresso, stella quæ est in pectore Leonis, quæque Regulus vocatur, coepit apparere, cuius à Lunâ distantiam invenit gradum 57. 6'. & quia tum temporis jam Luna quadrante in vnius gradus conficerat: nam spatio vnius horæ dimidium gradum peragrat. Colligimus locum stellæ tum extitisse in 11. gr. 30'. Leonis, atque ab æstivo solsticio 32. gr. 30'. remotam fuisse. Iam vbi situm illius stellæ exploratum habuit, facile fuit reliquis sua loca designare, neque amplius cum Sole, vel Lunâ eas conferre necesse erat; sed ad stellam cuius situm priùs compererat, cæteras comparavit, ut earum tum longitudinem, tum latitudinem scrutaretur. Forsitan majori compendio ex lunari eclipsi fixarum loca aliquis exquireret; maximè si Luna circa meridianum existens laboret: tum enim immunis est ab omni refractione, nec tantam parallaxim sustinet. Quæ duo Ptolemæi, & veterum observationes suspectas reddunt, refractions in primis, quarum nullam habuerent rationem. Locus verò Lunæ ignorari non potest, si acriter studio medium defectus observatur; tum enim Soli directè opponitur. Nec difficile erit distantiam stellæ à Lunâ invenire. Sed tamen quia Luna quocumque in loco existat, magnam subit parallaxim, nec facile est medium deliquii tempus adeò religiosè observare: idcirco Tycho, & Keplerus non Lunam, sed Venerem elegerunt, cuius distantiam à Sole exactam sumiserent; tum post Solis occasum fixæ alicujus à Venere distantiam, non Astrolabio Ptolemæi, sed instrumentis vastæ magnitudinis accuratissimè deprehenderunt. Minimam enim parallaxim Venus subit, nec tantum spatiū intra horam, quantum Luna conficit. Quare major fides Tychoni, Kepleri, Galileo, & aliis recentioribus, quam Ptolemaeo, vel Copernico est adhibenda.


PROBL. VII. Horologium solare describere.

*Perspectiva
hic de prin-
cipio Gno-
monices at-
teximus.
quod res sic
ritia. & v-
biique obvia.*

QVANDO QVIDEM circa res tenues adhuc moramur, non verebor pauca de principiis Gnomonices attexere. **A**equator, ut jam diximus, est æquabilis, & constans temporis mensura; atque illius 15. gr. spatio vnius horæ decurrent. Concipimus verò duodecim circulos tamquam totidem meridianos, qui per vtrumque mundi cardinem ducti, æquatorem atque adeo toram spharam in 24. partes æquales dirimunt. Quod si globum in 24. partes per istos circulos, qui horarii dicuntur, distributum in aptâ positione constitutas; profectò hic horologii solaris loco futurus est. Nam axis illius, mundi axem exhibet. Quocirca axis istius globuli productus horas suo apice indicabit. Quod si horologium æquinoctiale, seu æquatori parallelum conficiendum erit. Stylus in medio erigetur ad perpendicularum: axis quippe mundi, plano æquatoris ad pares insit angulos. Duplex verò ejusmodi horologium delineari solet, quorum vnum superius est, alterum inferius; vt veroque semestri horas exhibeant. Mitto de hujus horologii inclinatione dicere, cum ipsi æquatori parallelum supponatur; vnde in 24. partes æquales dividitur, quod circuli horarii æquatorem in partes æquas dispescant, quia per illius transeunt polos. Horizontem verò non in partes æquas partiuntur; sed minores sunt arcus, quo meridiano sunt propiores. Neque etiam stylus in centro horizontalis horologii erigitur ad perpendicularum; sed eamdem habet cum piano horizontali inclinationem, quam axis mundi cum ipso horizonte; ac Parisiis angulum 48. gr. & 45'. efficit. Verum in iis diutius non morabor, quod vñ facilius quam doctrinâ percipientur. Illius dumtaxat scientiæ, quam Sciorericam, vel Gnomonicen vocant principia delibare placuit. Nunc aliò pergamus.

PROBL. VIII. Excentricitatem Solis, & locum Apogei invire.

IS TVD sanè problema plus habet in recessu, quam in fronte promittit: hinc enim tota Solis penderet theoria. Resumenda verò figura est in planetarum theoricis toties à nobis usur-



vsuperata. Sit orbita Solis DBD, cujus centrum M, terræ medium A, excentricitas erit MA, locus apogæi K; utrumque inquirimus. Hac ferè methodo procedit Ptolemaeus. Ab æquinoctio verno I, ad æstivum solstitium Q, dies numerantur 94. cum semisse. Cum autem Sol æquabili motu in sua orbitâ feratur, ac singulis diebus 59'. cum 8'. conficiat; necesse est ut arcus IQ 93. gr. 9'. complectatur. Iam ab æstivo solsticio Q ad autumnale æquinoctium T, dies recententur 92. cum semisse. Quocirca arcus QT erit 91. gr. & 11'. cumque IQT arcus sit semicirculo major, ibi erit centrum excentrici Solis M. Sed major quoque est IQ, quam QT: ergo necesse est ut in arcu IQ Solis apogæum reperiatur, nimilum in K. Iam ICT est 184. gr. 20'. illius igitur dimidium I CT 92. gr. & 10'. futurum est; quare sublato circuli quadrante DC, re-

Cc

manebit arcus DI 2. gr. & 10'. cuius sinus est MS. simili prorsus modo obtinebis arcum CQ, atque illius sinum SA. Nam dato arcu, per tabulas sinus invénitur. Ergo in triangulo AMS, sive æquali AMO, nota sunt duo latera MS, & AS, cum angulo recto S. Hinc reliqua facilè innotescer, & obtinebimus excentricitatem MA, quæ erit ferè 24. pars radii MK. notus quoque erit angulus AMS, cui æquatur ad verticem constitutus CMK, 24. fermè graduum, quanto scilicet intervallo Ptolemæi tempore Apogæum distabat à solsticio: adeò ut tum foret in 6. gradu Geminorum. Tempore Albatagnii in 23. gradu ejusdem signi versabatur. Copernicus verò ab æquinoctio verno ad autumnale dies numerat 186. 21'. atque Solis excentricitatem multum fuisse imminutam opinatur. Sed inter observandum error aliquot minutorum facilè potuit obrepere. Apogæum Solis nunc 7. gradum Cancri obtinet. Singulis annis, si Gassendo credimus dodrante vnius minuti progreditur in consequentia. Excentricitas verò AM est pars 28. radii MK. inventâ semel excentricitate, differentia medii, seu æquabilis motus à vero, sive apparente facilè colligitur. Ponamus Solem in puncto I versari recta, MI producta medium Solis motum in zodiaco designabit; nobis verò in puncto A existentibus Sol per rectam AI superior videbitur. Hinc recta AI verum, seu apparentem Solis motum exprimit. Angulus AIM vtriusque motus differentia, æquatio, vel prosthaphæresis vocatur. Medium Solis motum obtinere in procli- vi est cùm sit æquabilis, & ubique sui similis. Hinc angulus IMK distantia Solis ab apogæo, non potest ignorari: notus adeò erit angulusIMA: nam duo anguli ad M sunt æquales duobus rectis, seu 180. gr. ille est cognitus v. gr. 70. gr. vnde angulusIMA residuus erit 110. gr. quare in triangulo AMI nota sunt duo latera AM, & MI, seu proportio vnius ad alterum: scimus enim AM esse vigesimam octavam partem radii MI. Notus etiam est angulus IMK: dantur ergo & reliqua, scilicet angulus IAK, qui verum Solis ab apogæo motum, seu Anomaliam dimetitur; angulus quoque AIM innotescer, qui est æquatio quæsita. Hinc Astronomi duas tabulas dixerunt; unam medii motus, æquationum alteram; ut

cùm libuerit vera tum Solis , tum aliorum siderum loca liceat invenire. Iam vt excentricitate cognitâ , per triangulorum analysim omnes dignoscuntur æquationes ; sic vicissim maximâ æquatione datâ , invenitur excentricitas. Nam in triangulo A IM , si noveris angulum I , vñâ cum angulo M , qui medium motum metitur , non ignorabis proportionem lateris IM ad excentricitatem M A. Hocque modo Astronomi omnium præter Solem planetarum excentricitates investigant.

PROBL. IX. *Vera siderum loca ex tabulis Astronomicis eruere.*

HO c problemate Astronomicæ præxeos pars non ignobilis continetur. Sed plerique omnes hujus scientiæ principes infirmitatem dissentium onerant obscuritate præceptorum ; & quamvis mihi res sit cum viris eruditissimis , nec mihi necesse sit vires temperare ; quām potero tamen dilucidè rem totam oculis subjiciam. Tabulæ Astronomicæ , ut jam subinde diximus , in duplii sunt differentiâ : aliæ medios planetarum motus ; aliæ ipsas æquationes exhibent. Exemplo sit Luna , cujus multiplices motus indagare difficile est. Primum , majoris epicycli centrum duodecim ferè gradibus 11° 26' . à Sole dimovetur : ita vt vertente anno Ægyptio post integrum circulum peragratum , 129. gr. 37' . decurrat. Hinc primo loco tabula hoc titulo disponitur.

Motus Lunæ in annis ex sexag. an.			
Anni	Sex.	Gr.	Min. Sec.
I	2	9	37 22
2	4	19	14 45
3	0	28	52 7
4	2	38	29 30
5	4	48	6 53
6	0	57	44 15
7	3	7	21 38
8	5	8	16 59
9	1	26	36 23
10	3	36	13 46
11	5	45	51 8
12	1	55	28 31

Radix seu Epocha Alex.			Epocha Christi.		
Sex.	Gr.	Min.	Sex.	Grad.	Min.
5	10	44	3	29	58

Itaque primo anno Luna orbe suo decurso 2. sexagenas graduum 9. gr. 37' à Sole discedit. Alia quoque tabula diebus & sexagenis dierum deputatur.

Motus Luna in diebus, & sexagenis dierum.					
Dies	Sex.	Grad.	Min.	Sec.	
1	0	12	11	26	
2	0	24	22	53	
3	0	36	34	20	
4	0	48	45	46	
5	1	0	57	13	
6	1	13	8	40	

Cum verò hunc Lunæ motum æquabilem perturbet motus minoris epicycli in majori , huic motui qui Anomalia vocatur aliam quoque tabulam destinant.

Motus Anomalie lunaris in annis, & sexagenis annorum.					
Anni	Sex.	Grad.	Min.	Sec.	
1	1	20	43	9	
2	2	57	26	18	
3	4	26	9	27	
4	5	54	52	36	
5	1	23	35	45	
6	2	52	18	54	

Epocha Christi.		
Sex.	Grad.	Min.
3	27	7

Huic subnectunt alteram pro diebus , & dierum sexagenis. Vt nihil dicam de motu medio latitudinis , cuius tabula vtilis est

ad calculum eclipseon; hujus tabulae beneficio motum Lunæ à capite Draconis dignoscimus, qui nonnihil diversus est à motu medio corporis lunaris, quod nodus ille, seu caput Draconis nonnihil in præcedentia promoteatur. Hæc quidem de mediis seu æquabilibus Lunæ motibus.

Quocirca ubi quem Luna locum obtineat scire voles: primum medius Lunæ à Sole motus, tum motus Anomalie tibi inquirendus est; & quo res sit lucidior, vtamur exemplo ex tabulis Copernici deprompto. Hipparchus anno ab obitu Alexandri 197. die 17. mensis Pauni, qui est decimus Ægyptiorum, horâ nonâ, & triente, Lunæ à Solis distantiam 48. gr. & 6'. invenit; adeò vt Luna foret in vigesimo octavo gradu 37'. Leonis: tum enim Sol decimum gradum 40'. Cancri obtinebat. Itaque sunt ab obitu Alexandri anni Ægyptii completi 196. dies 286. horæ 3. 20. min. hoc est, annorum sexagenæ 3. anni 16. dierum sexagenæ 4. dies 46. scrupula diei 8. secunda 20. Primo igitur loco radices seu epochæ collocantur; in ipso obitu Alexandri per tabulas invenimus Lunam à Sole sexagenis graduum quinque, & decem gradibus, 44'. recessisse. Sic motus Anomalie radicem, seu epocham notabis. Tum adibis tabulam cum 3. sexag. annorum qui ab obitu Alexandri usque ad Hipparchi observationem effluxerunt. Invenies 28 infra graduum notam collocata; itidem 52. minutis; & 7. secundis subiecta. Scribes vero 28. sexag. graduum, & loco 52. minutorum accipies 52. gradus, vt vice secundorum 7. totidem minuta sumes, quod hic non anni, sed sexagenæ annorum querantur, atque adeò loco graduum, sexagenas graduum, & vice minutorum, gradus ipsos usurpare convenit. Tertiò, cum 16. annis adi tabulam, atque occurrent 4. sexagenæ, & 33. gradus, vt minuta præteream. Supersunt dies 286. seu quatuor sexagenæ, & præterea 46. dies. Quatuor sexagenis in tabula dierum respondent 48. sexagenæ graduum, & 45. gr. omissis scrupulis. Tandem diebus 46. respondent 9. sexag. & 20. gr. idem de horis faciendum. Omnes hi numeri in unam summam colliguntur; atque ubi 360. vel sex graduum sexagenæ abundant, expungendi sunt. Quare si bene calculum posueris, prodibit summa sexag. o. id est nulla, 45. gr. 4'. 40''. hoc est tum Luna à Sole 45. gr.

4. min. motu suo medio dissidebat. Non dissimili arte motu
Anomaliae, seu Lunæ in majori epicyclo locum obtinebis, se-
xag. 5. 33. gr. 2'.

Radix.	Motus Luna.			Anomalia Luna.		
	Sex.	Gr.	Min. Sec.	Sex.	Gr.	Min. Sec.
3.sex.ann.	5.	10.	44. 0.	1.	25.	41. 0.
16. ann.	28.	52.	7. 49.	26.	9.	27. 21.
4. sex. die.	4.	33.	58. 2.	5.	39.	30. 26.
46. dies.	48.	45.	46. 46.	52.	15.	35. 46.
Scrup. 8.	9.	20.	46. 28.	10.	0.	59. 21.
Sec. 20.			1. 37. 31.			1. 44. 31.
			4. 4.			4. 21.
Summa	1	0.	45. 4.	40.	5.	33. 2. 46.

Iam nihil necesse est vos monere, plerosque Astronomos annis Aegyptiis vti, adeò ut anni Juliani sint ad Aegyptios reducendi. Videndum quoque est in tabulis longitudinum, quæ vbivis atque in omnibus libris Astronomicis reperiuntur, quo longitudinis gradu, seu quo meridiano tabulæ fuerint compositæ. Nam si sub eodem degas meridiano, nihil addere debes vel subtrahere; sed si locus in quo versaris 15. gradibus magis ad Occidentem, vel Orientem vergat, tum unam horam adiicere vel subducere oportet, eadem proportione in cæteris servatâ, quod tempus, & Lunæ locum præcisum obtineas.

Hactenus de mediis motibus tum Lunæ, tum reliquorum planetarum indagandis, satis supérque dictum est: sequitur ut artem quâ apprens, seu verus Lunæ locus exploratus haberi possit, breviter, & apertè proponamus. Neque res adeò est difficilis vt plerique putant. Invenisti Lunæ medianam à Sole distanciam 45.gr. & 5. ferè minutorum: cum hoc numero duplicato, nempe 90. gr. & 10'. ingredere tabulam prosthaphærecon, quæ hunc præ se fert titulum.

		Tabula prosthaphæsis lunarium.	
Grad.		Epicyc. minoris prosth.	Epicyc. majoris prosth.
3	357	0	51
6	354	1	40
9	351	2	28
12	348	3	15
15	345	4	1
18	342	4	47
21	339	5	31
24	336	6	13
27	333	6	54
30	330	7	34
33	327	8	10
36	324	8	44
		Gr. Scrup.	Gr. Scrup.

Primo loco occurret prosthaphæsis minoris epicycli graduum 12. min. 12. hæc addenda est Anomaliz prius repertæ sex. 5. gr. 33. min. 2. & dabit æquatam Anomaliam sex. 5. gr. 45. min. 15. seu grad. 345. min. 15. cum istâ Anomalij coæquatâ adiæcandem tabulam, vt majoris epicycli prosthaphæsim consequaris. Hæc erit unius gradus, & minutorum decem, quam addere oportet medio Lunæ motui. Docent verò tabulæ quando prosthaphæses sint addendæ, vel subducendæ à medio motu.


Quocirca rationibus omnibus subductis, Luna ab Hipparcho observata distabat à Sole 46. gr. & aliquot minutis. Tum verò Sol ab æquinoctio verno recesserat sex. 1. gradus 42. min. 3. Igitur Luna ab eodem æquinoctio jam promota erat sex. 2. gr. 28. ferè cum semisse, ac vigesimum octavum gradum Leonis obsidebat.

Cùm autem novilunium inquiritur solâ majoris epicycli prosthaphæsi opus est, iis de rationibus quæ superiùs allatæ sunt. Nec difficile est media quæque novilunia invenire. Ponamus enim primo die mensis Septembri anni 1624. motum Lunæ à Sole compertum fuisse 360. gr. Igitur primo die illius mensis, circa meridiem (siquidem Astronomi à meridie ipsius diei ducunt exordium) factum est novilunium. Quod si inventus sit motus medius sex. 5. gr. 46. 26. min. hic numerus ex toto circulo 360. gr. subducatur, reliqui erunt 13. gr. 34'. Luna verò dietim 12. ferè gradibus, & 11'. à Sole elongatur. Ergo die secundo mensis Septembri, circa horam à meridie secundam cum semisse, futura est media Solis & Lunæ syzygia, vel conjunctio. His adde dies 14. horas 18. min. 22. & tempus ple-

nilunii proximi obtinebis; quod si idem dierum spatium pergas adjicere, facilè tabulam concinnabis, quæ in multos annos novilunia, ac plenilunia declarabit. Nunc de eclipsibus dicam, sed quædam de parallaxum doctrinâ sunt antè præmunienda.

PROBL. X. Parallaxes & siderum à terrâ distantias scrutari.

QUOD si terra nihil quam punctum foret cum orbe lunari composita, haud dubiè Lunam in proprio loco cernemus, ac si in ipso terræ centro versaremur. Est quippe parallaxis differentia veri loci ab apparente. Recta linea à centro mundi per astrum deducta, verum illius designat locum; visum seu apparentem exhibit linea à superficie terræ in qua sumus per astrum ad zodiacum usque directa. Si quod sit discrimen inter verum, & apparentem locum sideris, id omne ex terræ magnitudine proficiuntur. Quare in stellis fixis nulla omnino est parallaxis; in Saturno & Iove ferè est insensibilis; major in Marte, Sole, Venere, & Mercurio; in Lunâ certum est maxima, quod sit terræ finitima. Verum illud omnino est mirabile,



quod

quod Astronomi ex parallaxeon cognitione, planetarum citeriorum à terrâ distantiam dimetiantur :

*Admovere oculis distantia sidera nostris,
et theraque ingenio supposuere suo.*

Digna adeò res est cui propriam destinemus figuram. Sit punctum A mundi centrum, nosque in punto G constituti Lunam F sub zodiaci puncto, vel stellâ D intueamur : linea igitur GF D locum Lunæ à nobis visum demonstrat, ut recta AF B verum illius locum indicat, nempe punctum B; utriusque loci differentia B D parallaxis vocatur.

Nunc palam est Lunæ F parallaxim BD majorem esse parallaxi Solis longè remotioris, atque in punto E constituti, quæ sit ex. gr. DC: nam angulus F, quem metitur arcus DB, major est angulo E, quem mensurat arcus DC: idque jam supra à nobis demonstratum fuit.

i i. Quo astrum vicinus est horizonti, eo majorem subit parallaxim; adeò ut nulla sit, cum vertici nostro imminet; maxima, cum horizontem stringit; idque ex figuræ inspectione manifestè colligitur; cum enim astrum ad verticem pervenit, tum una atque eadem est veri, & visi loci linea, nulla adeò est parallaxis.

i i i. Parallaxis locum astri semper deprimit. Hinc visus Lunæ locus est in D, verus in B, ab horizonte remotior. Cumque Luna numquam nostrum attingat verticem, sed versus Austrum semper declinet, visus Lunæ locus semper est Australior vero.

i v. Cognito viso sideris loco, seu distantia illius à nostro vertice, quod per observationes facile consequimur; dato etiam per exquisitas tabulas vero ejusdem Astri loco, seu angulo FAG, qui verum locum, cum FGA, qui visum demonstrat: non poterit ignorari parallaxis GFA, seu arcus DB. Siquidem tres anguli ejusdem trianguli æquantur duobus rectis. Iam ne aliquis vobis obstrepat scrupulus, supponimus zodiacum HBK, non à terrâ modò, sed etiam ab orbe Lunæ, vel Solis, immenso distare intervallo. Quare ne id vos offendat, quod diximus arcum DB mensurare angulum F, quasi punctum F ipsius mundi medium obtineat, nec sensibiliter à punto A differat.

D d

v. Cognitâ parallaxi distantiam sideris à terrâ consequemur. Siquidem in triangulo F A G dantur omnes anguli: ergo proportio inter latera cognoscitur; & quoties latus A F, seu distantia Lunæ à centro terræ contineat latus A G, sive telluris semidiametrum, facilè innovescer. Quod si angulus F sit $53'$. cum semisse, distantia FA 64. semidiametros terræ complectetur. Angulus verò E ponatur trium minutorum; hinc colligetur distantia Solis A E 1210. semid. terræ.


vi. Parallaxis efficit ut citius, veltardiùs Solis, & Lunæ congressum, quām contingat cernamus. Quando in nonagesimo zodiaci gradu, seu medio inter ortum, & occasum intervallo conjunguntur, tum coitus vetus in eundem locum, ac tempus cum viso, vel apparente incidit: sed ubi inter ortum & nonagesimum gradum coēunt, tum apprens congressus verum præcedit, quia parallaxis locum Lunæ deprimit; sed in altero quadrante versus occasum, contrà evenit, & vera conjunctio apparentem antecedit: idque ex figuræ contemplatione satis apertum est, atque in solari eclipsi magnum habet momentum, vt mox dicturi sumus.

PROBL. II. *Eclipses Lunæ, & Solis prænuntiare.*

MAGNVS hic locus, arque à totâ Astronomorum familiâ uberrimè tractatus, de quo quidem dicam non omnia, quæ ab iis fuscè differuntur, sed quæ utiliora nobis videbuntur. Iam ostendimus quā arte medias syzygias, vel etiam oppositiones consequi liceat. Quotiescumque Luna in plenilunio non amplius quā 15. gr. & 12'. ab altero nodorum, quos caput, vel caudam Draconis vocant, recedit, toties umbram telluris delibat, & deflectionem patitur, eo majorem, quo nodo vicinior est. Motus verò ille latitudinis, seu distantia Lunæ à nodis per tabulas facillimè invenitur. Lunæ porro diameter in 12. partes æquales distributa intelligitur, quas digitos vocant. Cum pars Lunæ dimidia, umbræ telluris immergitur, tum sex digitorum definitur eclipsis. Iam vt lunare deliquium possimus delineare, (quod in hac arte caput est) notatum oportet, latitudinem Lunæ ab eclipticâ impedit, quominus singulis laboreret mensibus. Cum igitur latitudo illius minor est umbræ terre-

stris, & Lunæ semidiametris in unam summam collectis; necesse est ut corpus lunare terræ umbram subeat. Diameter vero Lunæ est dimidii ferè gradus, ad quam diameter umbræ (si Ptolemæo credimus) fermè se habet ut 13. ad 5. quocumque Luna loco existat, eadem manet proportio. Nam si terræ propiore est, major quidem illius diameter apparebit: sed terrestris umbræ circulus eadem quoque ratione crescat. Quo longius à terrâ recedit Luna, eo minor cernitur; sed terræ umbra, quæ sensim in mucronem desinit, eadem proportione coarctatur. Cùm Sol existit in apogeo, minorem terræ partem irradiat, longiorem verò, & crassioram umbram projicit, quam ubi versatur in perigeo.


His ita constitutis si eclipsim centralem, ut loquuntur, & plenam, quæ cum accidit, cùm in altero ex nodis luna reperiatur,



Dd ij

delineare velis, qualem describit Erasmus Reinholdus accidisse anno 1555. die 4. Iunii. Tum semidiameter apparenſ Lunæ erat 16'. & 4''. semidiameter vmbrae 41'. & 44'. aggregatum ex vtraque 57'. & 48'. vera latitudo Lunæ Borealis vix erat vnius minuti, adeo ut negligi possit. Centro M describatur circulus D C D, vel potius ex superiori ſchemate repeta-
Eclipses delineare.
 tur, cuius radius M D concipiatur 58. ferè partium, quantum ſcilicet eſt aggregatum ex vmbrae terrefris, & Lunæ H F H ſemidiameſtris. Nam centro D, intervallo D F, 16. partium deſcribitur circulus H F H, qui corpus lunare exhibet. Sic centro M intervallo M F, 42. partium, ſeu minutorum, circulus deſcribi intelligitur, qui terræ vmbrae repræſentat. Hanc Luna contingit in F, tumque principium eſt defectionis; atque vbi punctum H pervenerit ad F, tum Luna tota vmbra immergeatur. Tempus illud inter principium eclipsēos, & totalem obſcurationem, quod tempus incidentiæ vocant, hīc erit vnius horæ, & 3. min. cūm Luna ſpatio vnius horæ citius quā Sol in Orientem dimidio gradu, quanta fere eſt iphius Lunæ diameter H F promoveatur. Quod si Luna in totali obſcuratione nihil moraretur, vix defectione eſſet ultra duas horas dura-
 tura, tumque illius 12. digiti definirentur. Sed in hac hypo-
 theſi antequam centrum Lunæ D ad punctum M perveniat
 (quod tempus appellant dimidiā moram) 50. vnius horæ
 minuta inſumit; quia tantumdem ferè temporis exigit, ut per-
 currat reliquum ſemidiameſtri vmbrae, quod ferme 26. minuta
 contineat. Quare tum temporis Luna circiter quatuor horas la-
 boravit, ac defectus fuit 21. digitorum, & paulo amplius. Po-
 teris si lubeat, quinque Lunas delineare. Centrum primæ erit
 in D, vbi j. un vmbra telluris attinget; ſecundæ medium erit
 inter F, & M, vbi tota deficit; tertia in M, & ita deinceps.

Q:ō verò res tota ſit illuſtrior, adjiciamus exemplum par-
 ticularis defectus, vbi Luna interventu terra tota quidem ob-
 ſcuratur, ſed non moratur in illâ caligine. Exempli ſit eclipsis
 anni 1563. die quinto Iulii, cūm Luna eſſet ferè perigaea. Illius
 ſemidiameſter fuit 17'. & 44''. ſemid. vmbrae 46'. 5''. aggrega-
 tum ex vtraque 63'. 49''. centro B describatur circulus A E A,
 cuius radius B A ſit 64. partium quantum ferè contineat con-



flatum ex vtraque Lunæ & vmbrae semid. sit quoque A principium defectionis, F medium, E finis: BF sit latitudo Lunæ 29'. ita vt GBH viam Solis, AFE Lunæ semitam demonstret. Quamobrem in trigono A BF nota sunt duo latera A B, & BF, illud 64. hoc 29. partium, cum angulo F recto: igitur reliquum latus A F innotescet 57 partium: hoc est tempus à principio eclipses usque ad medium; quod integrum horam, cum 43'. complectitur: tanto enim tempore Luna celerius quam Sol 57'. conficit. Iam vbi Luna punctum F attigit, tota deficit; quod latitudo BF detracta ex BP aggregato ex semid. Lunæ, & vmbrae, relinquat 35. qualis est ferè diameter Lunæ apprens. Nam, vt semel finiam, si aggregatum illud de quo jam sepe loquimur, aequaliter sit latitudini Lunæ, tum corpus lunare vmbram quidem telluris leviter attinget, sed nullâ sui parte

Dd iii

sensibili obscurabitur; & quantò minor erit latitudo, tantò deliquum majus futurum est, cuius adeò magnitudo innoscet, subductâ latitudine ab utriusque semidiametri, tum umbrae cum Lunæ summâ.

Ponamus latitudinem BF 59'. vt in eclipsi anni 1542. primo die mensis Martii. Deinde hanc latitudinem ex aggregato utriusque semidiametri 64'. supererunt 5'. jam si 36'. (quantum credidit Erasmus continere apparentem Lunæ diametrum) præbent 12. digitos eclipticos, quot dabunt 5'. invenies per regulam auream unum ferè digitum cum semisse. Tumque dividia mora AF (post resolutionem trianguli AFB, cuius duo latera AB, & FB nota sunt, vt mox diximus) prodibit 24'. cum semisse. Hæc dicuntur minuta incidentiarum, atque à Lunâ Solem præcurrente intra 44. minuta viuis horæ decurruntur. Licebit tibi tres Lunas in punctis A, F, & E depingere, quæ principium medium & finem eclipseos demonstrabunt.

Reliquum est vt de solaribus defecctibus pauca subnectam. Vbi aggregatum ex semidiametris Solis, & Lunæ majus est Lunæ ipsius latitudine apparente, tum Solis aliqua portio interiectu corporis lunaris obscuratur. Id verò accidit, cùm in congressu luminarium Luna à boreali nodo, vel limite, non amplius quàm 20. gr. & 40'. vel ab Australi nodo 11. gr. & 22'. elongatur. Hic enim latitudinis visæ habetur ratio, quod Sol nihil patiatur subeunte Lunâ; sed nos tantum illius luce fraudamur. Quare cùm latitudo visa Lunæ præ parallaxi minor est, quàm vera, maior fit eclipsis. Verum exemplo res fieri illustrior. Atque, vt à dilucidissimo auctore Erasmo Reinholdo non discedamus: Anno 1545. die Iunii nono, tertiarum à meridie horâ, Sol aliquâ sui parte defecit. Latitudo Lunæ Borealis vera fuit 48'. 26". parallaxis 27'. 30". quæ semper ad Meridiem vergit, vt suprà monuimus. Hinc demenda erit à verâ latitudine, vt superfit apparet latitudo fermè 21'. aggregatum ex utraque semidiametro Solis, & Lunæ 30'. sive ut prius BA: lunam in B concipiamus, viam solarem AFE, principium eclipseos A, medium F, finem E: facilè nobis innoscet AF, per analysim trianguli ABF, eo quo suprà diximus modo; compierimus itaque AF minuta incidentiarum (vt loqui solent) 21'. 16".

quæ Luna percurrit intra 47. minuta vnius horæ. Sublatâ igitur latitudine visâ B F ab aggregato vtriusque semidiometri B P, comperiemus tres Solis digitos cum semisse obscuratos. Sed cur eclipsis solaris accidit cùm Luna à Boreali limite minus 20. gr. ab Australi minus 11. gr. abest? id oritur ex parallaxi Lunæ, quæ semper ad Austrum declinat, vt jam subinde diximus. Atque, vt mihi videtur, Astronomicæ praxeos præcipua capita vobis exposui.

M E N. Ita me Deus amet, & breviter, & dilucidè reserat*st*ii Astronomiæ penetralia: id vnum tamen ex te requiro, quid causæ sit cur recentiores Astronomi neque inter se, neque cum veteribus consentiant: five stellarum obfigmenta loca; five Solis, & Lunæ diametros apparentes aucupentur, vel eorum à terrâ distantias metiantur, vel denique Solis excentricitatem, aut anni magnitudinem definiant.

S I M P. Ego verò consensum Astronomorum, & solertia admitor, qui res adeò abstrusas, atque ab ipsâ naturâ involutas, acerrimâ vi ingenii consequantur, & vix aliquot minutis inter se diffideant. Non fallunt quidein demonstrationes Astronomicæ: sed multa inter observandum occurunt, quæ nisi caveantur, in errorem inducant necesse est. Vt taceam de vitiis instrumentorum, quæ nisi accuratè distribuantur, atque optimè disponantur, stellarum loca designate non possunt. Veteres quidem vbi sunt quadrantibus circulorum, quorum singulos gradus vix in tres partes distribuebant: nonnumquam parvos adhibuere gnomones, in quibus difficile fuit confinium lucis, & tenebrarum discernere. Quidam stylum in centro hemisphærii erigebant, ex cuius vmbra, Solis conjiciebant locum; vbi error vnius gradus facile potuit obrepere. Semidiametrum quoque Solis addere, vel subtrahere ipsius altitudini neglexerunt. Plerique numeris rotundis vrebantur, neque minutorum, vel secundorum adeò solliciti erant. Postremò, instrumenta lignea adhibebant, quæ temporum decursu, vel detorqueri solebant, vel situm suum in meridianâ lineâ commutare. Hac atque alia id genus multa eorum observationes incertas, ac lubricas effecere: nonnulla etiam ex parte visus, quædam ex siderum luce; pleraque ex interjecti

*De obser-
vationum
defectibus.*

spatii variis affectionibus incurront, quæ nonnihil de observationum certitudine detrahunt. Dicam de singulis quām potero brevissimè.

Sæpe vñuenit, vt intervallum quod inter duo sidera interjacet nobis. dimitiri incumbat. Instrumentum adhibemus, quod suprà descriptum à nobis fuit, atque ex angulo A B V, quot gradus inter stellas A, & V intercedant, dignoscimus. Eodem prorsus modo diametrum Solis, vel Lunæ apparentem A V indagamus. Verùm hæc obstant quo minùs adeò exquisita sit observatio. Centrum instrumenti B non est ipsum oculi punctum, in quod radii A B, & VB confluunt: atque adeò angulus B plus æquo est apertus, & majorem siderum distanciam, vel etiam maiores diametros Solis, & Lunæ, quām revera sint exhibit. Accedit etiam quòd non eodem modo oculti in omnibus conformantur; aliis pupilla est aperior; aliis contractior: crystallinus humor in quibusdam est rotundior; in nonnullis magis complanatus: hinc rerum imagines vel contrahit, cùm globosus est; vel dilatat, vbi planior existit. Quapropter vix duo Astronomi, qui eodem observant tempore, omnino inter se conveniunt; vt in Tychonis observationibus videre est. Lux etiam ipsius sideris ampliorem in oculo efformat imaginem, & lucidi corporis speciem mirificè auget. Nam quæ candida sunt, & illustria, vñtrà quām par sit majora cernuntur. Quòd si Lunam in primâ, vel vñtimâ phasi consideres, lucidum illius cornu videbis longè majori circulo circumscribi, quām reliquum corpus à tellure collustratum: quocumque id modo accidat: sive vt suprà diximus, lux vehementior retinae nervulos fortius percellat; sive lucis species in spiritibus visoriis imprimatur, & amplietur, vt placet Keplerio; sive id efficiat corporis lucidi capillitum, quod forte à circumfuso & splendente æthere mutuatur: nam ipsum æthere luce combibitæ nonnihil collucescere, satis verisimile est. Hinc Luna in eclipsi minor apparet, quām cùm est orbe plena. Hinc etiam cùm vicinus aër splendescens discerni non possit à face lucida, hujus species de nocte augescit ex intervallo. Inventa vero est Dioptra, quam Hipparchi vocant, in quâ per tenuissimum foramen oculo proximum stella conspicitur,


vt

Vide superio:em figuram. pag.
213.

ut circumfusā exuatur comā , & radii in illo foramine coire possint , antequam ad fundum oculi perveniant. Non secūs ac per cubiculi vndequaque clausi tenuissimum foramen radii solares admissi , sese ibi intersecant , atque in oppositā tabellā solis effingunt imaginem , quæ quidem minor est , quācūm acie directā Solem contuemur.

Hāc arte diameter Solis apparet A V (non enim vacat aliam figuram delineare) radios per foramen B vibrans seipsum in chartā oppositā exhibet ; ita ut pars superior V per radium V B S , in infimā parte S , vt pars inferior A , in puncto I superiori depingatur. Angulus verò I B S æqualis angulo V B A , qui apparentem Solis diametrū metitur , facile innoteſcer. Si quidem in rectangulo T B I dantur duo latera B T , (distantia tabellæ à foramine) & T I longitudine tabellæ , vel chartæ , cum

*Quā arte
apparens
Solis dia-
meter , at-
que hinc Solis
magni-
tudo digno-
scit que
sci queat.*



Ec

angulo recto T. Igitur angulus TBI, seu ABP ad verticem oppositus habebitur. Eadem methodo in trigono TBS inveneries angulum TBS, cui æquatur VBP, hic subductus ab angulo TBI, relinquit angulum SBI quæsitum; est enim æqualis opposito ad verticem angulo VBA, quem supponimus mensurare diametrum Solis apparentem. Nobilissimus ille Danus Tycho hac viâ comperit Solis diametrum ferè 30. minorum; ita ut Sol dimidium sui cœli gradum occupet. His bene constitutis facile vtriusque luminaris magnitudo inventur.


Vide figuram pagi 219.

Repetitâ enim figurâ toties à nobis delineatâ, sit punctum terræ medium M, Sol, vel Luna HFF: in triangulo IMG, dantur latera MI, & MG, nimirum distantia sideris à terrâ per parallaxes explorata, cum angulo M, qui diametrum apparentem metitur. Ergo obtinebimus diametrum IG; atque adeò totum Solis, vel Lunæ ambitum HFF. Est quippe proportio diametri ad peripheriam fermè, vt 7. ad 22.

Vide figuram superiore, pag. 217.

De refracti.

Restat ut defectus observationum qui ex spatio interjecto oriuntur attingamus. Iam subinde monuimus radios luminis refringi cum ex medio ratiore in densius, vel vicissim permant. Cum autem aër in quo degimus longè sit crassior ipso æthere; palam estradios ex æthere in hunc aëra incurrentes, ut AB, non rectâ progreedi in I, sed refringi ad perpendicularum, atque in punctum L divertere; ita ut refractio astrum sublimius quam sit, nobis exhibeat. Videtur enim quasi in punto V constitutum, & radius ABI degenerat in LBV; quæ quidem refractio circa horizontem maxima est, & Solem quandoque 34'. altiorum quam sit, nobis repræsentat. Causam refractionis esse duplicein satis liquet, obliquitatem nimirum radiorum, & spatii interjecti diversam consistentiam. Siquidem ultra 30. gr. insensibilis est; neque ut Tycho existimat, idcirco radii siderum prope horizontem adeò infringuntur, quod in eâ parte vapores temere oberrantes hanc efficiant refractionem. Constantior quippe est refractionum causa; neque alia, ut nihili videtur, quærenda est, quam crassioris aëris superficies: quanvis vaporum vberiore copiâ refractionem augeri non insicer. Hinc major est in locis depressoibus, & mari finitimis,



vbi aër existit profundior, & vaporibus magis inficitur. Quocirca Rothmannus contendit refractio[n]es longè esse minores in Hassiâ, quām quæ à Tychone in Daniâ sunt observatæ: quod illuc aër sit humilior, & terra magis assurgat. Nam hæc regio finitima est Visurgis fontibus, quod quidem flumen sese in mare Balthicum depresso exonerat. Quod verò Landgravius Hassiæ Princeps vidit Venerem per horæ quadrantem horizonti inhærente; quasi motu primi mobilis non raperetur, cùm duobus iam gradibus sub horizonte foret depressa; quodque Mœstlinus anno 1590. die 7. Iulii Tubingæ deprehendit Lunam aliquot digitis iam deficiētem, ac duobus ferè gradibus elevatam, centro Solis super horizontem emergente: cùm tam centrum umbræ telluris Soli è diametro oppositum jam occidisse necesse foret. Hæc sanè non aliunde potuerunt, quām

Ec jij

ex refractionibus insolitis proficisci, propter crassum vaporem subito erumpentem. Nec dubito in locis polo vicinioribus maiores esse refractiones, non quod major ibi sit aëris altitudo; quo enim est calidior, eo quoque altior existit: sed major illius densitas vel crassities refractionem quoque majorem efficit. Hinc Batavi cùm anno 1596. in novâ zemblâ, vbi polus 76. gr. attollitur, diu in mari conglaciato hæsissent, tertio die Novembri Solem postremum viderunt; quem ante undecimum Februarii juxta leges Astronomicas redditum non sperabant, vigesimo quarto Ianuarii conspexere, cujus ratio non aliunde quam ex refractionibus constare potest, ut fusè demonstrat Keplerus.

Nullam porro veteres refractionum habuisse rationem inter observandum jam identidem monuimus. Quamobrem nihil mirum est si aliquantulum aberraverint, tum in aliis observationibus, tum in magnitudine anni finiendâ. Nonnumquam bis in uno die æquinoctium deprehendebant, quod manè Sol nondum æquatore attigisset, quamquam præ refractione sub ipso æquinoctiali jam videretur; quia refractio attollit sidera, ut parallaxis deprimit. Circa meridiem vero, vbi refractio est insensibilis, rursus in æquinoctiali Solem conspiciebant. Quare nihil est cur ex eorum observationibus, vel excentricitatem Solis imminutam, ut vult Copernicus; vel anni magnitudinem immuratam; vel maximam Solis declinationem variatam; vel denique motum stellarum inæqualem suspicemur. Inutiles omnino sunt motus obliquitatis zodiaci; vel anticipationis æquinoctiorum; vel trepidationis stellarum. Hæc sane omnia infirmis conjecturis, atque incertis observationibus nituntur. Illud porro silentio minimè pratermittam, Sol in ipso exortu, figura ellipticæ apparere, quod diameter horizonti parallela præ refractione nihil quidem minuat; cùm diameter horizonti ad perpendiculum insistens aliquantum decrescat, ac decimâ ferè parte multata videatur: at postquam quinque, aut sex gradibus supra horizontem Sol elatus est, illa evanescit differentia.

*Cur sol ho-
rizonti pro-
ximus ma-
jor ap-
petet.
rect.* Sed cur Sol horizonti finitus major cernitur? quæ in aquâ contuemur, majora quidem apparent; sed tum radij ex den-

fiore in rarius medium progrediuntur: Sol verò versatur in æthere puriori. An forte vapores densi Solis imaginem amplioram reddunt, atque idem efficiunt, quod vitrum convexum in telescopio. Verum per instrumenta Sol minor deprehenditur; tum etiam latiorem vmbram projicit; quod argumentum est diametrum Solis à vaporibus non augeri, sed imminui. Imò interjecta nubecula Solis diametrum aliquantulum coarctat, atque efficit, ut Sol vmbram spargat latiorem. Nam quæ lux contingit vmbram, debilior est, quod ab extremâ tantum orâ, non à toto corpore solari prodeat; ita vt jam penumbra vocari possit: vnde vel nubeculae interpositu degenerat in crassiorem vmbram. Cur igitur Sol oculis nostris major apparet? an quod pupilla apertior in majorem Solis excipiat imaginem? an forte cùm sub eodem angulo plura objecta contuemur, ea esse ampliora judicamus, quæ nobis videntur longius distata: Sol verò horizonti vicinus longè majori intervallo à nobis distare creditur, quam cùm circulum Meridianum attingit, vnde multis partibus eum esse majorem arbitramur. Sed hæc sunt alterius loci.

Neque hic necesse est accuratiùs expendere; vtrum eadem sit crepusculorum, quæ refractionum causa: plerique volunt esse diversam. Materia quippe quæ crepuscula accedit 12. saltem milliaria Germanica à tellure distat, & videtur esse halitus siccus, vel fumosus, qui manè radios Solis citius excipit, vesperè tardius, eosque refractos ad nos transmittit. Si purus esset aér, fieret transitus à purâ luce ad meras tenebras; at illi fumi in altum sublati illam dubiam, seu creperam lucem efficiunt, quæ non subito, sed sensim extinguitur. Sole 18. gr. sub horizonte depresso, jam crepusculum incipit: hi verò gradus numerantur in circulo verticali, qui per verticem nostrum, & gradum in quo Sol versatur transit. Alius item circulus verticalis, qui per horizontis punctum in quo Sol exorturus est, ducitur; Sol verò dictim parallelum circulum describit. Quo autem arcus illius circuli paralleli inter vtrumque verticalem intercepitus, est prolixior, vel obliquior, eo longius est crepusculum, quod nobis in solsticio æstivo contingit. Vapor verò humidus, & pellucidus, qui terræ vicinior, vix ultra milliare Germanicum attollitur, ut ex triangulorum analysi Tycho demonstrat, refractio-

E e iii

nes parit. Sunt qui non absurdè existimant crepuscula ex radiis solaribus non refractis, sed potius reflexis in hujus crassi aëris superficie procreari. Idque eo ferè modo evenit, quo videmus in navalib[us] certamine globos bombardiles ad horizontem explosos, in superficie maris identidem subsultare, nec rectâ progredi: sic radii solares densum aërem horizonti vicinum stringentes, non eum rectâ perrumpunt, sed inflexi ad nos usque resiliunt.

Denaturâ & motibus corporum cælestium haec tenus: ex quibus certè discimus nihil esse inordinatum, atque fortuitum. An illa cæli conversio, Solis, Lunæ, siderumque omnium distinctio, varietas, pulcritudo, ordo denique, & motuum æquabilitas nullâ providentia, nullâ mente gubernantur? quis adeò absurdus est, ut ea quæ vix summâ ingenii ratione comprehendat, nullâ ratione moveri putet. Nulla igitur, ut pulcrè colligit Tullius, in cælo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest: contrâque omnis ordo, veritas, ratio, constantia: nam planetæ falsò vocantur errantes, nihil quippe errat, quod in omni æternitate conservat progressus, & regresus, reliquosque motus constantes, & ratos. Sed nimis secùs videor evadere.

T.H. Praclarè, mi Simplici, nunc à te verba summi Oratoris usurpantur. Sed expectabam disputationem tuam de Astrologia conjecturali, & quam tu fidem huic scientiæ tribuas, audire sanè velim.

*Quæ sit no-
stra de A-
strologiâ
conjecturali
sententia.*

SIMP. Magnus hic locus est, atque à doctissimis viris vexatus, qui uno ferè consensu artis vanitatem proscribunt. Nam illud dementiæ est proximum ex diversis siderum aspectibus futura prædicere. Illa quidem influxus quosdam in terras demittunt, sed nihil sunt quâm causæ generales, ex quibus nihil certi concludi possit, nihil futurum prænuntiari. Iam quid absurdus, quâm aspectus stellarum quosdam benignos, alios infestos; quædam amica, nonnulla nobis infensa sidera comminisci; atque ex iis ingenia, mores, animum, corpus, vita munera, cuiusque casus & eventus deduci. An tantum licet stellis, ut voluntatis nostræ actus moderentur, & liberum hominis arbitrium omnino perimant? quis enim libertati locus relinquitur, si omnia ex stellarum fatis suspendantur? Absit, inquiunt,

ut stellæ vim inferant libertati ; in corpora quidem influunt, sed animum non attingunt : quare Astrologi conjiciunt quā quisque sit naturā, quo temperamento, & ad quam maximē rem aptus futurus sit, de affectionibus verò, & motibus voluntatis nihil possunt judicare. Quod dant accipimus ; tametsi de omni vitæ statu, & fortunis nostris sæpe decernant. Sed ne hoc quidem concessero , corporibus astra dominari, atque ex variis eorum aspectibus temperamenta , & mores effingi. Nam ut taceam de geminorum moribus dissimiliis : num omnes qui eodem tempore in diversis oriuntur regionibus, eadem sorte, & conditione nascuntur ? nonne diversitas locorum dissimiles hominum procreations habet ? Præclarè Tullius interrogat, an omnes qui Cannensi pugnâ ceciderunt, sub uno astro fuerint. Exitus omnium unus, & idem fuit, ortus plane diverfus. Quis nescit & formas, & mores, & plerosque motus effingere à parentibus liberos, quod non contingere, si hoc non vis, & natura gignentium efficeret, sed temperatio Lunæ, cælique moderatio. Mirum etiam quod Genethliaci nullam conceptus, sed nativitatis dumtaxat habeant rationem : & tamen si quid astra possint, in ipso conceptionis momento, longè fortius vires suas exerunt. Scilicet ignorant illud momentum ; quique se futura prævidere falsò jactitant, ne id quidem quod jam effluxit perspectum habent. Sed hujus artis levitas confuta à multis, & in primis ab illustrissimo Mirandula Comite, qui 14. libris Astrologos expugnavit, non desiderat orationem meam. Nescio quo pacto viti nobiles, & magnâ ingenii, atque eruditioñis famâ, gaudent hujusmodi commentis deludi. At multa quæ prædixere vera evadunt. Quid, quod multò plura falsa ? Quis est (inquit Tullius) qui totum diem jaculans, non aliquando collimet. Quaneam volent exemplorum copiam colligant, testibus vtantur aut falsis, aut fictis ; numquam tam commodè dicent, ut eam artem (si rerum incognitarum ars dicenda est) quæ nullâ ratione ducitur, & libertatem nostram labefactat, veram esse mihi persuadeant. Quid enim est nisi fatalis, & ineluctabilis necessitas, si omnia vitæ officia, opes, damna, connubia, mortem ipsam, morbos denique, & casus omnes, ex certis siderum positionibus, vel aspe-

etibus colligant. Quid fortunæ nostræ cum Mercurio , aut Veneri , quibus siderum deorum nomina , & commenticias vires tribuunt ? quantulus est Mercurius si cum Sole componatur ? Petrus Gassendus anno 1631. die 7. Novembris Mercurium in medio Sole , tamquam nigricantem maculam observavit : vix tertiam vnius minutæ partem , vel nonagesimam diametri solari portionem occupabat. Quod si res ad calculum redigatur , Mercurius ter millesima pars terræ futurus est. Sic Veneris diameter , quam Keplerus putat esse 7. minutorum , vix unum minutum sub Sole obtineret. Si quas igitur vires habent tam minuta sidera , haud dubie ab immensi Solis luce extinguntur ; nec probabile est hominum fata ex tam tenuibus filiis contexi , adeo ut mihi permirum videatur quemquam extare , qui etiam nunc credit iis , quorum prædicta quotidie videat re , & eventis , & rationibus refelli. Quodque olim Cato de Haruspici bus , id merito de Genethliacis mihi licet usurpare. Vehementer admiror quod non rideat Astrologus , Astrologum cùm viderit.

MEN. Papæ , quantum rerum varietatem , quantum vim complexus es , quantis ex angustiis ipsam Astronomiam educere ausus es ! Nihil æquè vereor , atque ista è memoriâ dilabantur ; quare si mihi per tempus licuerit , quæ hodiernâ dissertatione nobis tradidisti , literis consignabo , ne illa fugitiva debeat oblivio.

F I N I S.



INDEX



INDEX

R E R V M P R A E C I P V A R V M.

A	
E Q U A T O R.	p. 97.
Æquatio.	110.
Albedo.	42. 43. 54. 55.
Altitudo siderum.	185. poli. 186.
Angulus reflexionis æqualis est	
angulo incidentiæ.	p. 19. causa hu-
jus æqualitatis ex Cartesio.	p. 20. ref-
fellitur.	p. 21. alia Vitellionis itidem
rejicitur.	p. 21. verior assertur.
Anni magnitudo.	p. 103. & seq.
anni Iuliani emendatio.	ibid.
Anni Ægyptius.	105.
Aristotelis opinio de naturâ & lo-	
co cometarû p. 70. refellitur.	p. 71.
Ascensio recta, & obliqua.	p.
194. & seq. illius tabula.	196.
Astrologia conjecturalis impu-	
gnatur.	222.
B	
B I S E X T I L I S.	103. & 122.
C	
C E L V M esse. liquidum.	p.
74. & seq. non esse genera-	
tionum expers.	75.
Cæruleus color.	46. 55. 56. 60.
Cartesii sententia de naturâ lu-	
minis.	p. 9. & 11. refellitur p. 11. &
12. ejusdem opinio de naturâ per-	
spicui.	p. 29. & 30. ejusdem de colo-
rum naturâ.	p. 41. ejusdem de
maculis solaribus.	p. 65. 66. ejus-
dem de motu, & numero cælo-	
rum.	p. 86. & seq. ejusdem systema,
p. 163. & seq.	
D	
D E C L I N A T I O Solis.	98. stel-
larum.	194.
Distancies siderum inuenire.	209
E	
E C L I P S I S.	130. & seq. 139?
Eclipses prænuntiare, & descri-	
bere.	p. 210. & seq.
Epocha Christi.	113.
Euclidis quædam theorematæ.	
p. 9. & seq. item p. 171. & seq.	
Excentricitatem solis, & Apo-	

INDEX

- gēum invenire. 200.
- F**ABRY opinio de naturā Solis. p. 67. ejusdem de colorum natura. 42. & seq. novū illius systema. p. 160.
- Flavus color. 46. 55. 59.
- G**
- G**LOSI cœlestis debita positiō, & vīsus. 193. & seq.
- H**
- H**ORIZON. p. 96. 97.
- Horologium solare. 200.
- Horoscopus. p. 198.
- I**
- I**NOCTIO. p. 125.
- Influxus Lunæ. p. 119. 120.
- Instrumenta Astron. p. 182.
- Iovis phænomena. 151. & seq.
- Juliana periodus. 123.
- K**
- K**EPLERI opinio de causis reflexionum. p. 23. ejusdem de naturā perspicui. p. 36. ejusdem de naturā cometarum. p. 72.
- L**
- L**ATITUD O loci. 98. 186.
- Latitudo Lunæ. 130.
- Latitudo planet. 138.
- Linea meridiana. 185.
- Longitudo. p. 98. qua arte inueniri possit. 190.
- Lumen non est substantia, sed accidens. pag. 2. & 3.
- Lumen esse tenuissimam flamman placet Epicureis. p. 3. & 4. 5.
- refelluntur. p. 6. 7.
- Lumen esse motum ex Cartesio. p. 8. 9. 11. refellitur. p. 10. & 12.
- Luminis systema. p. 6. & 7.
- Lumen diffundi in instanti. p. 8.
- Lucis & luminis discrimen. p. 9.
- Luminis phænomena ex Cartesi sententia explicantur. p. 9.
- Lumen non est qualitas intentionalis, sed realis. p. 15.
- Lux est formaliter calida. p. 15. 16. in orbem radiat. p. 16. & 17.
- quid lumen visibile efficiat. p. 17.
- luminis causa tum effectrix, tum finalis. p. 37. 38. 39.
- Luna corpus est non tersum, sed terræ simillimum, montibus asperum, lumen quoddam à terrâ mutuant. p. 115. & seq.
- Lunaris motus explicatur juxta hypoth. Ptolemæi. p. 124. Copernici. 128. Lansbergi. 129. Comitis Pagani. 135.
- M**
- M**ACVILAE solares. p. 65. & seq. Cartesii opinio. ibid. object. contra Solis maculas. p. 68. resp. p. 69. macularum phænomena. 69. & seq. earum motus. p. 105. & seq.
- Mensis. p. 127.
- Martis phænomena. p. 155. 157.
- Mercurii phænomena. 146. sub Sole visus. 224.
- Meridianus. p. 96. 97.
- Motus cœlestes esse æquabiles. p. 96. motus medius, & verus. 110.
- Motus terræ diurnus variis rationibus adstruitur. p. 78. 79. refellitur. p. 80. & seq. motus annuus terræ. p. 148. & seq.
- Motus spiralis siderum. p. 112.
- Motus capitis, & caudæ Draconis. 130.
- Motus firmamenti. p. 167.
- N**
- N**IGREDO. p. 44. 45. 54. quot lucis gradus participet. p. 60.
- O**
- O**BSERVATIONVM defectus. 215.
- Opacitas. p. 33. 34. 35.

R E R V M P R A E C I P V A K v i.

Orthus & occasus planetarum. p. 161.
Orthus & occasus stellarum. 193.
 P

PARALLAXES siderum inveni-
 re. p. 208.

Perspicuum est laminis subje-
 ctim. in quo sita sit ejus natura. p.

28. Cartesii opinio impnatur. p.

29. & 31. verior ex Chambræo. p. 32.

33. variæ conditiones ad perspicui-
 tatem requisitæ. p. 34. 35.

Planetarum phænomena. p. 144.

& seq.

Polares circuli. p. 100. poli mun-
 di. 97.

Primum mobile. p. 75. & seq.

Proportio. 57. & seq.

Puncta singula corporis lucidi in
 orbem rariant. p. 17.

Pupilla ex fortile luce contrahitur.

p. 63. & seq.

Purpureus color. 56. 69.

Pyramides radiosæ luminis. p. 17.

R

Radius luminis quid sit. p. 14.
 15. nec differt à splendore.

p. 15.

Reflexio luminis explicatur. p. 14.

reflexionum causæ. p. 18. & seq.

Refractionum causæ ex Cartesio.

p. 23. impugnatur. p. 24. alia con-

jecturae afferuntur. p. 25. 26.

Refractions siderum. 218. & seq.

Rubedo. p. 45. 46. 55. 59.

S

SATURNI phænomena. p. 151.
 152.

Schoineri de Solis maculis opi-
 nio. p. 69.

Sinus anguli. p. 175. & 180.

Solis figura, calor, & maculæ.

p. 65. & seq. sol & stellæ circa cen-

trum gyrrant. *ibid.* item p. 105. 166.

motus annuus Solis juxta Ptolemai

hypoth. p. 107. & seq. ex Coperni-

co. 110. & seq. ex P. Fabry. 112. 113.

illius diameter. 217.

Sphæræ circuli. p. 96. 97. & seq.

Stationes, & regressus planeta-

rum. p. 151. & seq.

Stellæ congenito, planetæ mu-

tuatatio fulgent lumine. p. 63. Stel-

larum scintillatio. *ibidem*, & sequent.

majores videntur, quam videri de-

beant. p. 64.

Stellarum capillitium. p. 64. 65.

stella nova Cassiopeæ. p. 76.

Stellas discernere. 192. earum

loca obsignare. 198.

Systema mundi Ptolemaicum. p.

141. Copernicæum 142. & seq. Pto-

lemaicum infingitur. p. 157. Ce-

tern. rejicitur. p. 158. & seq. aliud

verisimile proponitur. p. 160.

Systema Cartesianum. p. 163. &

seq. refellitur. p. 167. & seq.

T

TABVLÆ Astronomicæ. 203.

Terra & cæli figura. p. 95.

Terra & Lunæ phæses similes. p.

116. & seq. Sol major terrâ. 192.

Theodosii elementa sphærica. p.

89. & seq.

Triangulorum resolutio, seu tri-

gonometria. p. 175. & seq.

Tropici. p. 99.

V

VENERIS scintillatio. p. 65.

illius phænomena. p. 146.

phæses. *ibid.*

Z

ZODIACVS. p. 98.

Zodiaci gradum à Sole occu-

patum invenire. 190.

Zonæ. p. 100.

•§§•


PRIVILEGE DU ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE
NAVARRE, A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Courz
de Parlement de Paris, Tholofe, Dijon, Bordeaux, Rozen, Aix, Greno-
ble, Rennes, & Metz, Bailliis, Seneschaux, Provoys desdits lieux, ou
leur Lieutenans, ou autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartientra a Salut. No-
stre bien amé Maistre LEAN BAPTISTE DV HAMEL nostre Conseiller & Amô-
nier, Prestre, nous a fait dire & remonstrez qu'il a composé des Oeuvres Physiques, lesquel-
les il desireroit faire imprimer; mais il craint que quelques Imprimeurs ou Libraires,
autres que ceux a qui il l'auoit permis, voulussont entreprendre sur son travail; nous
a tres-humblement requis sur ce nos Lettres necessaires: a ces causes deffrant favorable-
ment traitez l'exposant, nous lui avons permis & octroyé, permettons & octroyons par
ces presentes, de faire imprimer lesdites Oeuvres, ensemble les Traductions qui pour-
roient estre faites en Francois par quelques personnes que ce soit, en telle grandeur,
marge & caractere que bon luy semblera, en un, ou plusieurs volumes, en Latin ou Fran-
cois seulement, ou bien en Latin & en Francois ensemble, pendant le temps de neuf années,
à commencer du jour qu'elles serontachevées d'imprimer, à la charge qu'il en sera mis
deux exemplaires en nostre Bibliotheque, & un en celle de nostre tres cher & feal Che-
valier le sieur Seguier Chancelier de France, avant que de l'exposer en vente; comme
aussi de le faire enrégistrer sur le livre de la Communauté des Marchands Libraires &
Imprimeurs de nostre ville de Paris, conformément à l'Arrêt du 8. Avril 1653, à peine
de nullité des presentes. Faisons desfenses à tous Imprimeurs, Libraires, & aurras de
quelque qualité & condition qu'ils soient, de les imprimer, ou faire imprimer, vendre
ou débiter durant ledis tems, que du consentement dudit exposant, ou de ceux qui au-
ront droit de luy, à peine de deux mil livres d'amende appliquable un tiers à nous,
un tiers au denunciateur, & l'autre tiers audit exposant, ou ayant droit de luy. Si
vous mandons faire joutir ledit exposant, ou ceux qui auront droit de luy, du contenu en
ces presentes, pleinement & paisiblement, faisant cesser tous troubles & empêchemens.
Voulons qu'au vidimus des presentes, qui seront inseré auxdites Oeuvres, soy soit adjointée
comme à l'original. Mandons au premier Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour
l'execution des presentes, tous exploits & significations, & autres actes nécessaires, sans
demander Visa ne Pareavis, nonobstant clameur de Haro, charte Normande, prise à
parie, & autres lettres à ce contraires: Car tel est nostre plaisir. Donné à Dijon le
huitième jour de Novembre l'an de graco mil six cent cinquante-huit, & de nostre regne
le seizième. Signé, Par le Roy en son Conseil, BOUCHARD.

Le sous-signé confesse avoir cédé mon Privilege à Monsieur Pierre Lamy, Mar-
chand Libraire, pour faire imprimer mes Oeuvres, selon l'accord fait entre nous.
Fait ce 22. d'Octobre 1659. Signé, I. B. DV HAMEL.

La première impression a été achevée le 15. Avril 1660.

Les Exemplaires ont été fournis.



CLARISSIMO VIRO D.
P E T R O P E T I T
EQVITI DOMINO DV PORTAIL
REGIIS ARCIBVS MVNIENDIS
P R Æ F E C T O
IOANNES BAPTISTA DV HAMEL
S. P. D.

 ITERAS tuas accepi, VIR CLARISSIME,
effusissimæ humanitatis, & benevolentiae plena-
nas: ac subinde vereor ne plus æquo mihi pla-
ceam, quòd opuscula nostra tam honorificè ap-
probes. Non enim ignoro quantum apud eruditos pondus ha-
beat judicij tui auctoritas: nec ferè quisquam est, cui hæc
nostra probari impensius studeam, cùm vix ullus in scientiis
Physicis, & Mathematicis, necnon in criticis &c exercitatiōn-
vel acutior occurrat. Quod verò me benignè identidem admo-
nuisti in definiendā latitudine Parisiorum minus accuratum,
aut constantiem fuisse; cùm illam interim 48. gr. 40. min. in-
terim 48. 50. min. præscribam; quòd nimis leviter, aut per-
functoriè Saturni phases, & phænomena (qui locus cùm sit
illustris, fusiū tractari debuit) transcurrerim; quòd Arcontii
opinioni de longitudine loci ex æstu maris reciproco invenien-
dā, nimium indulgere videar: cùm tamen nihil absurdius,
nihil hoc commento vanius fingi possit. Ästus quippe in al-
io, & placido mari non percipitur, neque ad littora eodem
tempore, ne sub eodem quidem Meridiano, recurrit; venit
quoque, & recessus terrarum, atque alia causæ particulares,

*

I. B. DV HAMEL EPISTOLA

quæ plurimum habent momenti, æstus persæpè accelerant, vel remorantur. Nec tibi etiam probatur, quod Solis maxima declinatio immota, & stabilis à me constituantur, & veterum observatis nimis diffidam; cùm verisimile non sit viros peritissimos & 4. scrupulis aberrasse. Postremò, cùm latitudinis locorum indagandæ methodum propono, tempus æquinoctii seligo minime ad id opus idoneum: siquidem tum temporis declinatio Solis quām citissimè minuitur, vel crescit; adeò ut lubricam, & incertam observationem efficiat. Contrà evenit in solsticio æstivali, ubi minor parallaxis, nulla refractio, nec declinatio est adeò desultoria. Ad omnia accipe.

Non clam te est, VIR CLARISSIME, me hunc laborem suscepisse, ut Philosophis qui Geometriâ, & aliis Mathematicis disciplinis non sunt initiati (nōsti quām hæc studia sint per paucorum hominum) prodeßsem. Cūmque integrum, & absolutam Physicam tradere, eique restituere Astronomiam, Machinatricem, Opticam, Alchimiam, Medicorum Physiologiam, & alias si quæ sint scientias à suo velut corpore revulſas, in animum induxisse: placuit, ut bonâ fide agere viderer, ab Astronomiâ, quæ omnium judicio difficulta, & spinosissima habetur, ausplicari, eamque quantum mihi licet, ac materies ipsa pateretur, pronam, & facilem reddere, atque in illius penetralia Philosophos non prorsus habebet, vel à bonis artibus penitus abhorrentes inducere. Vidi enim plurimos hujus scientie amore deperire, quos difficiles aditus omnino deterrebant. Quocirca expectari à me non debuit illa Mathematicus usurpata æxpositio, aut limata Geometrarum subtilitas: cùm labores meos Philosophis deflaverim, qui rationes rerum, & causas physicas, magis quām exquisitum calculum consequantur. Projectò male,

A D C L. V I R V M P. P E T I T.

Et nomini, et pudori meo consuluisset, si Astronomiam, ac
potissimum planetarum Theoriam, cum à veteribus, tum à
recentioribus, inter quos Keplerus, Gassendus, illustrissimus
Comes Paganus, et doctissimus Bullialdus principatum te-
nent, accuratissimè pertractatam, non Philosophico, sed Ma-
thematico more explicare voluisse. Quamobrem de Philo-
sophis, quibus non erat unde scire possent ea quæ ignorare
minimè decet; non de Astronomis bene mereri cogitavi: ac
tentavi efficere, ut illis nota essent, que ab his peti non po-
terant. Hinc quantum potui, hilaritate quadam conspersi
scientiam quæ proculdubio plus aloës, quam mellis habet.
Enim verò ne prævaricari videar, hoc opus ipsis Mathematicis non injucundum, vel inutile fore confido; et licet ple-
raque non inventa per me, sed ab aliis tradita contineat, non
idcirco minorem inhibet gratiam, cum omnia quæ ad siderum
motus, aut phænomena explicanda sunt magis necessaria,
complectatur: profectò nisi in meā causā parum sum ido-
neus judex, non supinè, et oscitanter, sed satis accurate, ne
dicam superstitionē, minutias Astronomicas mihi videor per-
secutus. Quod si autem quædam scrupula nonnumquam ne-
gligam, id sane Philosopho imputari non debet, qui tabulas
Astronomicas non contextere instituit, sed methodum dumta-
xat quâ concinnari soleant aperire. Hinc aliquando viam fa-
ciliorem, licet minus exquisitam commonstro, ne difficultate
præceptorum infirmitas discentium oneretur. Sic poli elevatio-
nem, seu latitudinem loci, ex meridianâ Solis altitudine tem-
pore æquinoctiorum exploratam haberi posse insinuo: tametsi
hanc à veteribus usurpatam inveniendæ latitudinis rationem
minus esse accuratam non ignoro, cum declinatio tum tem-
poris multum crescat, aut minuatur. Sed eodem loci alias ra-

I. B. DV HAMEL EPISTOLA

tiones erroribus minus obnoxias non prætermitto, ut doctis
juxta, & indoctis satisfaciam: utrisque enim placere: hos
juvare, illis probari affecto. Nec Lucilio assentior, qui dice-
re solebat ea quæ scriberet, neque se ab indoctissimis, neque à
doctissimis legi velle, quòd alteri nihil intelligerent, alteri
plus fortasse quàm ipse de se. Ego contrà nihil aequè, ac se-
midoctos (dabis mihi hanc vocem) reformido, qui sibi similes
magnis viris videntur, ac tumescunt inani scientiæ persuasio-
ne; cùmque nihil aliud quàm barbaras voces, & jejunas con-
certationes didicerint, illud probant qualemcumque ingressi
sunt iter, atque eos dedocere gravius est, quàm docere. Nec
facile de præjudicatis opinionibus decedunt, quia nemo non di-
dicisse maruit, quàm discere: sed non longius evagabor, at-
que ad institutum revertar meum.

Videor tibi, VIR DOCTISSIME, in assignandâ
Parisiorum latitudine fluctuare. Id facile mihi ignoscetis,
cùm peritissimi Astronomi nequaquam inter se consentiant.
Nec mihi in mentem venerant quæ ex tuis, & aliorum ob-
servatis in illâ dissertatione, quam de latitudine Parisiorum
scripsisti, pulcrè disputas, telluris videlicet axem nonnihil de
loco suo dimoveri; idque ex declinatione Magnetis, quæ in
dies minuitur, optimè demonstras. Quamquam non deerunt
qui malint veterum observationes cavillari, quàm tuæ sen-
tentia accedere. Dabis hoc nobis, veteres Astronomos in ob-
servando non adçò solerter, & religiosos fuisse. Quot amabo
ex instrumentorum vitiis, neglectis refractionibus, oculorum
sitū, & varietate, ex circumfusâ denique sideribus luce er-
rores potuerunt irrepevere. Verum de his jam alibi à me dictum
est, & malim in tuo judicio acquiescere, quàm opinionem
meam pertinaciter defendere.

A D C L . V I R V M P . P E T I T .

Venio jam ad Saturni Phases, quas certè levius, quām rei dignitas postulabat, me artigisse non ibo inficias: cùm hic locus esset Astronomiæ Physicæ proprius, & acerrimā contemplatione dignissimus. Sed adeò incertæ erant, & malè sibi constantes Astronomorum observationes, ut eas referre noluerim, ne artem ipsam infamare, & traducere viderer. Quidam enim Saturnum duobus satellitibus stipatum depinxere; alii velut ansulas hujus planeta lateribus inhærentes; alii brachia in longum porrecta affinxerunt. Sunt qui hoc sidus figuræ ellipticæ à se conspectum affirment; negant alii: quidam ansas cum Saturno connectunt; nonnulli separatas exhibent. In tantâ opinionum varietate quam potissimum sequerer non habebam; nec conciliari omnino poterant. Vix excussa erat Astronomia nostra cùm ex te accepi clarissimum Hugenium de Saturni systemate librum edidisse, eumque ad te amicitiæ jure mississe: hujus adeò præclari operis copiam mihi fecisti, quod intento animo perlegi, illudque eruditione plenum judicavi. Major certè doctissimo viro quām cæteris debetur fides, quod telescopicò optimo, & 23. pedibus longo, qui Saturnum centies nobis propiorem quām sit, admovet, usus fuerit, nec tanto viro industria, doctrina, & diligentia defuerint. Invat ergo præcipua hujus sideris phænomena ex peritissimi Astronomi observatis decurrere.

Anno 1655. die 25. Martii Saturnum brachiis in rectum porrectis vidit, cum nigricante zonâ quæ tum brachiis paululum superior planetam in partes inæquales dirimebat. Anno 1656. die 16. Ianuarii Saturnum planè rotundum, & suis brachiis velut mulctatum, usque ad mensem Iunium comprehendit. Hinc brachia sensim restituta sunt, quæ mense Octobri distincta sub conspectum venere; ac zona nigricans, quæ

I. B. DV HAMEL EPISTOLA

an'è superior fuerat , inferior facta est. Anno 1657. die 17. Decembris brachia aperta , & quamquam ansæ cum Saturni corpore consertæ , visa sunt ; ac sensim diduci cœpere usque ad finem anni 1658. & initium 1659. ubi apertissima , atque instar Ellipsis , cuius maxima diameter ad minimam eam ferre habebat rationem , quæ est 9. ad 4. efformata apparsere.

Iam verò ex plurimis observationibus liquet tum brachiis , vel ansulis destitutum videri Saturnum , cum circa ea puncta , in quibus Saturni orbita æquatorem secat , nempe prope vigesimum gradum Virginis , aut Piscium versatur. Tum autem diductis ansis , & apertis sub obtutum cadit , cum circa solstitia seu maximam ab æquatore declinationem , videlicet circa vigesimum gradum Geminorum , aut Sagittarii commoratur. Nec demum major Ellipsois diameter ipsi ecclipticæ , sed æquatori est parallela ; atque eundem penè angulum cum ecclipticâ , quem æquator efficit , scilicet 20. gradibus majorem ; adeò ut Saturnus diurnâ vertigine abreptus nitatur in easdem partes , in quas illius brachia porrigitur. Quod telescopio in Saturnum converso tibi manifestum fiet , dummodo centrum vitri , seu convexæ lentis ad brachiorum lineam dirigas ; tum enim eadem linea tubi immoti diametrum motu diurno sensim decurret ; ita ut eamdem rectam , vel semitam diurnâ conversione planeta signet : atqui motu diurno unumquaque astrum æquatori parallelum circulum detineat : brachia igitur Saturni erunt isidem æquatori parallela. Quod quidem ad suam hypothesim stabiendam plurimum momenti obtainere meritò existimat Hugenius. Sed priusquam istam hypothesim explicare ingrediar , varie sunt nobis antea mittendæ conjecturæ. An forte Saturnus , ut quibusdam placet , figuram sortitus est ovi similem , cum duplii appendice ? di-

AD CL. VIRVM P. PETIT.

versas verò subit phases , quòd circa minorem axem orbitæ sua ad perpendicularm erectum volvatur, cùmque gyrum spatio 30. annorum , vti centrum ipsius planetæ , absolvat : ita ut verique motus , & centri , & orbis inter se æquentur. Hinc ceris in locis plane rotundus cernitur , & suis exiuitur ansulis ; cùm scilicet oblongum axem ad nos convertit. Ansulas verò explicatas habet , ubi minor axis in nostras partes dirigitur. Spatiū denique ansis comprehensum , nihil fortassis erit præter nigras , & obscuras maculas. Quòd si ita sit , cedo cur illæ maculae , cùm Saturnus globosus apparet , penitus expungantur : quare hic planeta cum sit oblongior , sphæricam figuram interdum exprimit : formam non mutavit suam , neque altitudine suâ fuit imminutus : oblongioris igitur semper figuræ , nec lunulis suis privatus videri debet. Quid igitur : an potius nobis in eximii , atque in omni Matheeos genere propè singularis Robervallii sententiam est concedendum , quā fingit , referente Hugenio , Saturni phases non aliunde , quam ex densis vaporibus , quos Sol è mediâ , & velut torridâ illius sideris zonâ in sublime effert , prodire. Cùm vapor interfusum æthera occupat , tum Saturnus figuræ ellipticæ , vti & Sol exoriens apparet. Cùm autem usque ad Saturni corpus circumfusi vapores non perveniant , sed velut nubes in aëre pensiles manent , tum radios ex eâ parte , quâ nubes sunt conseriores , nimirum ab extremis limbis (nostri habitâ ratione) ad nos usque reflectunt. Enimverò hoc ingeniosum videtur Hugenio commentum : quòd numquam Saturnus nisi minori , & debiliori tubo Ellipticus appareat ; quòd non sit verisimile majorem vaporum copiam è mediâ Saturni zonâ , quam ex partibus poli finitimi attolli : siquidem terra regiones polis viciniores densiori caligine , & majori va-

I. B. DV HAMEL EPISTOLA

porum proventus obſidentur. Phases denique Saturni conſtantiorē, eīr certiorem habeant cauſam necesse eſt, cūm in iſdem, vel oppofitī locī eadem planē recurrant.

Quare diſpunctis aliis, ſola ſupererit Hugenii hypothefiſis, que licet quamdam primo aditu p̄e ſe ferat abſurditatē, (neque enim quicquam in aliis ſideribus ſimile occurrit) pulcrē tamen cum phaenomenis conuenit. Placet illi Saturnum globoſe, uti alia ſidera, figura, quodam circulo tamquam annulo cingi, ſic tamen ve ille circulus planetæ non cohæreat, ſed inſtar forniciſ cumdem ſitum, eamdem perpetuò ſervet ab ipſo planetā diſtantiam. Veut ſit, Saturnus cum ſua corona circa ſuum axem, qui plāno annuli ad perpendiculum iñſiſtit, rotatur: quemadmodum ex Copernici mente terra circa ſuum centrum gyrat. Axis Saturni telluris axi, plānum annuli plāno æquatoris ubique erunt parallelā. Quare illud plānum eodem ferè modo cum eclipticæ ſuperficie, atque ipſe æquator inclinatur, nempe angulo 23. gr. + vel circiter. Itaque concipio Saturnum iſum non aliter annulo ſuo, quām ſphærām artificialem Horizonte, circumdatum: ſed ſphærām inteligo parallelam, qualem habent ii qui ſub poliſ degunt. Cūm igitur Saturnus maximē ab æquatore declinabit, tum brachia latifima, atque Ellipſim non pefſimē exprimentia cernentur: iunc enim viſus noſter, qui in æquatoris centro conſtitutus concipiatur, non stringit plānum illius annuli, ſed ſatis altē, nempe angulo 23. gr. ſuper illud attollitur; atque adeò annulus latior videatur necesse eſt: idque tum evenire diximus, cūm Saturnus vigesimum Geminorum, aut Sagittarii gradum cum ſemiffe occupat. Quo autem longius ab iis punctis diſcedit, hoc angulus fit anguſtior, & latitudo annuli magis coarctatur: donec poſt ſeptimum ferè annum,

cum

AD CL. VIRVM P. PETIT.

enim *Saturnus* circuli quadrantis peragravit, & sectioni orbitæ sua cum æquatore vicinus est, oculus in centro æquatoris positus annali planum ipsi æquatori parallelum radit, tuncque omnis latitudinis expers cernitur: nihil enim præter linam videri potest, quæ præ distantia maximâ omnino evanescit: tum igitur *Saturnus* globosus conspicitur. Postquam vero ex iis locis est eluctatus, sua brachia recuperat, quæ paulatim in anulas, tum demum in ellipsem abeunt. Circulum mente concipio supra oculos elevatum, & Horizonti parallelum; is projecto mihi recedenti, atque ex obliquo spectanti, ut ellipsis videbitur, cuius major diameter Horizonti ubique parallela apparebit: sed eo angustior ellipsis futura est, quo magis ex obliquo spectabitur: donec oculo ita constituto, ut circuli planum, si produceretur, in ipsum concurreret, tum nulla ellipsis, sed exilis quædam linea videatur. Idem fortasse in *Saturni* annulo evenit, cuius diversæ phasæ ex variâ Solis illustratione, & radiorum visualium obliquitate dependent. Quocirca cum *Saturni* locus ab assignatis æquinoctiorum punctis non longius, quam sex gradibus diffidet, tum globosus, & brachiis privatus sub aspectum venit, quod annulus radios à Sole non directos, sed maximè obliquos excipiatur: vix enim duobus gradibus supra annuli planum assurgunt, quanta scilicet est *Saturni* in eo loco existentis declinatio. Non ignoro apparentem cuiusque planetæ locum nonnihil ab eo quem in suo excentrico occupat, differre: sed ubique appareat, & quanta sit visus supra annuli planum altitudo, si reipsa *Saturnus* obliquioribus radiis à Sole illustretur, & debiliori luce perfundatur, numquam sui copiam faciet. Major quidem, vel minor visus altitudo, seu loci planetæ apparentis declinatio efficit, ut latior, vel angustior el-

**

I. B. DV HAMEL EPISTOLA

lipsis cernatur; sed declinatio à Sole fortiorum, aut debiliorem irradiationem præstat, & saltem duos gradus cum aliquot minutis' obtinere debet illa declinatio, secùs ipse annulus visus aciem eludet. Sic anno 1612, circa solstitium æstivale apparabat Galileo Saturnus in 18. gr. Piscium, hoc est, duobus gradibus cum semisse ab æquinoctio suo diffidere videbatur; ita ut declinatio, seu altitudo visus vix esset unius gradus, & tamen duo, ut tum existimabat Galileus, visi sunt satellites, vel potius brachiorum extrema, quæ cùm eminè, & exiliori tubo cernerentur speciem duorum siderum præbebant. Saturnus quippe longius quām apparebat, ab illis punctis saepius nominatis distabat: non igitur sola visus obliquitas efficit ut brachia, vel ansulae penitus evanescant. Contrà eodem anno circa mensem Novembrem cùm Saturnus esset stationarius apparebat, in gr. 11. 10. min. Piscium, adeò ut ab æquinoctio suo 9. 20. min. distare videretur, quibus ex vulgaris declinationum tabulis 3. 42. min. respondent, & tamen annulus sub obtutum non veniebat; quod revera longè propior foret æquinoctio suo, quām videretur, & altitudo Solis esset dumtaxat 1. 36. min. Non ergo apparentis, sed veri loci ratio habenda est: Nam superficies quæque eo illustrior conspicitur, quod radios excipit directiores, ex quocumque spectetur situ. Quod si tamen nulla esset visus declinatio, seu altitudo supra annum illustratum, tum circulus ille non cerneretur. Contingit aliquando ut superficiem annuli nobis aversam Sol collusret; cùm nempe ejusdem anni planum inter Solem, & visum nostrum incurrit; tuncque aspectum nostrum fugit, & Saturnus planè sphæricus apparet. Iam ulterius intendamus animum, & videamus quanto tempore globosus, ac brachiis suis carens Saturnus sub oculos cadat. Cùm

AD CL. VIRVM P. PETIT.

Sex gradibus ante & post vigesimum Piscium, aut Virginis id fere contingat, atque unius mensis spatio unum itidem gradum in propriâ orbitâ Saturnus perlustreret; necesse est ut toto vidente anno sine ansulis, aut brachiis conspicatur. Hoc itaque in unâ revolutione bis, nimirum in vitroque suo æquinoctio usque venit. Hinc Galileus sub finem anni 1612. & initium anni 1613. Saturnum suo satellitio, ut credebat, nudatum, & figuræ sphærica obseruavit. Idem post triginta annos Gassendus, nempe sub finem anni 1642. ac decimoquinto post anno nempe 1656. idem denique comperit Hugenius. Id ipsum anno 1671. recurret. Quemadmodum anno 1664. ellipsis latissima futura est, quando Saturnus alteri solstitiorum erit finitus. Illud quoque non indignum est quod obseruetur, illustriori luce Saturnum fulgere, quando ansas habet apertissimas, quod à circumducto annulo, ut terra à corpore lunari lumen mutetur. Neque tamen annulus est instar Lunæ mobilis; sed immotus consistit, quamvis forte circa suum centrum, unâ cum Saturni globo instar turbinis volvatur. Multum quoque in eam sententiam, licet dissentiat Hugenius, propendo, annulum cum ipsis planetæ corpore committi: nam interjectus forfasse liquor radios non quaqua versus regerit; hinc sub obtutum non cadit, nisi instar zone nigricantis, non secùs ac lunares maculae; quid enim aliud est cingulum illud subnigrum, quod medium ferè Saturnum dirimit, maximè ubi globosus cernitur, nisi extremus annuli limbus? Zone quoque nigritores in aliis planetis, ut in Marte, visuntur; in Iove quadam lucidiores deprehenduntur; que cum sint variae, & inconspicantes, vel nihil quam maculae existunt; vel circumfusi vaporis; aut nubes nostris non dissimiles fingi possunt. Trilateram verò Martis rupem, nigram in medio ejusdem planetæ

I. B. DV HAMEL EPIS TOLA

corpore maculam, atque alia ejusdem generis à Fontanâ conficta rejicit Hugenius, qui primus omnium lunulam circa Saturnum tribus ferè scrupulis ab eo difficiliter deprehendit. Hac 16. dierum spatio circa Saturnum, ut Luna circum terram gyret. Hoc autem à Lunâ differt, quod in plano aequatrori, & annulo Saturni parallelo, Luna verò in zodiaco, vel orbitâ propriâ non amplius, quam quinque gradibus ab eclipticâ declinante moveatur. Quocirca si quatuor Iovis satellites, & Saturni comitem septem planetis ab omni aëro cognitis adjungamus, duodecim planetæ exsurgent. Sed quid cause est, cur observationes Astronomorum circa Saturni brachia adeò inter se dissident? An quia plerique telescopia non satis exquisita, & ampla adhibuerunt? Hinc quidam extrema brachia ut globulos lucidos; alii ut ansas cum Saturni corpore non cohærentes videre sibi visi sunt: quia debilius brachiorum lumen à fortiori planetæ luce obscuratum minoribus tubis discerni non potuit.

Non mihi excidet in ense Orionis, ubi tres stellas Astronomi signant, 14. Hugenium deprehendisse, quarum septem trans nebulam candidiorem fulgent. Ejusmodi verò nebulæ nusquam nisi in hac firmamenti regione conspicitur. Omnium porrò stellarum diametri nullâ donantur latitudine, sed quasi puncta lucida exhibentur, cum telescopiū vitrum oculo proximum fuligine leviter aspergitur, ut circumfusi radii qui sidera in ampliores species spargunt, penitus arceantur: secùs lux illa asciitia semper nobis imponet, quantumvis vitra tegantur, & vel minimâ apertura radii excipiuntur. Nihil huc necesse est de arcane longitudinem ex astu maris inveniendarum prolixam disputationem texere? Nihil quoque opus est, periodum Julianam à Scaligero excogitataam, rüberius expen-

A D C L. V I R V M P. P E T I T.

dere , de quā te coram quid mihi videretur , aperui ; neque aliorum opinione s , quā veras quā falsas tueri velim. Nam diu est , quod in dissertationibus tuis Chronologicis hanc Scaligeri periodum pervellisti , eique epochas quae eram vulgarēm , vel antecedunt , vel subsequuntur præposuisti. Nec fortassis immerito illam periodum inter difficiles & inutiles negotia referre soles. Verū ista sunt alterius loci : ac video jam me Epistolæ modum excessisse.

Nunc vehementer te oro , ut ad me mittere non graveris observationes tuas eclipson accuratissimas , neque non dissertationes de latitudine Parisorum , magnetis declinatione , novo & fictio quodam mundi systemate memoria posteritatis dignissimas , quas mihi non ita pridem , cùm apud te essem , amantissimè obtulisti. Non ea tantum causâ postulo quod Astronomiae nostra magno sint ornamento futura : sed est profecto è re literarie dignitatis , ut tam præclara opuscula in apertum proferas , neque iis lucem diutius invideas. Vale , V I R E X I M I E , & nos amare porro persevera.



ERUDITISSIMO VIRO D.
IOAN. BAPTISTÆ DVHAMEL
P. PETIT MONLUCIANVS
S. P. D.

R D V A haud dubiè res est (**VIR CLARIS-**
SIME) veritatem sedulò inquirere & ingenuè
profiteri , sive obvius errorum tenebris , vel ho-
minum ignaviā implicetur , sive rara sit tem-
porum felicitas ubi sentire quæ velis , & quæ sentias dicere
liceat . Hinc mihi primus ad Philosophiam gradus esse vide-
tur , genera rerum & proprietates discutere , ut quid in singu-
lis verum sit attonitè perpendat Physiologus ; alter ut quod sibi
compertum fuerit sincerâ fide palam faciat , nec sibi plus
ipse , aut aliis quam par sibi arroget , aut quam ratio ferat .
Sed quam pauci sint qui hoc rite agant , & qui in intima na-
tura penetralia sibi facto adiut posteris proficere studeant , no-
runt omnes : sunt enim nonnulli qui veritatis adipiscenda ne-
gotio deterrentur , nec sine causa : in hoc enim studii multum
& industria plurimum adhibendum est : alii hanc vel expe-
rientialia duce , vel ratiocinio partam scriptis consignare desi-
des negligunt : cæteri tandem sibi quid ab imperitorum di-
cterioris metuentes , neve insanabili scribendi cacoëthe teneri
videantur , à scriptis abstinent . Nihil enim novi aut ex se
proferre , quid aliud est quam libellionem , aut amanuensem
agere in exscribendis aliorum apographis , aut ipsamet digi-
torum prurigine laborare ? De re autem nova certa vel conje-
cturali , immo critica , vel leve quidem opusculum ab eruditis

AD ERVD. IOAN. BAPT. DVHAMEL.

viris præferri solet immensis voluminibus tot commentatorum
et interpretum, in quorum libris si ipsius authoris textum
excipias, nihil nisi verba, et voces ipsoque sapientis obscurio-
res continentur. Hinc est quod tua scripta meo quidem judicio
numquam obliterabuntur, in iis enim te criticum serio luden-
tem, aliorum errata festivè detegentem, et in abstrusioris Phi-
losophiae referandis mysteriis omni demum scientiarum genere
versatissimum universa posteritas commendabit. Si autem
Varronis scripta, quæ doctrinam potius quam eloquentiam pro-
babantur, ceteris omnibus anteponenda censerit Orator Ro-
manus, quid non præstabunt ii qui solidâ eruditione potius
quam specie verborum adducti, in evolvendis tuis codicibus,
ponent operam: iisque qui in illis Latini sermonis nitorem et
pure putaque Latinitatis elegantiam (Philosophia vulgaris
in scholas ablegatâ barbarie) perspiciunt? Vtrique proculdu-
bio tibi grates agent, imò soleritiam tuam, sagacitatem et in-
dustriam condignis efferre laudibus satagent, quod in enodan-
dis difficilioribus Mathesiis et Physica locis (putâ Fossili-
bus, Meteoris, Lumine, et Astronomia) ita te geras, ut alla-
sis ab interlocutoribus tuis, quotquot hactenus de re qualibet
fuerunt opinionibus, dubiis discutiantur, et abjectis improba-
bilis, vere tandem æquiori mentis trutina expensæ, soli-
dis rationum fundamentis stabiliantur. hinc fiet ut sicut non
uno et eodem tramite per vastum mare navigia feruntur,
ita variantia studiosorum ingenia diversimodas habeant ve-
ritatis investigandæ semitas; et que sibi magis arrideant am-
plete etantur; et sic emenso longioris tractus itinere, tuto
tandem et feliciter portum obtineant. Hocque unum magis
demirabuntur, qui scripta tua lustrabunt, quod in iis aber-
rantium placita circa invidiam refellas, probatiorum quo-

P. PETIT EPISTOLA

rumvis sententias religiosè narres, tu àque sincrè & secluso
tumentis animi fastu aperias, nec mordicus tuearis; imò ea
revocare sis semper paratus, quoties mentem subierit verior co-
gitatio, sive tua sive aliena. Hoc igitur in te perspecto anti-
mi candore, non est quid mireris, cur communicatā mibi,
adhuc sub p̄lō versante, Astronomiā tuā, liberè te mo-
nuerim de nonnullis quæ in Epistola tua commemoras. De
quibus si quid verius liberali quadam audacia protulerim,
ut à te veniam deprecor, sic ab omnibus liberalis disciplinæ
studiosis gratiarum actiones, jure quodam compensationis,
sperare ausim; præsertim quid hæc eadem scripta vberiori
Epistolâ tuâ quasi auctario locupletaverim; in qua præter
confutationem, tot gladiis quot verbis jugulum petentem, do-
ctrinæ longiudinum ex reciproco maris astri ab Arconsio
propositæ, & à te bona fide relate, novum insuper Saturni
Systema à Clariss. Huggenio nuper evulgatum, sed con-
tractum in epitomen profers, ut nihil defit Astronomiæ tuæ.
Quod à me porro humane rogas, ut ad te mittam Opuscula,
quæ tibi me officiosus invisenti videre contigit, Observa-
tiones nempe nonnullarum eclipsēw, cum animad-
versionibus nostris; dissertationem item de latitu-
dine Parisina, & variatione magneticæ declinatio-
nis: tum novi cujusdam Mundani systematis ex-
planationem, quod anno M. D. C. XLV. anonymous qui-
dam Illustrissimo Galliæ Cancellario obtulit, paucisque ab-
hinc annis perperam rursus afferuit, cuius eo jubente castiga-
tionem suscepseram, & Clariss. illius Medico, virisque no-
strum amantissimo, D. Chambreo scriptis consignata
tradideram. Lubenter exequor, cōque securius, quo te fideiasso-
rem meum & vadem erga posteros habeam, utiles ius futuras res
nostras

AD ERVD. IOAN. BAPT. DVHAMEL.

nostras quas monumentis etiam tuis adjungi vis & commen-
dari. Adde quod Appendix instar, Astronomiae tuæ
propter argumenti similitudinem, adjici non prorsus est alic-
num, præsertim Solis & Lunæ eclipses, de quibus ca-
pite ultimo sic ais: non fallere quidem demonstratio-
nes Astronomicas, sed multa inter obseruandum
occurrere, quæ nisi caueantur, in errores inducunt,
obseruationesque incertas ac lubricas efficiunt. Is
autem causæ devitandis non leves (ut spero) monita nostra fe-
rent suspectias, præsertim investigando tempori vero eclipses
Lunæ, in quo majorem (ut est revera) difficultatem constituimus,
quam ex pendulorum horologiorum nuperrime inventorum usu
penitus tolli, fusius ibi & accuratius demonstravi. Ad sta-
biliendam verò elevationem Poli Parisiensis, in qua fla-
tuenda, ut & in variatione magneticæ declinationis,
dubius habebas, non parum lucis & utilitatis afferet frag-
mentum Epistolæ nostræ ad clar. Sauvallain, ea de re
scriptæ; ut hæc imposterum latitudo rata sit & fixa, saltem
inter 52. & 54. minuta præter 48. gradus, indéque facilis &
expedita methodus cujuslibet loci latitudinem rite obseruandi
Astrophilis innotescat: quâ si rectè utantur, nœ in Astrono-
mica praxi quidpiam verius frustra desiderent. Porro de dis-
sertatione illa novi systematis mundi, quam à me fla-
gitas, abunde habeo sicut quod expleat, imò quo gratissimam
mihi fuisse super ea re percontacionem tuam palam & aperiè
testificer: Primum, quod authoris amicis & fautoribus etiam-
num illud arrideat, licet de hoc dici posset, quod bellè & fe-
stivè de alio commemoras, meram esse fabulam, & vigi-
lantis cerebri somnia, hominisque otio & literis in-
temperanter abutentis deliria, qui ea scripsiter quæ nec

PETRI PETIT EPISTOLA.

demonstrari, nec ratione suaderi possint. Præterquam quod etiam si haec opinio ridicula emendatione non egeret, opportunam tamen dederis occasionem, restituendi locum quemdam Ptolomæi, (quem graviores authores perperam hucusque ex oscitanier intellexerunt) uno solo iota mutato in omega, ex iuu facto iudicari: quem etiam si magnus ille Scaliger ævi sui Criticorum Princeps adverisset, (ut me fecisse gloriari possum) ejusdem Ptolomæi Geographiam & Almagestum iteratis typis excudendum curasset, ut in fronte gestaret editio nova locum emendatum cum hac epigraphe, PALMARIA CORRECTIO, uti fecit, cum verba illa apud Q. Curtium, de curru Darii Nini & Beli gerentis effigiem, eruditè detractâ unâ literâ ex alterâ additâ restituisset. Mitto ergo ad te lubens que peramanter à me rogasti O-puscula, tum ut ea ab inseritu vindices, tum ut pröponsi in te animi mei benvolentiam ex obsequiis hoc Epistolio significem: quæ enim te velle, quæque ad te ex ad tua pertinere arbitrabor, omnia studiosè diligenterque curabo. Vale, VIR ERUDITISSIME, ex me amare perge. Dabam Lutetia Parisiorum, ipso intercalari die anni M. DC. LX.



E R R A T A.

In Astronomia p. 107. lin. 12. 365. dierum 49. min. lego 365. dierum 5. horarum; 49. min. p. 111. l. 7. nunc demum 23. gr. 30'. lego 31'. 30".

In Epistola l. B. Duhamel pagina 5. linea 20. qui Saturnum, lego quod Saturnum, pag. 6. lin. 24. detineat, lego delineat,

P E T R I P E T I T
M O N L V C I A N I
R E G I I S A R C I B V S M V N I E N D I S P R A E F E C T I

O B S E R V A T I O N E S A L I Q V O T
E C L I P S I V M S O L I S E T L V N A E .

D I S S E R T A T I O
D E L A T I T V D I N E L V T E T I A E ,
E T M A G N E T I S D E C L I N A T I O N E .

N O V I S Y S T E M A T I S
A B A N O N Y M O P R O P O S I T I
C O N F V T A T I O

*Ad Clariss. V. D. de la Chambre Regis
Christianissimi Archiatrum ordinarium.*



OBSERVATIONES ALIQVOT ECLIPSIVM SOLIS ET LVNÆ CVM NOTIS AD ID PERTINENTIBVS.

*Observatio Eclipsis Solis anno æra vulgaris 1659.
Novembris die 14. Parisiis.*



MISSIS quæ de varietate calculi lumenarium secundum has aut illas hypotheses, & super his extructas tabulas præmitti possent, tum quæ ex differentia visæ, & ex variorum Ephemeridibus, & tabulis præsignificatæ eclipses eruditæ adnotabunt Astrophili, rem ut se habuit sigillatim recensere, eamque posteritati consulentes scriptis consignare conabitur, studiosam inde amicis obsequentiam, exteris vero ingenuam, imo gratam (ut censeimus) operam testificantur.

Qui per octiduum ob densissimas nubes & caliginosum cælum vix apparuerat Sol, tandem 14. Novembris circa nonam matutinam cum spe serenitatis affulsit. Confestim apparere instrumenta, telescopia nempe cum globulis illa, chartas, & asseres speciem Solis excipientes circumducentibus, attollentibus, & deprimentibus; sextantem pedum sex diametri, & quadrantem trium, utrumque æneum in minuta exquisitè divisum cum pinnacidiis, perpendicularis & volubili suspensorio; horologia dentata tria, illaque pendulorum ope accuratissima, scrupula prima, & secunda exhibentia, quorum unum clariss. D. Huggenius (novæ istius fabricæ inventor) mihi nuper rimè confici curavit Hagæ Comitum, alia duo ad exemplar istius, hic me dirigente fabrefacta: quibus, sicut aliis hujus fabricæ horariis, nihil unquam certius & expeditius ad momenta temporum designanda exoptari potest, modo ad Solem diebus, aut saltem horis aliquot ante, ritè dirigantur. Quod perop-

2 OBSERVATIONES ALIQVOT

portunè factum fuit horā meridianā ipsius diei 14. Novembris ad murale sciotericum septempedale , & ferè meridianum, quod ego ipse in ædibus meis summâ curâ , & omni gnomonicae æxplorâ alias delineavi ; cuius ope , durante eclipsi differentias temporum (si quæ cum horologiis dentatis , & altitudinibus Solis interfuerint) conversis dumtaxat oculis explorandi cuilibet patebat facultas. Hoc tandem apparatu, his machinis instructi ad ritè peragendam observationem omnes accingimur.

Sed quoniam ex variarum tabularum calculo, initium eclipsis 20. aut 30. minutis post horam à meridie secundam futurum indicabatur , & cùm sub hanc ipsam horam agitatis hinc inde nubibus Sol delitesceret, ideo de tempore parum solliciti, minùsque ad machinas attenti fuimus, colloquiis & controversiis (vt verum fatear) circa telescopia & funependula utique distracti; interim adstantium quidam per densissimum vitrum jam temeratum Solem transpiciens , ad nos conversus, inquit, abstinetè à rixis quæso , & observe, Luna jam discum Solis multùm obscuravit. Illicò ad instrumenta currere. Hic ad tubospicilla , isti ad quadrantes, alii ad horologia , vnaque omnes munere suo fungi; ille duobus digitis cum semisse Selenem defecisse , hi 16. gradibus & 30. minutis altum, isti duas horas cum 15. minutis , & 25. secundis simul conclamarunt. Ita hoc inexpectato casu initium eclipses à nobis prætermissum fuit, ex subsecutis tamen phasibus (quas vnicuique observatorum quantum per nubes interfusas , importunos item adstantium itus & reditus , & instrumentorum volubilitates venari licuit) posthac sarcendum. Vt sequens observationis series uno prospectu distinctius exhibebit.

<i>Digitii eclipt.</i>	<i>Hora ex horologio.</i>	<i>Altitudi- nes Solis.</i>	<i>Tempora ex altit.</i>	<i>Arcus Solis obscuratio.</i>
2	2 13' 40'	16 30'	2 13' 20"	
2 $\frac{1}{2}$	2 16 25	16 15	2 16 15	
3	2 19 50			
4	2 26 30			
5	2 33 20			
5 $\frac{1}{4}$	2 35 15	14 25	2 35 11	
5 $\frac{1}{2}$	2 37 20	14 17	2 36 32	115
6	2 41 0	13 37	2 41 25	119
7	2 50 40	12 40	2 51 11	130
8	3 1 50	11 20	3 3 44	140

Obstitero nubes captandis phasibus majoris obscuritatis. medio item eclipsis adipiscendo, attenuatis tandem & rarescentibus emergentem Lunam serenus cæli status in hunc modum nobis exhibuit.

<i>Digitii.</i>	<i>Hora ex horolo.</i>	<i>Altitud. Solis.</i>	<i>Tempora ex altitudinibus.</i>
5:	3 49' 40"	5 38'	3 50' 44"
4	3 56 α	5 0	3 55 16
3 $\frac{1}{2}$	3 59 0	4 35	3 57 0

Reliquas phases, vti finem eclipses obinguentes nubeculas, occasum Solis intervenientem, ejus item occultationem pone fastigium porticus regiae luparæ, observare non licuit. Horâ tamen 4. 20'. horologiorum nulla in eo amplius nudis oculis visa est obscuritas; (nec enim tubos vterius adhibendi sufficiunt locus) vnde Lunæ emersionem concludere vox una fuit, simileque valedicere.

Sicuti verò ex observatis temporibus incidentiæ digitorum 3.4.5.6.7. & 8. ipsorumque differentiis proportionaliter, & ad accuratissimam mechanices rationem ritè continuatis, initium eclipses citra lapsum sensibilem per retrogradationem statui potest horâ 2. 1'. præterpropter: ita medium illius & maxima obscuratio (digitorum circiter 8. cum semisse) contingere debuerunt horâ 3. 12'. Cùm enim ab observatione digitii quin-

a ij

Initium
Eclipsi.

4 OBSERVATIONES ALIQUOT

Medium. ti incidentia, ad digitum quintum emersionis fluxerint ferè 76. minuta, ex eorum dimidio nempe 38'. addito tempori digiti quinti prodibit eadem hora 3. 12'. quam idcirco ratam & fixam habemus pro tempore medietatis. Finem autem pari ratione venamur collatis temporibus incidentia & emersionis, vt enim ex predictis ab initio eclipsis ad digitum quintum fluxere 31. ininuta temporis, ita à digito quinto emersionis ad finem defectus fluere debuerunt totidem minuta 31. quæ si addantur horis 3. 49'. 40". exurget hora 4. 20'. 40". quâ Sol debuit esse penitus liber à Luna, vt revera talis apparuit..

Finis.

*Quanta
Luna dia-
meter.*

Per quod autem punctum à vertice disci solaris Luna sit ingressa, vel egressa, nihil equidem certi definiendum habeo, præsertim cùm initium & finis defectus nobis exciderint, nec fatis perspectæ fuerint phases ipsius tam crescentes, quam decrescentes; hoc nobis invidit variantis cæli lubrica facies, istud prohibuit tenebrosus aët intercurrentibus nubeculis undeaque obductus, vtrumque non sivit nimius spectantium concursus, qui, debito apparatu institutæ, & rectius (vti decreto erat) peragendæ observationi remorat fecit intempestivis confabulationibus, & vagante interim turba, instrumentorum vsum penitus ademit: quam jacturam nullis in posterum artibus restituendam non parum dolemus.

Quoad verò Lunæ diametrum attinet, solari minorem apparsisse ostendunt observationes digitorum 5. $\frac{1}{2}$. 6. 7. 8. quorum præcipua sexti, Lunæ arcum exhibuit per Solis diametrum transseuntem, nec 120. gradus circumferentia illius comprehendentem, sed tantum 119. incirca. Vnde concluditur peripheria Lunæ apprens minor solari: in qua autem proportione calculus exhibebit certiorem, cui cura & otium fuerit omnes supputandi, nos ex 7. & octava comperimus Solis ad Lunæ diametrum visibilem fuisse ut 1000. ad 992. Si non concordant alia, oritur differentia ex varietate imaginis, quæ tam certò & æqualiter ex utraque parte circuli hanc excipientis, propter mobilitatem continuam radiorum Solis & telescopii, momentanea inspectione notari non potest, quin committatur aliquis error. Ex omnium tamen comparatione certi aliquid elici potest, quod de aliis etiam observationibus & præcipue altitudi-

ECLIPSIVM SOLIS ET LVNÆ.

nibus Solis intelligendum est. Nec enim potestas vñquam fuit ^{Numquam} exactissimo cuicunque observatori suas omnes horas ex altitudinibus syderum, sibi, horologis, & veritati ad amissim ^{sibi con-}gruit emere ^{obseratio-}congruas invenire, cùm nullus sit variis vicibus idem tentandi locus ob inquietam cæli conversionem. Quæ præcisio seu exacta ratio, desideranda, etiam si deficiens in minutis aliquibus, non obstat tamen certitudini totius observationis, & fructui elicendo in posterum, ad emendationem tabularum & hypotheseon.

Hoc vnum addam Apologeticum pro differentiis temporum ex altitudinibus Solis elicitorum, & ab horologiis designatorum. Quamquam parum sensibiles sint, nec aliter aut exactius quibuscumque modis observari soleant, vt prædixi; quæcumque tamen sit illa discrepantia, oritur ex minutis aliquibus quatuor datu elevationum, (quod vitare in duobus instrumentis, & à duobus observatoribus fili tactum, vt cuique videtur taxantibus, plusquam humanum esset; cùm interim dentata horologia pendula numero tria, ne uno quidem minuto temporis per mensem discrepantia, ac proinde simul incendit, toto decursu eclipsis intervalla phasium æqualiter proportionaliter sic discriminarent; vt si quæ intercedit differentia eata procedat ex æstimatione arbitraria phasis alicujus seu dìgitij jam existentis, qui forsitan nondum erat, vel præterierat. Vnde rectè & seriò concludendum videtur, nova ista automata, dummodo plures comprobata inter se collata, & alicui sciatherico grandi & exquisito seu linea meridianæ, aut aliæ certissimæ aliquot horis ante observationem adæquata sint, quibuscumque aliis instrumentis licet ingentibus præferenda esse, quibus si Tycho, Lantgravius, Keplerus, Wandelinus, Gassendus, Bulialdus, Hevelius, & alii non caruissent, quot & quantos profectus in rebus Astronomicis egissent, & ad nos transmisissent, nec fortasse jam hæreremus in eligendis tabulis exactioribus ad calculum planetarum & præcipue eclipseon, quarum aliæ 15. & 20. aliæ 30. & amplius minutis, tempora defectuum, vel anticipant, vel subsequuntur. Et quod mirum videri debet, & notatu dignum, in observatione eclipseos solis anni 1652. die Aprilis 8. quam etiam typis mandavimus,

*Horologie
cum pendu-
lis utilissi-
ma.*

6 OBSERVATIONES ALIQVOT

vt omnium quotquot ab orbe condito scriptis consignatae sunt
maxime insignem, & diligentissimè observatam à compluribus
iisque magni nominis Mathematicis, vel in minuto concur-
rentibus etsi loco dissitis, & in observando diversis. In hac, in-
quam, descriptione eclipsis adnotavi hujus calculum ex Longo-
montani & Eichstadii tabulis deductum præcessisse initium vi-
si defectus plusquam 10. minutis. Ex Philolaicis plusquam 15.
ex Copernicæis plusquam 25. Ex Lansbergianis plusquam 37.
& ex Rudolphinis plusquam 45. Hanc autem de qua nunc agi-
mus eclipsim tabulæ supradictæ, & novæ, subsecutæ sunt plu-
ribus minutis, ita vt fallente calculo initium defectus incau-
tos præterlaberetur, cùm nequidem ad instrumenta parati
essemus. Calculus enim ex tabulis illustriss. nec satis mirandi
Comitis Pagani illud statuebat tantum, hora 2. 23'. cum æ-
quatione temporis additiva 15. minutorum, vel hora 2. 8. mi-
nuta sine æquatione jam dudum à Wandelino rejecta, totam-
que durationem horarum 2. 15'. Ex Alphononis Muleri ini-
tium hora 2. 21'. durationem 1. 57'. ex Tychonicis initium 2.
14'. durationem 2. 13. ex Rudolphinis 2. 30'. & 2. 6'. Cùm ta-
men incepit hora 2. 2'. & finierit hora 4. 20'. Cujus diligen-
tiae lunaris in hac eclipsi, pigritiæve in illa rationem reddere,
vt & magnitudinum durationumque in aliis, ex rite & rigidè
nunc temporis observatis, & in posterum observandis sperare
nostrum erit, & posteritatis assequi.

*Sol elemen-
tum ignis.*

*Aër natura-
frigidus.*

Ne quid verò prætereat notatu dignum, sensimus deficiente
lumine Solis, deficere etiam calorem tam sensibiliter, vt vnu-
quisque nostrum brumales optaret vestes, quod idem observa-
veram anno 1652. vnde magis ac magis in ea mente confirmor,
vt existimem, quidquid contrà sentiat vulgus, nullum aliud esse
elementum ignis, præter principium illud luminis & caloris, pri-
mumque calidum & Solem converti vt dicitur in scholis, sicut
ex mea sententia frigidum primum, est aëri pse, qui purus & non
affectus ab extrinseco seu Sole, aut alia causa externa nobis &
vbique terrarum semper est frigidus, idque per consequens
obtinet à natura, quod alias alio loco à me fusiū est dispu-
tatum.

De maculis porro solaribus nil h̄c dicendum habeo, nullæ

enim tum observatae sunt, sed ab omni labe detersus si nubes excipias visus est Solis discus. At colores, identidem apparentes in charta, & in confinio lucis & umbræ ipsius limbum variegantes, cur negligenter scriptis mandare tempore eclipses, rogatus à viro aliquo eximio, sed dioptrices ignaro mihi adstante ac referente ad portentum hoc spectaculum; cum nec locus aut voluntas esset hominem tunc docendi, conticui: sicut & aliæ coram ejusdem ingenii Consulari viro, qui in eclipsi memoranda anni 1654. me vehementer sollicitabat ut illi ostenderem caput illud Draconis tam formidandum, in quo luminaria concurrere dicebantur, & tot atroces eventus ipsumque mundi interitum certò præfigire, (quis enim cordatus moveatur his inféptiis.) Circa colores inquam rogatus quid sentirem, hac animadversione satisfecisse putavero & rem fortasse non inutilem indicasse rerum Astronomicarum, Physicarumque amatoribus, cum monuero colores istos, ab omnibus eruditis eclipses in observatoribus Gassendo, Bulialdo, Hevelio, & aliis, vulgo neglectos ut minus ad rem pertinentes videtur existere ab aëre quicunque ille sit Lunam ambiente, vel etiam nostrate, sed præcipue ex refractione radiorum Solis in convexum vel concavum vitri, satis obliquè incidentium ad pingendos illos, ut dioptrices periti norunt, & sub quibus angulis unusquisque color appareat, quod in Iride sphæram crystallinam & prismatice vitro experimur. De quibus non est hoc loco ut fusè disputemus, sed doceamus potius ad rectè instituendam observationem imaginis solaris in charta, sive ad eclipses, sive ad maculas: opus esse telescopio quinque aut sex pedum longo cum suo concavo oculari ad objecta communia deprehendenda, quod ex globulo duorum circiter digitorum diametri efformatum erit, si patiatur bonitas objectivi. In cuius vitri concavi locum substituatur in debita distantia aliud minus concavum, & ad sphæram 3. digitorum tantum diametri excavatum, quod ea de causa minus quidem amplum representabit orbem Solis in charta, sed sufficientem & satis magnam nempe unius pedis diametri, & longè nitidiorem minusque coloratum, siquidem non erit tam obliqua radiorum incidentia & refractio: ad quod accedit etiam aliud ingens

*Vnde colores
circa discum
Solis.*

*Monitum
ad virundos
ipos in ob-
servando.*

*Quale de-
bet esse te-
lescopium ad
obseruan-
dum.*

8 OBSERVATIONES ALIQUOT

commodum, nempe diuturniori tempore fixa & immobilis totius machinæ positio, quæ secùs continuò mutanda & circumvolvenda si velis imaginem Solis in charta limpidam & sine colore excipere. Tum enim decet axem pyramidis radiosæ sic transire per centrum vitri concavi, ut æquales hinc inde sint partes basis illius, nec vna plus vergat ad extrema vitri quam alia, sed ambo circumferentiaæ, Solis scilicet, & dicti vitri sint semper concentricaæ & parallelæ. Quod obtinere cùm difficile sit propter continuum motum Solis, fere semper apparent colores variii ac variii secundùm variam radiorum incidentiam & refractionem; quod non eveniet in vitro patrum concavo, id est minoris concavitatis; optarem porro vitrum istud minus concavum majorem habere amplitudinem, seu circumferentiam magis concavo, tum ad vitandos colores ut dictum est, tum ad consistendum diutius in eadem phasi & observatione, dum interea Sol percurrit amplam illam concavi circumferentiam, in cuius ingressu forsitan colores aliqui sed diluti, in medio nulli, in egressu pauci conspiciuntur. Quoad tubum vero quo firmior erit & rectior, eo melior dummodò pollicis viuis faltem sit diameter interior, seu orificium illius circa concavum, & apertura seu amplitudo foraminis ad convexum ferè eadem, & quam fieri potest rotunda.

Omitto quæ præsigite solent Apotelesmatici ex diagrammatibus eclipsium, quæ quo grandiores notantur ab Astronomis, eo portentosiores ab Astrologis prædicantur, ita ut præcipue metus esse debeat penes regna, provincias, vrbes ac populos quibus incumbit signum, in quo deliquium contingit.

*Predictiones
ex hac eclipsi
176.*

Quod quidem credi si oporteat, Deus bone quam felices Gallia & Hispania, quibus sinistri nihil ex Solis hoc deliquio¹⁷⁶ in Scorpione signo virulento, minari ausit Astrologus audax licet, post confectam pacem pactumque hymenæum. Hos igitur malos effectus (nec enim unquam bonos, si fides judicariæ, producere consueverunt eclipses) metuant per me licet Norvegia, Suecia, Syria, Armenia, Cappadocia, Algerium, & aliæ tum provinciæ, tum civitates signo tam tristi & violento suppositæ. Neve frustra Sol defecisse videatur in signo Meridionali triplicitatis aquæ; esto, magnos & inexpectatos imbres cieat.

cieat cum plebis & ignobilium interitu, dummodo nos ab iis
immunes cladibus salvi vivamus & incolumes, verso Turci-
cum in imperium toto dumtaxat periculo. Ita enim superiore
sæculo conjectit Leovitus in prædictione eclipsis anni 1556. his
verbis: *Expertus sum cùm eclipsi aliquâ Solis, in Scorpione facta
est, Turcicum tunc Imperium in discrimine constitutum fuisse, ac
cladem insignem accepisse: anno enim 1547. 1548. &c. Quod
omen Deus Opt. Max. vertat in bonum Reip. Venetæ orbique
Christianæ. Sed quid ita excurro, & falcem in alienam messem
seu tribulos immitto? meminisse deberem quid produxerit
Apotelesma ad finem observationis eclipsis anni 1652. à me
ludendi causa additum: odium videlicet ac procacis convitia
linguæ, sed contemnenda ut ejus hominis, qui ab eruditis ne
nominari quidem dum viveret, aut redargui merebatur, licet
omnes lacefferet, ac præcipue artem Genethliacam, aut do-
ctrinam longitudinum Phrisii & Appiani ab ipso renovatam
improbantes: de quo plura dicere manes verant cùm pridem
ejus malevolentiam terra obtegat.*

Finem hîc feceram cùm rogatus à plurimis tum præclaræ
spei juvenibus, tum aliis Vraniæ & Mathematum cultoribus
eximiis, adhuc pergendum intellexi in iis exponentis qua
locus & occasio postulare videntur: aliis scilicet eclipsibus à
me observatis paucis abhinc annis, omissis antiquioribus tum
anni 1636. quam Trahonæ in Valtelina vidimus, tum aliis quas
Thesaurus observationum Gassendi nobis dum viveret ami-
cissimi & æternum observandi posteritati commendavit. Suf-
ficiat quippe hîc meminisse earum quæ contigerunt annis 1652.
1654. 1656. & 1657. Quarum primam anni scilicet 1652. licet
tunc typis mandatam, sed ob exemplarium paucitatem parum
divulgatam, & à multis nunc expirat, tum propter rerum
quas continet diversitatem, tum propter insignes aliquot even-
tus, bellaque Septentrionalia quæ inibi me invitum & veluti
jocantem prædictisse gloriantur Astrologi, & iterum prælo
committo: sed alia sane mente, nimis ne pereat prorsus la-
bor multorum illustrium virorum, qui vñâ mecum & separatim
ei observandæ variis in locis regiæ hujus urbis incubuere. Hæc
igitur & eadem hoc loco, licet extra ordinem, publici juris
iterum fiat.

*Venetis bo-
num omen.*

*Cur alia
eclipses sub-
jungantur.*

O B S E R V A T I O E C L I P S I S S O L I S ,
que contigit Parisiis anno 1652. die 8. Aprilis ante meridiem, facta in adibus Petri Petit Regii arcibus munientis Praefecti, ab ipso & à Dominis Jacobo Alexandre le Tenneur in Aquitanico vectigalium Senatu Consiliario Regio, Adriano Auzotio Rothomagensi, & Iacobo Busto Aquilensi, coram Eminentissimo Cardinale de Rets, & in numero cætu Illustriss. simul & Doctiss. virorum, Presulum, Abbatum, Religiosorum, Praesidum, Senatorum, Physico-Mathematicorum, &c. Cui subjuncte sunt insigniores ejusdem defectus observationes Clarissimorum Virorum.

TE M P V S verum prodiit ab altitudinibus Solis per quadrantes in gradus & minuta divisos acceptis, ostensum etiam ex duobus horologiis dentatis & immenso sciatherico murali horæ minuta exhibente adæquatis, sed excedentibus verum & observatum 36, aut 40 secundis huc illuc.

Initium Eclipsis ex Solis altitudine exactissima 38 grad. declinatione 7. 33. 42". & poli elevatione 48. 52'. erutum, constanter maneat horâ 9. 29'. 32". Quoad finem verò acquiescendum potius horologiis, ad proportionem initii reductis, quā tempori ex observatione altitudinis (circa meridiem parum sensibilis) elicto. Nec fuit possibile tunc Angulos Azimuthales, ut consilia erat, observare, sicut nec omnes incidentiæ & emersionis digitos per instrumenta, propter nimium spectantium concursum. Sit ergo finis Eclipsis hora 11. 51'. licet ex altitudine Solis observata 48. 41'. circiter, & ipsius loco in 19. 21'. 12". & eruator solùm hora per calculum 11. 50'. 39". medium verò ex observatib. & consequentiis hora 10. 40'. 40'.

Imago Solis per bina 4 pedum insignia telescopia refracta fuit, & expansa in circulum, cuius diameter pedis unius in 12 digitos divisa & subdivisa, circumferentia verò in 360 gr̄.

ECLIPSIVM SOLIS ET LVNÆ. II

dus, tam incidentiæ quam emersionis scrupula, & Lunæ diametrum exhibebant, ut conjicere licuit modo infrà scripto.

<i>Digitæ Ecliptici observati.</i>	<i>Hora Min. S. ex Horologiis.</i>	<i>Hora Min. S. ex observationibus</i>	<i>Altitudines So- lis obseruata.</i>	<i>Locus Solis in V ex tabb. Rud.</i>
Initium 0	9 30' 8"	9 29' 32"	38 0'	19 1 8 4
1	9 33 0			
2	9 36 8	9 35 25	38 44	
3	9 40 45	9 40 6	39 20	
4	9 46 3	9 45 20	39 56	
5	9 52 20	9 51 53	40 42	19 16 26"
6	10 1 3			
7	10 9 12			
8	10 19 28	10 18 28	43 30	19 17 27"
9	10 29 0			
10	10 38 36			
Mediū 10.20'.	10 41 20			
10	10 44 50			
9	10 53 0			
8	11 0 10			
7	11 7 2			
6	11 13 4			
5	11 20 52			
4	11 27 30			
3	11 33 35			
2	11 39 24			
1	11 45 15			
Finis 0	11 51 43	11 50 39	48 41	19 21' 12"

Luna Solem ingressa est à parte Occidentali ut solet, ferè per diametrum Solis horizonti parallelam, egressa autem ex parte Orientali, inter gradus 40. & 45. super dictam diametrum.

Eclipsis fuit 10 digitorum & 20. aut 25. circiter minutorum, totaque duratio hor. 2. 21'. 30".

Posita diametro Solis apparente 100. partium, Lunæ diameter visa est 102. Nullæ maculæ in disco Solis à nobis conspicitæ fuerunt..

12 OBSERVATIONES ALIQVOT

Initio Eclipsis speculum Parabolicum magnitudinis 15. pollicum, globulum plumbeum facillimè liquefaciens, sub medium Eclipsis, in ligno tenui & sicco vix fumum excitavit: nulla tamen obscuritas, sed ob lumen solummodo pallidum & debile, ut ingruente tempestate iuminutum, frigoris aliquantulum passa est Atmosphæra.

*Eiusdem
eclipsis ob-
servationes
alia clariss.
vitorum.*

Ex altera autem observatione facta à DD. Ægidio Persone-
rio de Roberval Regio Profess. Math. & Claudio Milon Pari-
fino, in horto III. D. Bruslart Abbatis Sammariniani Regi à
Consiliis, mediantibus Azimuthis & Calculo, initium appa-
ravit hora 9. 29'. finis autem hora 11. 51'. neglectis secundis:
diameter Lunæ, Solis diametro major: maxima obscuratio
fuit 10. digitorum cum quadrante circiter, qua secundum cal-
culum ex supplemento Ephemeridum Magini debebat esse 11.
digitorum: & medium defectus hora 10. 33' circiter, vnde se-
quitur differentia inter calculum & observationem 5 aut 6' tan-
tum, qualis ferè observata est in Eclipsi Solis mensis Iunii 1630.
cùm ex aliis tabulis plerisque 30. & 40' à vero recedant. Hæc illi.

Altera etiam ejusdem Eclipsis observatio facta fuit in Col-
legio Claromontano Societatis Iesu à R. P. Petro Bourdin Ma-
them. Profess. adjuvante D. Fran. Gaynot Philomathem.
coram Sereniss. Principe Henrico à Sabaudia Duce & Ar-
chiepiscopo Rhemensi, per planum Äquinoctiale 9 pedum
diametri in hora minuta distinetè divisum, quod exhibuit ini-
tium Eclipsis hora 9. 29'. 42". finem verò hora 11. 51'. 22". me-
dium autem & singulos incidentiæ & emersionis digitos pro-
pter exiguitatem disci Solaris in chartâ fortasse non adamassim
reductos, & à quibusdam suprascriptis, per aliquot minuta huc
& illuc discrepantes, nec inter se cohærentes hic inferere su-
pervacaneum duxi.

Ex observatione Clariss. Ismaëlis Bullialdi facta in ædibus
Illustrissimi Praefidis Thuani, initium fuit hora 9. 32'. finis ve-
rò hora 11. 48'. in quibus nesciretur quo fato solus à tot & tan-
tis observatoribus uno aut altero minuto discreparet, nisi ipse

ingenuè fateretur jūm incepisse obscurationem cūm obser-vavit, & priū desissē observare quām Sol obscurari, vnde ve-risimilius statuit initium hora 9. 30', finem verò hora 11. 50'. Ratione in semidiametri Solis ad semidiametrum Lunæ vt 100 ad 101, vel 102. Digitos Eclipticos 10. 25'. Lunæ ingressum in discum Solis per 88. gradum, & exitum per 44. grad. à pūcto verticali Solis. Cæteras observationes cum calculo ejusdem Eclipsis ex Tabulis suis Philolaicis deducto, & ab ipso typis mandato, vt videre licebit, ideo prætermitto.

Ejusdem deliquii observatores fuere in Collegio Navarræo per maximum sextantem Ioan. Becher Mathematum Professor, D. Picart, & alii hora 9. 29'. 30". initio, quod nobiscum exactissimè consentit, medium digitorum 10. 28'. finem verò non observatunt.

In Palatio Serenissimi Principis Ducis Aurelianensis Regis Patrui, Nobiliss. Eques Marchio de Villenes, Ioan. Baptista Morinus Mathematum Professor Regius, D. Agaratus, & in plerisque urbis ædibus alii etiam Mathematici, eandem Ecli-psim observarunt, quorum observationes si rite factæ fuissent cum instrumentis diligenter examinatis, & pinnacidiis debitè collocatis, cum superioribus coincidissent: sed ex eo quod sub finem Eclipsis, altitudinem Solis referunt majorem maximâ sive meridianâ, positâ elevatione poli 48. 53', satis liquet ipsos in aliis etiam altitudinibus tribus aut quatuor minutis ob defectum instrumenti aberrasse: ipsi juris publici facient si vi-derint.

Hac ego; qui ausquam gentium exactiùs observatam Ecli-psim facile persuaserim posteritati, cūm à tot viris Illustribus omni supellectile Mathematica instructis, cælo serenissimo, ab omni refractione libero, vtpore Sole admodum sublimi, viis & locis differentibus, idem minutum primum, cum discre-pantia solùm aliquot secundorum nocti sunt, quod ex diversa polaris elevationis, vel loci Solis suppositione, vel instrumen-torum lubrica dispositione, nec infallibili divisione, oriri po-tuit.

14 OBSERVATIONES ALIQVOT

Eamdem Eclipsim observavit Diniæ quæ est Orientalior Luretiæ 25 horæ minutis & sub elevatione poli 44. 6'. Clariss. & hujus sæculi Tycho, Petrus Gassendus cum Bernerio, per umbras rectas & versas, à quadrato Geometrico cuius utrumque latus in 1000 partes divisum erat, exhibitas, & altitudinis variationi circa meridiem insensibilis, opem ferente horologio sciatherico: de cuius tamen fine contendere nolens, vt habetur in ipsius Epistola ad Bullialdum & amicos scripta, initium statuit hora 9. 43'. cum deviatione diametri à perpendiculari graduum 75. medium hora 10. 51'. finem hora 11. 58'. cum deviatione à perpendiculari graduum 45. digitos Eclipticos 9. 24'. diametrum Lunæ 15'. 50'. circiter & Solis 15'. 20'. hoc est ferè ut 100. ad 103. vt ex præcipuis defectus phasibus diligentissime observatis, & inter se collatis, conjicere potuit.

Placuit matutinæ loco, & publicæ utilitatis gratiâ, calculum ex variis Tabulis Astronomicis ad longitudinem & latitudinem Parisiensem factum, & observationi supradictæ comparatum hîc subjungere, vt vnicuique pateat quænam proprius ad verum accesserint, & quibus utendum deinceps, dummodo compluries eodem recidant, nec enim satis erit bis aut ter penè scopum attigisse: cùm nullæ extant hypotheses & ex iis tabulæ, quibus ad aliquot Eclipses & Planetarum loca observata satisfactum non fuerit, his enim vt postulatis superstructæ sunt. Sed omnibus & singulis, futuris & præteritis, ad minutum respondere, hoc opus hic labor est nondum ad finem perductus, quod ex Lunæ motibus variis & irregularibus nec satis hactenus compertis manare certum est.

	Eclipsis vi appari-	Vt apparere	Ex Philo-	Ex Co-	Ex Læf-	Ex Ru-
	paruit Par-	debent ex	laicis & cal-	pernicieis	bergianis	dolphinis
	sis 1652. die	Longomont.	culo I. Bul-	Parisiis	cù aqua-	Medi-
	8. Aprilis.	& calculo	laldi.	D. Petri.	tione sp.	ceis.
		Eclatadii.		vii.	Tychoonis	
	Ho. Min. Sec.	H. M. S.	H. M. S.	H. M.	H. M.	H. M.
Initium.	9 29 30	9 18 52	9 13 39	9 4	8 52	8 44
Finis.	11 51 0' 11 53 38		11 32 43	10 8	11 20	0 44
Duratio.	2 21 30	2 34 46	2 19 4	2 4	2 28	2 0
Digiti.	10 20	10 42 38	10 36	11 20	11 52	10 46

A P O T E L E S M A.

CERTO certius est infaustos & insolentes per varias mundi partes eventus Eclipsem hanc subsequuturos. Timeant Reges, Principes, Magnates, subditorum clamores, defectio-nes, rebelliones: timeant proceres & Magistratus, civium con-tumaciam, plebis furorem, & Regum iras: timeant Ecclesiasti-ci & sacrorum cultores, nova dogmata, schismata, & impie-tates: timeant cives dissidia, lites, seditiones, & deliria, qui-bus plectantur: Mensularii & Trapezitæ fraudes & versuras: Nautæ, tempestates, turbines & naufragia: Rustici grandi-nes, gelu, siccitates, sterilitates, pecudum & jumentorum in-teritum: Populi denique omnes, bella, famem, pestes, incen-dia, inundationes, febres, vastationes, ruinas vrbiū, depopu-lationes, terræ motus, & quidquid asperum contingere solet hominibus, nec enim aliter quam olim, mundus ab infortu-niis securus esse potest. Timeant Hispani, Lusitani, Galli, Ve-neti, Allobroges, Rhæti, Itali, Angli, Scotti, Hiberni, Belgæ, Dani, Sueci, Poloni, Moscovitæ, Germani, Turci, & quo-quot in Europa populi deliquium hoc observarunt. Verum non extimescant, si quæ mihi fides, quasi effectus Eclipsis & influxus errantium & fixarum in hac aut illa domo, angulis, detrimentis aut dignitatibus collocatarum, tot & tantas divi-næ potentiaz ludentis in rebus humanis dispositiones. Nec Martem Eclipsis dominum, cum Venere in vndecima consti-tutum, nec Mercurium culminantem & luminaribus adstan-tem, in signo Ecliptico intercepto & æquinoctiali: nec Saturnum in aquatrico mobili & ascendentे, ipsis ad quadratum configuratum, & Iovi cadenti & subterraneo oppositum: nec ipsum Solem obscuratum, seu verius à Luna nobis creptum in domo & signo Regiis, loco & tempore suæ exaltationis & medio cæli: nec quidquid infaustum Arabes, Chaldæi, Græ-ci & Latini minantur ab Astris, reformident: nec suis labo-ribus defectionem sideris adsimilantes, ut cum Tacito loquat, rationum ignari omen præsentium accipient, & dies minaces

& in scelera erupturos sibi prædici putent. sed vereantur hæc
infortunia propter vicissitudines rerum & proximas ad hos
eventus causarum dispositiones, ex quibus certius quam ab
Astris Politici & speculatores futura prænoscere consueverunt,
quæ Deus ut averruncet hoc metro Boëtii ad rem, mo-
res & tempora apposito, compellandum horratur

PETRVS PETIT, Reg. Arcib.
muniendis Prefectus.

O stelliferi conditor orbis,	Laret obscuris condita virtus
Qui perperuo nixus Solio,	Clara tenebris, justusque tulit
Rapido celum turbine versas,	Crimen iniqui.
Legemque pati sidera cogis,	Nil perjuria, nil nocet ipsis
Vt nunc pleno lucida cornu,	Fraus, mendaci compta colore.
Totis fratris & obvia flammis,	Sed cum libuit viribus vti,
Condat stellas Lunaminores, &c.	Quos innumerè metuant populi
Omnia certo fine gubernans,	Summos gaudent subdere Reges.
Hominum solos respuis actus.	O jam miseras respice terras
Merito rector cohibere modo.	Quisquis rerum fædera necis.
Nam cur tantas lubrica versat	Operis tanti pars non vilis
Fortuna vices premit insontes,	Homines, quatimur fortune salo.
Debita sceleri noxia pœna,	Rapidos rector comprime fluctus,
At perversi resident celo.	Et quo celum regis immensum
Mores Solio, sanctaque calcant.	Firma stabiles fædere terras.
Injustâ vice colla nocentes.	Apud PET. LAMY, in Palatio 1651.

Hujus tam insignis Eclipsis observationi quatuor adjicio,
duas nempe solares, lunaresque totidem, annorum consequen-
tium, quas penes me servabam.

Prima sit mensis Augusti 1654. quæ nescio quo fato toti Eu-
ropæ terrorem tantum incussit, ut crederetur

tandem adfore tempus

Quo mare, quo tellus, correptaque regia celi.

Ardeat, & mundi moles operosa labore.

dæ qua tunc lusi Gallicè metro & oratione soluta, quod hic
nolo nesciri.

Secunda.

Secunda sit item solaris, mensis Ianuarii 1656. quæ licet & quæ exactè, & cum eadem cura per quadrantes, spicilla & horologia (exceptis pendulis) observatæ fuerunt, ut hæc anni 1659. & illa 1652. Ne tamen sum prolixior in describendis stylo historico singulis earum phasibus, &c. quod est in utraque præcipuum, placet referre paucis, earum scilicet initium, finem, & quantitatem.

Illi⁹ igitur tam memorandæ eclipsis quæ nescio quo con- *Anni 1654.*
tagio, non plebem solum, sed magnates & summos alioquin viros rerum physicarum ignaros, per totam Europam affecterat. Initium exxit Parisis 1654. die 12. Augusti Sole elevato 31. 34'. vnde colligitur ex ejusdem loco in 19. 30'. 38". & elevatione poli 48. 53'. qualem sapientius experti sumus, incepisse præcisè hora ante meridiem 8. 4'. 20". fuit ejus medium hora 9. 17'. 30". finis hora 10. 30'. 40". Sole elevato 51. 29'. digiti ecliptici numerati sunt 9. 17'. Ingressa est Luna discum Solis per 10. gradum à Zenith, egressa verò per 50. à Nadir, visa est uterque diameter Solis & Lunæ ad sensum æqualis.

Eodem mense & anno die 27. initium eclipsis lunaris apparuit cum stella quæ in dextro foemore Bootis elevaretur ad occasum 20. 25'. ex cuius ascensione recta 218. 16', & declinatio ne boreali 28. 48'. emergit hora 10. 12'. 56''. finis eclipsis cum fulgens in dextro latere Persei ad Orientem elevaretur 45. 28'. ex cuius ascensione recta 44. 46'. & declinatione boreali 48. 53'. elicitur hora 11. 42'. 32''. Observati sunt tres ferè digiti incidentia & totidem emersionis, sed medium propter nubes observari non potuit, sicut nec insigniorum stellarum altitudo.

Anno 1656. faventibus iisdem instrumentis, telescopio sci-
licet sextante & quadrante, dentatis horologiis & sciatherico septempedali suprà descriptis, opemque ferentibus eximiis viris & rerum cœlestium cupidis ac peritis, observata fuit altera eclipsis Solis die 26. Ianuarii, cuius phases omnes hic describere, vt supervacaneum foret, sic præcipuas omittere piactum. Ipsius igitur initium contigit Sole post meridiem alto 22. 17'. ex quo emersit hora 12. 18'. 26''. quam styli automatum & sciatheri, 20' post meridiem demonstrabant, quibus hoc ad tempus magis fidendum, quam exquisitissimis quibuscumque in-

strumentis altitudinum, cum propter exiguum elevationem refractionesque hyemales, cum propter intensibilem illius variationem circa meridiem, vbi minuta pauca altitudinis plurima temporis anticipare aut retardare consueverunt, ut est prænotatum. Initium igitur statuimus hora 12. 20'. finem verò Sole elevato 9. 53'. vnde concluditur hora 3. 5'. 20". satis consentiens ipsis horologiis: digitii ecliptici observati fuerunt 7.55'. ingressa est Luna per gradum 100. à verticali Solis, egressa verò per 10. diameter ipsius minor solari ad sensum, sed quæ ad amissum non potuit taxari propter variantem chartam quæ discum Solis excipiebat, nec telescopio satis firmiter adhærebat, ut vna cum illo moveri facilè posset, cui incommodo ut remedium adhibetur, nec densa corona circumstantium, nec tempus patiebatur.

Anni 1657. Aliam Lunæ eclipsim anno 1657. mense Iunio die 25. cùm observaturi essemus, tot nubes cælum obturbarunt, vt neque Lunam, neque aliud sydus deprehendere liceret, donec tandem emergens, per trientem adhuc esset obscurata, quod annotavimus (deficientibus tunc horologiis dentatis) cùm Arcturus esset ad Occidentem elevatus 50. 45'. vnde colligitur hora 10. 17'. 30". Finem verò eclipseos, spicâ Virginis altâ 16. 40'. cui competit hora 10. 40'. 10". Sed huic & similibus lunarium eclipsium observationibus, quas noctu exequi necesse est, ingenuè fateor non tam esse fidendum ob multas in observando tempore difficultates, vel ex parte pinnacidiorum, vel ex parte visus aut luminis deficientis alteriusve causæ, quæ bene sperandum imposterum nos habituros accuratiores. Pauca enim admodum sibi congruentes in uno eodemque loco, longitudinibus etiam aliarum civitatum per tabulas exhibitis proportionales, observatae referuntur: ex quo parum hactenus emolumenti ab iis eclipsibus in Geographiam & Astronomiam derivatum est ad longitudines, quæ tamen ex iis solis certius innescere deberent, quæ alio quovis modo, quandoquidem uno eodemque instanti videntur earum initium & finis ab omnibus, quovis loco dissitis, quibus tunc Lunam videre contingit.

Sperandum, inquam, posthac lunarium istorum defectuum,

*Observationes eclipsim
Luna incerte-*

*Quomodo
cerieres
sunt.*


sicut & solarium aliorūque cæli phænomenon , tam exactas fore observationes, vt ne vno quidem minuto à vero aberrare possint, ope scilicet pendulorum à non satis laudando & posteritate commendando Huggenio Zulichensi dentatis horologiis adhibitorum ad quævis intervalla temporis exactè designanda, nullam varietatem iis afferentibus calore aut frigore , humore vel sic citate, quod vix vñquain putassēm, aut ex Huggenii scripto publico, aut ex ejus privatis ad me literis, nisi tandem experimento doctus , assabirē facta & semel æquata ejusmodi horologia , Solis esse æmula & ideo falli nescia , sæpiissime probassēm. Sciant quippe omnes quibus hæc legere contigerit, tribus abhinc mensibus continuis, horologia quatuor ejusmodi , quorum duo cum pendulis plusquam tripedalibus , alia cum minoribus, omnique, minuta & secunda minutorum exhibentia , in vno eodemque cubiculo me asservasse , ac semper vno tenore eandem præcisè horam , & minutum inter se re præsentasse, nec discordasse tantillum à sciatherico meo septempedali quoties Sol affulgeret. Quod mihi & in automatis cuicunque docto miraculi instar esset, obvium si non esset. Vnde sperare licet nos habituros in posterum ex hoc invento non modò eclipseon, sed aliorum quoque syderum ac phænomenon observationes accuratiores, tum parallaxium refractiōnum , longitudinum terrestrium , magnitudinum Solis, Lunæ & astrorum, diurnatum inæqualitatum , seu temporis æquationum, reliquarum denique rerum etiam difficiliorum absolutissimam, omnique ex parte perfectam cognitionem.

Ex horologis pendulatis.

Quæ sunt certissima.

Ipse rurum virtutates.





DISSE R T A T I O
DE LATITUDINE PARISIENSI
E A Q V E I N V R B E
MAGNETICA DECLINATIONE,
 Adductis pluribus argumentis , quibus suspicari
 licet utramque subinde variare.

*Excerpta ex Epistola scripta ad D. Sauvallam , & operi
quod de Lutetia novo-antiqua edere parat , annexâ.*



I R C A latitudinem Lutetiae Parisiorum , de qua me rogas , vt scribam , id primò habeo dicendum : ita inter se discordes esse authores & Geographos in illâ assignandâ , vt si omnes diversæ sententiae ad calculum vocentur , tot censeri possint , quot à gradu 47. ad 49. serupula interjacent . Cujus tantæ varietatis multiplex est ratio , atque hæc præsertim : quod authores Graci , Arabes , Latini , Germani , Angli , Batavi , Hispani , Itali , Gallique ipsi , qui de sphera , vel Geographia , vel Astronomia differuerunt , ipsiusque latitudinem assignarunt , aut Lutetiam numquam viderint , aut nullâ satis accuratâ observatione vls , priorum dumtaxat vestigiis institerint , aut ipsi novi erroris fuerint antesignani . Quod cum ita sit , vt constat , prorsus incumbit modò , vt super ea re celebris alicujus authoris teneatur sententia , vel certè audiantur hi qui exquisitis instrumentis nec mediocri eruditione instructi ipsam Poli altitudinem accuratiùs obseruarunt . Quamquinque porro sequamur viam non est valde facile sese hinc expedire . Quod si enim Ptolemæum qui inter veteres Geographos primatum obtinet consulas hoc loco : multùm à scopo aberrabis . Is quippe secundi Geographiæ suæ libri capite 8. docebit nos longitudinem Lutetiae Parisiorum ab Insulis Fortunatis esse 23. grad . cum

*Vnde ori-
tur diversi-
tas latitu-
dinis Pari-
sorum.*

*Ptolemaei
sententia.*

semisæ, latitudinem vero seu poli elevationem 48. grad. 30. min. atque hunc secuti sunt ferè omnes quibus contigit ea de re disputare ante postremum sæculum: & recentiorum quoque nonnulli religioni ducunt ab hac tanti viri sententia facile recedere. Et certè non abhorret à vero Ptolemæum, qui summo studio scribendæ Geographiæ incumbebat, dedisse operam ut viri periti & industrii situm huius urbis tum satis claræ ac florentis explorarent, cum id temporis, inter Ægyptum, & Gallias, Nilum & Sequanam, sub uno & eodem Romano Imperio majus forte commercium quam nunc, intercedebat. Non me autem fugit alios antiquiores Ptolemæo nec indigentes Geographos extitisse, quos inter Strabo, Augosti & Tiberii temporibus scriptor clariss. Gallorum ingenia nostrorumque mores mitificè depinxit, sed terrarum situs silentio omnino prætermisit; ut & Solinus, Pompon. Mela, Plinius, aliqui fere coætanei, qui de locorum longitudine, aut latitudine nihil tradiderunt. A Ptolemæo igitur ad proximè elapsum sæculum non immerito apud doctos ipsius valuit authoritas, quam cœpit sensim revocare in dubium ætas majorum, sed infelici ut plurimum successu. Sunt enim qui hanc urbem sub 47. gradu constituant, alii sub 48. cum 10. min. alii sub 48. cum 20'. quamquam pars melior & major Astronomorum Ptolemæum sequi maluerit, quam obscurioris nominis authores secundæ notæ, qui aut malè concinnatis tabulis, aut observatoribus imperitis, iisque Astrolabio chartaceo, vel exiguis dumtaxat instrumentis ventibus, fidem adhibuerant. Vt cumque se res habeat, in hunc errorem lapsi sunt non infimæ classis authores alioquin celebres, Mercator, Ortelius, Bertius, Gemma Phrisius, Scaliger, Matius, Longomontanus, Stoflerus, Reinholdus, & plerique alii, qui Parisiensem latitudinem minorem Ptolemaica censuerunt, cum potius addi ad eam oportuerit, ut mox sum breviter demonstratus.

Constat interim ante observatam ex professo poli Parisiensis elevationem nihil pro certo admittendum, jamque esse opus ut variòrum variæ observationes strictim discutiantur: è quibus est prima Ioan. Fernelii Ambianensis Medici & Philosophi præstantissimi, quam libro, cui titulus est *Cosmoothoria, Observatio Fernelii.*

DISSERTATIO

dato in lucem anno 1528. his verbis refert. *Electa die per quām serena qua fuit Augusti 25. hic Parisiū Solis in meridie constituti elevationem per regulas deprehendi esse grad. 49. min. 13. Cūm igitur Sol undecimum Virginis gradum teneret, cuius declinatio borealis 7. grad. 51. min. judicavi aequatoris elevationem partes 41. min. 22. continere, quare Parisiorum latitudinem esse 48. grad. 38. min. Viden Fernelium hanc latitudinem jam 8. min. ampliorem quām Ptolemæum facere?*

*Orontii
Finai.*

Orontius Finæus, Fernelio coævus, & Regius Matheseos hac in vrbe Professor, in Cosmographia sua & aliis passim libris elevationem hanc 48. grad. 40. min. statuit, variisque Solis altitudines, & vmbras ex ipsa & ad ipsius vsum computavit, tamen aliquando in Ptolemæi sententiam revolvitur cùm civitatum catalogum contexit. Nec multum à Fernelio abhorret Orontius, cui major est habenda fides, vt Mathematicis scientiis magis exculto, easque publicè docenti, quām isti alteri professione Medico & admodum juveni soliusque oblationis causâ colenti hanc disciplinam, cùm alias contrætotus in eam incumberet, nec quidquam ipsi decesset ad exactas observationes instituendas, Francisco Primo Rege Christianissimo, & Cardinali à Lotharingia ipsius Orontii Mecenate, sumptus largiter suppeditantibus. Cujus rei fidem facere possunt à me visa instrumenta duo ex ipsius mente & industriâ fabricata: quorum primum fuit quadratum Geometricum ex ære, in quo circuli quadrans duorum circiter pedum semidiametri rectè divisus cernebatur, sicut latera ipsius quadrati in partes 1000 æquales: alterum verò fuit horologium dentatum 3 circiter pedes altum, & septem æquis superficiebus circumscriptum, quarum singulæ vniuscujusque planetæ motum exhibebant. Quod quidem automa, ex mandato prædicti Cardinalis fabricatum, vt ex ipsius symbolo argumentor, hedera scilicet pyramidem ambiente cum hac epigraphæ, *testante virebo*, fidem facit quantâ solertiâ & ingenio fuerit Orontius. Adeò vt nec exquisita instrumenta; nec quidquam aliud ad accuratas observationes perficiendas ipsi defuerit, neque ullum contradicendi locum reliquisset, si observationum suarum modum, diem, & annum tradidisset; quo non præstito

nos idem dubium manet , quod in observatione Fernelii , & summo viri ingenio Francisci Vietæ suspicamur.

Siquidem Vieta in lib. 8. Responsorum, ipsa die æquinoctii Parisius altitudinem Solis meridianam ex umbræ rectæ longitudine obseruasse , ex eâque poli elevationem grad. 48. min. Vietæ obser-
vatio &
defectus.

49. collegisse testatur. Sed demiror quòd & annum omiserit, & eum diem elegerit erroribus maximè obnoxium , cùm citissimè varietur declinatio ; ita vt nisi Sol ipsum æquinoctium terat in ipso Meridiano (quod nequidem semel intra ducentos annos forsitan evenit) vix citra errorem altitudo æquinoctialis deprehendi possit. Ex eâ igitur, sumpta poli elevatio licet sit veræ propior quàm reliquæ omnes, valde mihi suspecta foret, & examini subjicienda, nisi aliâ methodo viâque certiori illustrissimum vitum hanc obtinuisse existimarem. Istud verò , in exemplum eò tantum attulisse , quòd triangulorum analysim suam illustraret.

Quod attinet Fernelium , is mihi videtur rudem admodum & imperfectam obseruandi rationem tenuisse in opere supradicto , quod Ioan. III. Regi Lusitaniæ dedicavit; cùm tamen id ageret, vt globi terrestris magnitudinem definiret. Cujus voti vt fieret compos, multa millaria sub eodem Meridiano se confecisse ait, quo usque latitudinem , que magis uno gradu quàm Parisi vergit in boream deprehendisset, sic enim loquitur. Cujus loci distantiam à Parisiorum Lutetia perquirens, vulgi testimonio accepit , intercedinem esse 25. leucarum. In globi terra men- Nec tamen vulgi supputatione satiatus, ex revolutionibus ro- sura. tarum vehiculi , vallibus & montibus ad æqualitatem propè redactis , ait se collegisse passus 68096. qui millaria sunt Italicæ 68. cum passibus 96. &c. Atque hic Fernelii in isto pulvere est labor, cuius conatus potius laudandus, quàm eventus probandus est, ita ægrè omnia isto in opere cohærent. Omissis enim erroribus quos videtur commisisse circa terræ mensuram , collum & vallum obliquitatem viarumque anfractus divinando & in lineam rectam contrahendo, aliisque hujusmodi, quæ non sunt hujus loci; in sola poli altitudine commorabor, in qua etiam examinandâ, ista non requirant quæ ab accuratiorebus negligi non solent, sed querar solummodo ipsum re-

In latitu-
dine Lute-
rie inges-
tenda.

DISSERTATIO

ticuisse annum observationis suæ, imitatum in hoc Genethliacos circulatores, qui ne mensem quidem & annum nativitatis inquirunt ad erigendum thema cæleste. Hinc porro constare posset an rectè progressus fuisset Fernelius, an verum Solis locum explorasset, an declinationem maximam supposuisset 23. 28', quod sanè credibile est, (cùm tam Tycho eam deprehenderit illo sæculo 23. 31'. 30'').) an refractionum & parallaxium tabulis usus esset, vt taceam de vitiis quibus noui fortè caruit ligneum instrumentum, & de ipsa quam elegit anni tempestate circa æquinoctia, vbi Solis declinatio citissimè mutatur, ideoque erroribus est maximè obnoxia. Quæ omnia si acriori judicio contempleris, haud mirum videbitur nostras ab Oron-tii, Fernelii, ac Victæ observationibus dissentire. Et quod molestius est, illorum nemo tempus ejusmodi observationum indicavit, vnde forsitan discriminis earum causas nobis colligere liceret; nostræ tabulæ quippe longè sunt accuratiores, ex quibus Solis in Zodiaco locus certior, declinatio ipsa compertior, parallaxes denique & refractiones magis cognitæ. Quamobrem subductis omnibus præteriti sæculi observationibus, quæ minus videntur accuratae, modò superest, vt ex recentioribus nostris quiddam magis constans in medium proferamus. Primus ex iis occurrit Henrio Mathematicarum scriptor & professor non contemnendus, qui Cosmographiæ suæ pag. 325. refert, se anno 1614. ex maxima & minima stellæ polaris elevatione latitudinem Parisiorum invenisse grad. 48. min. 55. & pag. 328. ex Solis varia elevatione ipsam collegisse 48. 54'. Midorgius & Gassendus noster vt ipse refert ad annum 1625. Observationum Astronomicarum, eamdem latitudinem 48. 52'. deprehenderunt. Bechetus in suis tabulis de theoria planetarum hanc altitudinem poli 48. 52'. 30''. definivit. Quod si, vt accepi, Alealmus, Mersenius, Bourdinus doctissimi alioqui vi-ri, non censuerint majorem 48. 40'. hinc liquet eam vel ab iis haud fuisse observatam, aut fortè oscitantiū. Nobilissimus Comes Paganus, Morinus, & Duretus in suis tabulis hanc fecere 48. 50'. Doctissimus Bulialdus mihi retulit eamdem se deprehendisse 48. 51'. Robervallus tandem Regius Mathematum Professor, & in practicis vel ad scrupulum exactus, hanc definit

*Observatio-
nes hujus
sæculi.*

finis 48. 54. min. Ego verò in utroque solsticio cum æstivo, (ne declinationis inconstantia in errorem induceret) tum hiberno, ut tentarem an parallaxum & refractionum tabulæ Tychonianæ, quæ in hanc latitudinem incurrunt cum observationibus æstivis convenienter diligenter sic observavi.

Anno 1652. die Iunii 23. beneficio quadrantis ex ære conflati, cujus diameter sex pedes æquat, meridianam Solis altitudinem 64. 37. min. deprehendi. Cùmque Sol tunc 2. grad. 24. min. Cancri obtineret, ipsius declinatio fuit 23. 30. min. 16. sec. quâ detractâ ex Solis altitudine, superest æquatoris elevatio 41. 6. min. 50. sec. quam si à quadrante circuli subduxeris, supererit latitudo quæ sita, graduum scilicet 48. 53. min. 10. sec. Cùm postridie eamdem observationem iterasset, meridianam Solis altitudinem 64. 36. min. inveni, cùmque Sol 3. 21. min. Cancri ob sideret, ipsius declinatio fuit 23. 28. min. 51. sec. quare elevatio æquatoris 41. 7. min. 3. sec. & Poli 48. 52. min. 57. sec. hoc est 48. 53. min. neglectis utrobique secundis scrupulis tum loci solaris, tum declinationis.

Anno 1654. die 23. Iunii observata Solis altitudine meridiana 64. 38. min. ac Solis loco in grad. 1. min. 54. Cancri juxta Argolum supposito, declinatione itidem posita 23. 30. min. 41. sec. æquatoris elevatio 41. 7. min. 19. sec. concluditur, ex qua Poli sublimitas 48. 52. min. 41. sec. Cùm verò anno 1657. circa brumale solstictium aëris serenitas ad observandum me impulisset, die 25. Decembris altitudinem Solis meridianam 17. 43. min. offendit, cui additâ parallaxi 2. min. 52. sec. & sublata refractione 6. min. vera Solis altitudo remanet 17. 39. min. 52. sec. Cùmque ejus locus ex tabulis esset in 4. 16. min. Capricorni, ipsaque declinatio 23. 27. min. 20. sec. elevatio æquatoris elicetur 41. 7. min. 14. sec. ipsaque ad eam latitudo 48. 52. min. 46. sec. quæ quidem cum aliis æstivis observationibus satis exquisite convenient, ac præterea tabulas tum parallaxum, tum refractionum, necnon Poli altitudinem esse 48. 53. min. potius quam 52. min. confirmant: quamquam alibi ne à Midorgii, Gassendi, Bulialdi, & Becheri æstimatione dif sentire, eamdem latitudinem 48. 52. min. duim taxat definitim, ratus vnius scrupuli errorem inter observandum, aut mi-

*Observatio-
nes autho-
ritatis*

hi, aut illis, seu ab instrumentis, seu à loco Solis diversimodè computato obrepere facile potuisse.

Ipsius suspi-
cio de lati-
tudinis va-
riatione.

Age verò? ex his variis observationibus inter se collatis quid nunc inferam, quidve conjecter, paucis aperio. Videatur mihi latitudo Lutetiae, seu Poli elevatio à Ptolemæi temporibus ad nostra usque, aucta semper fuisse, adeò ut à 48. 30. min. usque ad 48. 53. vel 54. min. increverit. Quod si ab Orontii & Fernelii ætate 12. aut 13. min. à Vietæ verò ad nostram 4. aut 5. minutis aucta fuerit, quis scit an retroætis sæculis idem subierit incrementum, aut variatio saltem aliqua intervenierit? Quis affirmare audeat vetustiores omnes in observando hallucinatos fuisse? Superiùs quidem veterum observata quod à nostris non mediocriter dissentirent, ut dubiæ fidei perstrinximus, sed tamen tantorum vitorum doctrinæ & industria prorsus est aliquid concedendum: atque ut nostris quoque fidem haberi à posteris postulamus, sic nos utique decet illorum observationibus acquiescere, secus in discrimen ipsa vocetur Astronomia, dirutóque hoc fundamento nullus in hac scientia progressus verus, aut fuerit, aut futurus sit. Quocirca nihil prohibet, meā quidem sententiā, quomodo aliquam in Poli elevatione varietatem, ac mobilitatem suspicemur. Quod si licuit Copernico, Tychoni, atque aliis, ex Hyparchi, Ptolemæi, Albategnii, & suis propriis observationibus, Zodiaci obliquitatis librationem colligere ex aliquot minorum differentia, neque ausi sint veterum hac in parte judiciis obstrepere, tametsi Tychoni perfacile fuisse declinationem maximam 23. grad. 31. min. cum semisse vti deprehenderat, constantem affirmare; nullique unquam mutationi obnoxiam fuisse contendere, prisca monumenta abrogando, cùm de 20. dumtaxat scrupulis ageretur. Quidni ex veterum, & nostris inter se collatis observationibus, latitudinis mutationem sit fas quoque concludere? Cùm aliunde major sit differentia, quam vt in vitia instrumentorum refundi possit, 23. scilicet minutorum: in quo nec Astrolabia nautarum, nec Papyrus tyronum quadrantuli tam enormiter peccare consueverunt. Atque hæc forte est ratio, cur Tycho, Fruenburgum missis discipulo, vt Poli altitudinem exploraret, illam 54. 22.

Idem lati-
tudinis va-
rie ac obli-
quit. Zodia-
ci argumenta-
nra.

min. compererit, quam Copernicus 54. 19. min. 30. sec. circa annum 1500. offenderat. Vnde tamen Tycho occasionem arripuit, injustam sanè, Copernicum reprehendendi, quod refractiones atque alia id genus ad exquisitas observationes necessaria non adhibuisset, quasi probabile sit Copernicum Tycho-ne longè peritiorem in observanda sui loci latitudine obdormisse, & vel ex ipsius Solis æstivi, vel stellarum quæ nulli refractioni essent obnoxiae, vel circumpolarium altitudine, methodum inveniendæ latitudinis ignorasse. Certè eum non fugiebat refractionum scientia, cum Vitellionis & Alhazeni libros evolvisset omnes, Walterumque legisset, cuius observationibus vtitur identidem. Quid porro Walterus? Notandum, inquit, quod circa Horizontem astra apparent, propter radios refractos, supra Horizontem. Cum secundum veritatem sunt sub eo, quod instrumento armillarum sensibiliter sepius mihi apparuit, &c. Quare effectus refractionum Copernico innotuere, ut etiam ex ejus libro 5. Revolutionum, cap. 30. aperte colligitur, vbi insinuat, Ptolemæo Alexandriae serenitatem & aëris puritatem plurimum favisse, cum ipse locum incoleret fœdum nebulis, & Vistulae vaporibus præpinguem. Itaque non video cur Copernicus in Poli sui elevatione exploranda erroris sit insimulandus, ex eo quod 90. post annis eadem, major reperta fuerit 2. min. cum semisse. Quod si quis nunc Fruenburgi eidem observationi incumbenter, forsitan nonnihil adhuc auctam reperiret, atque vtinam eruditus alicujus & industrii viri has partes incolentis, Hevelii videlicet aut Eichstadii id animo insideret. Tum enim latitudo loci tam celebris, cui explorandæ isti duo tanti nominis Astronomi diligenter insudarunt, notior sanè foret. Nec minus optandum nunc esset, Alexandriae latitudinem quam nemo negarit accuratè observatam fuisse à Ptolemæo, rite id temporis explicari: vt hinc tandem colligi posset, an tot labentibus saeculis immutata fuerit. Quemadmodum in plerisque civitatibus Italæ aliarumque regionum contigisse suspicamur, quarum latitudines longè nunc sunt aliæ in tabulis & libris recentiorum, quam in Ptolemaei Geographia olim sunt obsignatae. Ac ne procul exempla petam; si qua profectò latitudo debuit esse diligenter observata,

*Copernicus
vindicatus
contra Ty-
chonem.*

*Latitudines
alio nanc
quam olim.*

Romana maximè, eo quod hæc civitas tum orbis & imperii foret caput: atqui ejusmodi latitudo quam olim Ptolemæus esse voluit 41. 40. min. Clavii temporibus ipso teste in sphæra sua observata fuit graduum præcisè 42. Keplerus autem in tabulis suis Rudolphinis quas dat pro accuratis eamdem statuit 42. 2. min. Oportuit ergo à tempore Ptolemæi ad hanc usque nostram ætatem, Romæ latitudinem 22. minutis saltem auctam fuisse, quod ipsum de Parisiensi demonstravimus, quandoquidem optimis experimentis modò constat exæquare saltem 48. 52. min. E certioribus autem saeculi superioris intelligamus vix 48. 49. min. attigisse. Nec verò fieri potest, ut in eo genere observationum, tam veteres omnes quam recentiores aberraverint: vnde porro latitudinem talis varietas existat hic non pro certo definitio: tantum dico videri adscribendam cælo terræ nostræ; quod posterius mihi longè probabilius videtur, cùm suspicer aliunde, (ut infra videbitur) terram peculiari quodam motu circa proprium suum centrum gyrate, & axem suum nonnihil ad cæli cardines inclinare, ob idque mutare paulisper situm longa successione temporis ac valde lentè. Nec est propterea cur negetur immobilis saltem ad sensum, cùm longè sit alius Copernici motus diurnus annuusque quo vult eam converti: de quo ut aliquid pronuntiem, nihil modò pertinet ad quæstionem in qua versamur. Quare ab eâ ne divertam, esto sane variationis latitudinum causa, nunc obscurior; an minus propterea credamus oculis doctorumque plurimorum observationibus accuratis, illam de facto variationem asserentibus? Sed erit fortasse tempus cùm hæc veritas clarius innotescet. Interm liceat motum hunc quem dixi terræ tribuere, sicut in pari causa similem finxit Copernicus, aut potius eundem, lib. 3. Revol. cap. 3. quamquam alio fine ut scilicet rationem redderet obliquitatis Zodiaci, excentricitatis Solis, & anticipationis æquinoctiorum, cùm ait, *Telluris Polos loco moveri, ac processu temporis lineas quasdam describere corolle similes:* ex quo motu non minus rectè sequitur (quod nec ipse nec alias quod sciām advertit) latitudinis loci, quam obliquitatis Zodiaci variatione, ut ex legibus Geometriæ facillimè demonstrari potest. Si ergo post centum annos poli Parisiensis elevatio 5. aut 6. mi-

*Roms &
Lutetia lat-
itudines
aequaliter
antile.*

*Ex motu
axis terreni.*

nutis major à nobis quām tunc temporis inveniatur, num recte suspicari possum eam esse mobilem? Sed si abhinc annis totidem alia reperiatur, nonne hæc mea conjectura firmari poterit in apertam demonstrationem, sicut ex variis Astronomorum observationibus, aliquot inter se minutis, nec pluribus quām nos discrepantibus, inclinationis eclipticæ mutatio jam antè rata fuit? atque eo tantum consilio meas & aliorum observationes hīc referri placuit, vt sint vsui posteris easque cum suis componant ad eliciendam veritatem quantum potest.

Sed vt quoquomodo mihi persuadeam, ad illius variationis causam indagandam, non temerè à me aliquem motum terræ adscribi, (vt fileam de annuo aut diurno quem doctissimi qui que animo spectant, quamvis sua sensa evoluere non ausint ne vulgò insanire videantur) juvat quoque hoc loco occasione declinationis magneticæ, quid abhinc annis fere 30. fuerit deprehensum, paucis significare. Ego cùm semper illi Philosophiæ quæ Gilbertum principem agnoscit, addictus vltro fuerim, atque vt multi testari possunt, cum PP. Mersenne, Furnerio, Kirkero, & Grandamico, qui jam id ipsum scriptis vulgarunt, tot mirabilium virtutum quæ hoc in lapide deprehenduntur, jam olim fuerim perstudiosus; contigit aliquando vt Lutetiae, acus magneticæ declinationem vellem explorare; quod vt majori diligentia præstarem, lineas tres meridianas quām fieri potuit accuratè, in variis hujus urbis locis delineavi; quibus versoria, seu varias acus diversæ longitudinis applicui, quæ plures magnetes, & in diversis quidem à Polo punctis contigerant (vt mili liquerent an ex illa diversitate lapidum & contactuum, aliqua in declinatione varietas emerget) vbiique constanter & eamdem 4. graduum cum semisse à Septentrione in Orientem animadverti: quam hactenus crediderant omnes 9. aut 10, graduum, ex observationibus Orontii & Castelfranci (qui magnum hac de re volumen conscriperat, longitudinēsque locorum, ex declinationis magneticæ differentia fuerat pollicitus) adeò vt horologiorum solarium & pyxidum confectores, acus magneticæ locum inter duodecimam & primam horam medium vulgò depingerent. Hanc meam observationem vix evulgaveram, cùm in plerisque Galliæ regionibus idem à multis explora-

Sicut telescopica inclinatio.

Declinationis magneticæ variationis.

Observata Parisii.

tum fuit, neque vlla declinationis diversitas apparuit, quantumvis loca longitudine multum dissiderent, vt ipse ego ab ultimis Armoricae litoribus, vsque ad lacum Comensem in Valltelina expertus sum. Tum fuimus omnes in ea sententia vt putaremus ab antiquis peccatum hic fuisse, nec alias declinationis magneticæ aliam exitissle positionem. Cùm ecce nobis ab *Ex Londint.* Anglia allatæ sunt literæ quibus accepimus hanc dubio procul haud esse constantem; quandoquidem olim anno scilicet 1580. Bourrosius in Mathematicis eximius, ex observationibus Solis Azimuthorum accuratissimis mense Octobri prope Londonum, acum magnete illitam à Meridie in Orientem 11. grad. 15. min. deflectere compererit; anno vero 1622. mense Iunio Gontherus Mathefios professor, in eodem loco, declinationem multum imminutam, nempe 6. grad. tantum invenerit, postremò annis 1633. & 1634. Gelibrandus Gontheri successor eamdem observationem, eodem in loco, atque eadem prorsus methodo instituens, cùm acus 12. digitis longas adhibuisset, 4. ducentaxat gradus à Meridie deflectere cognovit. Quæ omnia cùm in lucem is dederit nullus dubitandi locus relinquitur, Magnetis declinationem variasse, quod & nos experti sumus, & quivis alius experiri facile potest.

*Suficio
causa va-
riationis
illius.*

*Ex motu
axis terre.*

Vnde sequitur necessariò vel axem terræ seu lineam meridianam cujusvis horizontis subinde mutari, si axis magnetis immotus consistit; vel hunc esse mobilem si terræ axis loco suo non dimoveatur; vel utrumque mutationi esse obnoxium, vt accessus & recessus utriusque ratio reddi possit. Cùm vero longè probabilius videatur hanc varietatem prodire potius ex telluris axe qui situm mutet, neque semper ad eadem cæli puncta dirigatur; quam ex axe magnetis, qui velut sub jure a dominio globi terrestris, extra controversiam, positus est. Vix credo meliorem proferri causam possit istius variationis, quam quæ sumi potest à motu polarum terræ, immoto centro illius, praesertim cùm sit eadem quæ mutabilitatis latitudinum. Nec enim audiendi sunt qui variationem hanc magnetis, autumant oriri ex mutatione superficie terræ versus polos quæ per accessum maris ad unam illius partem, & recessum ab alia faciem variavit, & acus declinationem, quod nulla relatione probatur,

ex ferri fodinis, quæ subinde generantur de novo, aut quasi verò vna deficeret, aut ex sese desineret esse ferrea, & acuum motrix cum altera conflatur. At id præterquam quòd fieri non est probabile, ne singi quidem potest nisi ab iis qui planè credent insulas esse & litora quæ navium ferramenta ad se trahant, aut saltem versoria, quod experientia iamdudum falsi convixit. Quæ quidem omnia, uti sperandum, post aliquot annorum decursus longè illustriora fient; si locorum latitudines mutari comperiantur; si lineæ meridianæ in eodem plano horizontis, eoque stabili, delineatæ, non sint constantes; si versoria varias ac varias declinationes exhibeant. Quæ tria vel duo saltem, concurrere simul si deprehendantur, hâc fortè prærogativâ gaudabo, quòd primus dederim huic suspicioni locum, vnde pòst idonea sequatur hypothesis, præsertim elevationis poli & & magnetis inconstantiæ, quorum, vt verbis utar Copernici loco citato, *nemo meliorem adferet rationem quam axis terræ & polarum ejus deflexum quemdam.* Ut mihi videtur.

Cùm verò supradicta hæc interscribendum amico cuidam, & earum rerum perito comunicasse, is mihi retulit se duobus abhinc annis in Bononia Italiæ miratum fuisse professores Mathematicarum tam celebris Academiæ, consensu aur jussu superiorum lineam meridianam accuratissimè observasse; neve aut injuriâ temporis, aut successorum incuriâ vitiare tur, hanc secundùm longitudinem templi vastissimi S. Petronio facri, marmoreâ fasciâ descriptam in pavimento porrexisse; credo vt explorarent, ac posteris explorandam relinquerent, seu lineæ meridianæ, seu declinationis Magneticæ varietatem si quæ subesset, ipsis enim sat compertam credimus Gelibrandi observationem. Quæ revera sedulitas numquam satis laudanda, & ad exemplum commendanda posteris, mihi videtur, atque equidem tantò impensiùs, quanto rariores existunt Principes & Magistratus qui harum artium studiosis faveant, vel ipsas artes promovere studeant. Quòd si jam olim præstitum fuisset apud nos, ab iis qui Galliam nostram parentem ingeniiorum, his præclaris factis exornare possunt: quot progressus in Physicis & Physico-Mathematicis nunc faceremus, & quot factuti sunt nepotes si vias illis sternimus ad veritatis indagationem?

Non ex ferri fodinis.

Probabitur ex lineæ meridianæ magnetis & latitudinis variacione.

Lineæ meridianæ delineatio Bononiae.

Optanda Gallia & ubique.

Summa d. f. variationis. Sed ut eò redeam vnde tantisper digressus sum, & in summam conferam sparsa hinc inde superius. Cùm extra controversiam sit declinationem magnetis fuisse immutatam, ipsamque nunc Parisiis, quæ 30. abhinc annis gradus 4. excedebat vix duos superare (quod experiri vtique licet:) quæ, togo, as-

De magnitudo variatio- signari potest alia causa, quàm terræ lentus aliquis motus vt exposui? siquidem inter omnes qui de virtute magnetica disseruere vtique conveniat, hunc lapidem vires suas omnes & proprietates à terra mutuari; cuius proinde axis tantam in versoriis inducere mutationem & potuit & debuit fortasse solus. Nec dubito quin intra 50. annos multo apertior evadat hæc varia-

Elevatione variata. tio, cùm nulla tunc futura sit magnetis declinatio, vel si declinet acus, à Septentrione in Occasum deflexura sit. Quamobrem si terrestris globi motum, magnetis varia declinatio non obscurè demonstrat, quid est cur dubitemus eumdem confir-

Ex motu terra. mate per varietatem elevationis Poli? Verùm si hæc Lutetiana post longam annorum seriem, 4. aut 5. minutis major èa quam nunc certissimis experimentis deprehendimus, observeretur, nonne ad id explicandum tuto concludi poterit cælum aut terram mota loco fuisse? cùmque præstet in solam terram refundi motum istum vt satis evincit acus magneticæ deviatio, colligamus sanè, nostri hujus mundi nihil in eodem statu permanere, sed omnia in perpetuo motu versari si primum motorem excipias,

qui tempus ab aro

Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Atque hæc sunt quæ de latitudine Lutetiae, declinationeque magnetis scribenda duxi, dum venio ad ultimam tuarum petitionum, quæ est de positione ac situ veterum basilicarum; an scilicet spectent Orientem æstivum, aut brumalem, aut verum, &c.

Hactenus pars Epistolæ. Idib. Ianu. 1660.





DE NOVO
SYSTEMATE MUNDI
QVOD ANONYMVS DVDVM PROPOSIT
DISSERTATIO.

*Ad Clariss. V. D. DE LA CHAMBRE Regis
Christianiss. Archiatrum ordinarium.*

Vobtemperem mandatis Illustrissimi Cancella-
rii, tibique morem geram, **VIR AMANTIS-**
SIME, suscipio examen libri illius Gallici, cui
titulus est *Abregé de l'Astronomie inferieure, &c.*
Epitome Astronomiae inferioris explicans sistema
Planetarum, duodecim signa Zodiaci, aliasque constellatio-
nes cœli Hermetici, cum specimine Astronomiae naturalis ad-
versus Ptolemæum, Copernicum, & Typhonem : quo de-
monstrantur illorum errores circa distantiam, magnitudinem
& motum astrorum, cœlumque Solis constitui supra fixas &
errantes per I. D. B. Parisiis apud Senleque & Remy 1644.
Quod opus antequam aggrediar, pauca præloqui mihi licere po-
stulo, & mirari etiam nunc aliquos reperiiri post adultam Philo-
sophiam qui perinde cum ea versentur, ac si adhuc esset in eunis.
Nam quod nos amandat isthac hominis Astronomia tam infans
egenaque? Inventus est alias qui solius famæ cupidine Dianæ
templum incenderet, vt vel insueto facinore notus esset, sed
ne per scelus assequeretur quod ambiebat, Ephesii prouiderunt
indicto suppicio, si quis eum nominasset. Hic au-
thor qui non templum Dianæ tantum violavit, sed ipsamet
folia Saturni, Iouis, Apollinis, Martis, Mercurii, Veneris, om-
niūque Numinum susquedequæ evertit, contrarium efficit
noluitque apparere vt ille, sibi ipsi providens tacendo, sive vt
lateret multis quibus poterat esse contemptui, sive vt insci-

tiam suam nominis silentio velaret. Quidquid sit, fateor me ad aspectum hujus tituli magnifici & ampulloso non parum motum fuisse : sique de *Celo Hermetico* prima pars illius siluisse, secunda mihi potuisse bilem excitare. Sed cum utramque conjunctam vidi ut riulos ab uno fonte manantes, eoque Chymico, risi & conjecti ambabus aquis eundem inesse colorem, saporem, odorem, fictionis, vaniloquentiaz & mendacii, nec me fecellit opinio. Postquam enim librum evolvi, primam illius partem a sumivendulis seu pyrothechnicæ scientiaz cultoribus, alisque quos novitas materiaz ac verborum lenocinia delectarent probatum iri haud dubiè mox intellexi : secundam verò, doctis & rerum cælestium studiosis nullo fore in pretio judicavi, cum destitutum veris Astronomiaz principiis hominem Chymicum, & mediocri dumtaxat sphærae doctrina tinctum in altum cæli pelagus sese dare præcipitem viderent. Quod si à divino Platone eruditissimè dictum est, solius Astronomiaz causa oculos nobis datos esse, quod innuit etiam ingeniissimus Poëta os homini sublime dedit, calumque sueri justit. Quis non stomachetur hunc Anonymum oculis gaudere ? Comitem verò de Pagan hujus scientiaz peritissimum his orbari, nec posse erectos ad sydera tollere vultus. Sed jam tempus est ut aggrediar tum Hermeticam seu inferiorem, tum naturalem seu superiorem, ut ipse loquitur, Astronomiam. Ab illa igitur ut nobiliori, suo quidem judicio, opus orditur suum, & demonstrare nititur nomina, figuræ, ordinem, & proprietates inditas tum planetis, tum signifero, tum reliquis cæli constellatio-nibus originem sumpsisse ab Alchymia; neque aliud esse duodecim signa & domos Zodiaci, quam duodecim præcipuas magni operis seu Philosophici lapidis conficiendi rationes. Caput autem & caudam Draconis, Cepheum Cassiopeam, Andromedam, Perseum, caput Medusæ, Pleiades, Vrsam, & Orionem præcipue, aliasque configurationes, ortum habuisse ex divinis Chymiaz mysteriis, Astronomosque & Poëtas suas fabulas omnes hausisse ex veritatibus Hermeticis, ænigmatibus his involutas. Nec aliunde fluxisse illam celebrem Aristarchi de motu terræ sententiam, quam ex dictis Pythagoræ male intellectis. Cum enim hic, illius magister, conficiendi auri

*Summa
prima partis
libri Ano-
nymi.*

artem probe callens (quod probat Anonymus ex aurea co-
xendice , de qua ipse gloriabatur Pythagoras , vt aiunt fa-
bulatores) doctrinæ sua Hermetica mysteria vellet involve-
Ex Chymicis
oria Astro-
nomia &
fabula.

re Geometriæ figuris aliisque Mathematicarum præceptis ,
suoque auditores scientiam illam docere sub ænigmatibus sex
corporum Geometricorum , variisque Astronomiæ involu-
cris : contendit Anonymus Platonem & Aristarchum fictis his
verbis circumventos , ipsius placita ad literam non ad sen-
sum interpretatos fuisse. Platonemque figuris illis inhæsse , A-
ristarchum verò ex hoc effato , *Terram esse velut unum ex astris* ,
ipso motu & locum in cælo non in mundi centro tribuisse. Et
sic omnia à Pythagora , aliisque veris hermeticisque Philosophis
verè sed emblematicè , ad artem Chymicam & Chrysopœiam
dicta , ab illius ignatis Geometris & Physiologis à vero sensu
detorta fuisse : hincque natas fabulas omnes tum Poëtarum ,
tum Astronomorum , quod non illepidè , sed eleganter & in-
geniose sane probat hic author , eo tamen modo & iis argu-
mentis quibus sui similes venditare consueverunt suas ineptias ,
nugas & fatuitates . Sic enim voco libros illorum qui nescii tam
profundæ scientiæ , quam non impugno ex proposito , de illa ta-
men adeò audacter & confidenter loqui prætendunt , ac si Her-
metes ipsi aut Geberi concionarentur. Atque hæc est prima pars
libri propositi , cuius intentum refellere aut approbare non est
hujus loci nec instituti nostri. Venio itaq; ad secundam , quæ est

*De Astronomia naturali contra systemata Ptolemæi , Coperni-
ci & Tychonis , in qua ipsorum errores circa motum , situm , ma-
gnitudinem , & distantiam deteguntur , terreque immobilitas in
centro mundi , Solis verò locus supra planetas omnes & fixas certò
statuitur . Ad fastum hujus tituli quis non exclamat : O cut-
væ in terras animæ , & cælestium inanes ! Ptolemæi , Co-
pernici , Tychones , Landgravii , Kepleri , Galilei , Gassendi ,
Bulialdi , Ricci , Vandelini , Hevelii , Huggenii , vos deni-
que quotquot estis miseri Astronomi , quantum olei & operæ
hactenus perdidistis ! Repertus est vñus qui rem omnem acu-
tetigrit , & eò usque progredi parat , donec perspicuè intelliga-
tur an cælestium globorum , mundique visibilis machina in-
conciinnè & monstruosè ab antiquitate conficta , tot sæculorum*

Argumentum partis
secunda.

consensu tradita , omnium applausu recepta , ab eximio illo
ingeniique plusquam humani Copernico , Tychone , aliis-
que omnibus correcta planèque reformata sit : an verò adhuc
super sint aliqua subtilius trutinanda , adhibitis scilicet veræ
Astronomiæ lancibus præcipuis , sensibilibus nimisrum exper-
imentis , & demonstrationibus , quibus intellectus rerum veri-
tatem perpendat , ipsaque ratio leges sensibus præscribat , qui-
bus si pareant ab ipsa certitudine nusquam declinent . Quæ
tandem omnia præstare se , gloriatur Anonymus hac secunda
parte distinctâ in quatuor capita , è quibus primum ita de mo-
tu tractat , vt eum hactenus incognitum fuisse & pessimè ab

*Cap. I. de
motu calo-
rum.*

Astronomiæ & contra ipsorum met phænomena stabilitum ,
author iste pugnet . Cùm enim , inquit , supponunt alii pro
primo mobili nonum cælum , alii decimum ab Oriente in Oc-
cidentem circumvolutum intra horas 24 , reliquas inferiores
sphæras vñà secum trahens , quæ præter motum illum violen-
tum , alium sibi proprium & peculiarem habent , neque hi cæ-
li sint visibiles ; fieri non potest experientia motus illius , ac
proinde est imaginarius , vt & ipsi cæli . Quoad octavum verò
seu sphæram fixarum , quam antiqui majori cum verisimilitu-
dine statuerant pro primo mobili , vt ait , non potest etiam esse
regula motus diurni , cùm stella quævis in conficiendo suo
circulo insumat tantum 23 horas 56 minuta . De Sole autem
quem hactenus omnes agnoverant temporis indicem hora-
rumque verum demonstratorem hic negat : cùm intra 24 ho-
ras totum , inquit , circulum conficiat motu rapido seu primi
mobilis , & præterea gradum vnum sui circuli ab Occidente in
Orientem , qui gradus impedit accuratam Solis revolutionem
à Meridiano in Meridianum spatio 24 horarum . Lunam
autem ad tempus id metiendum minime idoneam esse , cùm
singulis diebus præter circulum ab Oriente ad Occidentem ,
conficiat in orbita propria 13 grad. & amplius ab Occiden-
te in Orientem . Ex quibus omnibus tam ruinosis & intricatis
suas firmat conclusiones , affingendo Astronomiæ quæ ipsi non
dicunt , detorquendo quæ recta sunt , negando quæ vera , nec
intelligendo quæ vulgaria , vt ipse etiam ineptire videar si in his
refutandis hærcere velim . Plus ultra igitur progrediendum , & eò

*Quem pu-
rit inobser-
vabilem
quoad tem-
pus.*

visque donec aliquid notatu dignum occurrat quod tyrones morari possit.


Capite secundo de distantia Solis & Lunæ à centro terræ differit iis argumentis. Deus omnia dispositi pondere, numero, & mensura, ita ut in rerum natura nil sit superfluum nil redundans, atqui nulla esset proportio si stellæ fixæ tantum distantia à terra & tantæ magnitudinis essent ut vulgo docent Astronomi, cùm adeò parvæ appareant: frustraque viderentur tot milliaribus diffitæ ac tantæ molis esse, quæ respectu nostri orbis nonnisi puncta cernuntur. Hinc igitur Solem quem certum est præesse reliquis astris etiam fixis, iisque lumen imperfici, his esse majorem vult, & in ea ab orbe nostro adeò mediocri distantia ut sit tantum 12 diametrorum alta mundi suprema regio, cælique summus apex. Atque ita, Maximi creatoris opera maxima, quæ alii ad ipsius gloriam & potentiam prædicandam quantum possunt amplificant, in exilitate & angustiis iste collocat, ut probet à Deo fabricata esse omnia in numero, pondere, ac mensura, quasi verò etiam cum ingenti mole operum stare ista non possint. Cui fragili syllogismo & nihil ex nihilo concludenti sufficeret respondere quod ipsi Iobo de similibus disurrenti fuit dictum, *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis, ac si cum Deo fabricatus esset?* Cùm tamen hanc distantiam seu mundi visibilis magnitudinem debitè proportionatam esse statuat 27 semidiametrorum globi terrestris ad salvanda phænomena, idque Geometricè probare velle se dicat, ut fundamentum suæ novæ Astronomiae: hunc audiamus. Super centro A & intervallo AK vnius digiti, inquit, describatur circulus A B K terram repræsentans, & ex eodem centro A & intervallo 27 digitorum super eadem A K producta describatur aliis circulus S N cælum Solis referens, ipsaque æquinoctii puncta sint S & ei oppositum è diametro, si ab uno eorum in S, ad punctum superficie B in linea perpendiculari super A S, ducatur linea recta S B, tanget inquit circumferentiam circuli BK in puncto C nec fecabit: vnde concludit Solem S à terra sufficienter recedere per lineam A S 27 semidiametrorum, ut ab homine constituto in B medietas sui eurus seu circuli perspiciatur, quem-

*Cap. 2. de
distantia So-
lis & Luna
à terra.*

*Solis regio-
nem mundi
ultimam
facit.*

Iob. cap. 37.

*Eamque
27 semidia-
metrorum
terra.*




admodum experimur in æquinoctiis cùm Sol duodecim horis super terram & totidem infra commoratur. Quòd si minore esset circulus hic Solaris verbi gratiâ in G , numquam sub æquatore vel tempore æquinoctii dies appareret 12 horarum, sed tanto minor, nox verò major, quo minor esset circumferentia , quia inquit non videretur semicirculus per lineam tangentem DC: & contrà si major esset peripheria quàm S N , dies etiam sub æquinoctiali excederet duodecim horas, nox verò minueretur, quia plusquam circuli medietas videretur. Et sic nulla essent æquinoctia , vt eadem figura demonstrat ad sensum, vt ait, etiam si in infinitum augeatur, servatis iisdem proportionibus. Vnde concludit nec augendam, nec minuendam Solis à terra distantiam ultra 27 semidiametros nisi ab iis qui frustra aliquid factum à Deo velint contendere.

En hominis acumen, en ratiocinium quo tamen adeò gloria-bundus exultat, vt quæ ipsius Alchimedis εύπνεα, aut Pythagoræ hecatomben meruere demonstrationes, isti infinites cedant. Ne verò hic ostentator aliis imponat vt sibi ipsi imposuit ignorantia Geometriæ, quamquam tota res altò sperni posset, hanc tamen ad sui defensionem huc advocate placet, & momentum aliquod temporis insumere in hoc paralogismo seu crasslo errore detegendo, cùm alioquin nihil probent intellectui ejusmodi figuræ mechanicæ, etiam si oculis & sensibus sint manifestæ: neve etiam decipientur amplius ipsius fautores, aut alii quibus similes sufficiunt demonstrationes, neque alias à Geometris perhiberi certiores auturant, quàm quæ per sensus ope circini & regulæ, veræ reperiuntur vt ista: dicere aliquid necesse est & nodus hic non Gordii, sed novitii enodandus ne sit propter contemptum rei tacuero sibi ipsis forsitan ex nostra taciturnitate complaceant. Hic igitur fisto & demonstro, supposito systemate & figura illius, lineam DS quam vocat tangentem globi terrestris in punto verbi gratia C , & quam asserit duci ad altitudinem hominis supra punctum B in superficie terræ; ab eo distare seu altius evichi plus quàm 13330 pedibus : ita vt si Sol non longius abestet à terra quàm 27 semidiametris terrenis, non posset videri in S nisi ab oculo supra punctum B erecto plusquam 13330 pedibus , seu miliaribus

*ex figura
mechanicæ
probare sic
persuadet.*

*Sed fallit.
iur.*

*Et contra-
rium Geo-
metricè
probatur.*



duobus cum besse, quod calculo constabit cuicunque hunc
volet inire post me.

Esto igitur linea SCD ducta à puncto S tangens circulum BK seu terram in C , & secans in D diametrum AB productam & perpendicularē lineā AS : ut sciatur distantia ipsius D ad B in superficie terræ, ducatur à centro A linea AC perpendicularis ipsi DS , ideoque ad punctum contactus C . Tunc sient duo triangula ACD , ACS rectangula & æquiangula, in quorum magno ACS duo latera, nempe AC semidiameter vnius pedis verbi gratiā, & AS 27 ped. ex hypothesi, angulusque ad C rectus data sunt. Ideoque si ex quadrato hypothenusæ AS quod est 729. æquale duobus quadratis laterum rectum angulum ambientium, auferatur quadratum lateris AC , quod est 1, remanebit quadratum lateris CS 728. nunc in triangulo ACD æquiangulo ACS , ut quadratum lateris CS quod est 728 ad quadratum lateris SA quod est 729. ita quadratum CA ad quadratum AD , ex cuius quadrati radice si auferatur radix CA quæ est semidiameter globi terrestris, restabit altitudo quæsita DB . Semidiameter autem globi illius ex mensura & observationibus Snellii omnium accuratissimis, ^{Quæsita:} ^{globi terre-} vt videre est in suo Eratosthene, continet 19.591. 160. pedes ^{ii.} Rhinelandicos, qui si auferantur à radice quadrata lateris AD , residuum erit altitudo quæsita DB , quæ reperietur 13333 pedum ferè æqualium Parisiensibus.

Sed ne fastidio sit radicum extractio, facilius expedietur calculus hic per trigonometriam. In triangulo enim rectangulo AGS vt latus AC 1. ad latus AS 27. ita sinus totus ad secantem anguli $CA S$ 87. 53. min. nunc in triangulo minori CAD æquiangulo, vt sinus anguli CDA 87. 53 min. ad latus AC seu semidiametrum terræ 19.591. 160. pedum; ita sinus anguli recti DCA ad latus DA 19. 608. 493. à quo si auferatur semidiameter AC remanebit altitudo quæsita DB vt supra 13333 pedum: tot ergo oporteret hominem attolli à superficie terræ, vt videre posset medietatem circuli Solis, si distaret tantum à centro mundi 27 semidiametris. Cūm tamen hic author pro certo & comperto det sufficere altitudinem hominis supra punctum B ad videndum S , non obstante globi terreni convexitate. f

*Erros in-
numeris.*

Addit etiam se mirari veteres & novos Astronomos non ad-
vertisse majorem aut minorem dierum longitudinem conse-
qui necessariò, ex majori aut minori Solis à terra distantia sup-
posita: de qua cùm interdum discrepant per ducentas aut tre-
centas semidiametros, deberent dies esse multo longiores ex una
sententia & breviores ex alia, nec omnino constare ut revera
constant. Vnde concludit ridiculas esse has differentias sicut
ipsius excentricitatem, cùm ne totus quidem mundus æqualis
sit decimæ parti illarum. De quibus cùm aut nihil omnino di-
ci debeat, aut non parum saltem, tacendum videtur consuli-
tus, pergendumque. Subiungit observatum fuisse ab Astro-
nomis totalium Solis eclipsium durationem esse trium hora-
rum, ae proinde ab initio ad medium illarum incurrete tem-
poris horam vnam & semiis. Vnde sic arguit post intricatam
verbis æquivocis aut malè intellectis circumlocutionem: si eo
momento quo Sol totus deficere videtur ab homine quovis in
aliquo loco constituto, duo essent observatores, huic periceli
hoc est sub eodem parallelo degentes, & ab illo per 11 gradus
15 min. æqualiter hinc inde distantes, unus ad Orientem alter
ad Occidentem, unusquisque istorum videret tantum medium
partem Solis obscuram aliam lucentem. Quandoquidem enim
intra tempus unius horæ 30 min. (quod respondet 22 grad.
30 min. dicti parallelis) Sol totus à Luna regi visus est, ergo ab
ipsius itineris medietate, quæ est 11 graduum 15 min. videbitur
etiam media pars Solis obscurata & alia splendens ab uno ob-
servatore Orientali, simile vero ab Occidentali, & sic ab
ambobus simul & conjunctim totus Sol à Luna tectus, & to-
tus liber. Inde vero quot errores? Hos numeret qui volet, mi-
returque hominem sanipi, tanta cerebri vertigine laborare
potuisse ut contendat Lunam occupare in suo circulo spatium
æquale 10 gradibus globi terreni, Solis vero diametrum visi-
bilem æquari distantiae duorum illokum observatorum seu 22
grad. 30 min. circuli terrestris, atque adeò Lunam æqualiter
distare à terra & à Sole: tum ex ipsius Lunæ motu diurno quem
12 grad. 41 statuit, infert spatium illud quod occupat in suo ex-
cio æquale 10 gradibus globi terreni, continere 45 min. 44 sec.
indéque semidiametrum totius circuli seu cæli Luhnæ æquari

*Circa Solis
& Luna
magnitu-
dines.*

13 semidiametris terræ. Ac præterea cùm Luna sit media inter Solem & terram, confirmari quod iam dixerat de distantia Solis à centro mundi 27 semidiametrorum ad summum, contra sententias omnium Astronomorum, quorum plerique Lunam 64 semidiametris, Solem verò 1300 aut 1500 à terra semovent: quod si esset, inquit, dierum sub æquatore duratio esset plusquam 18 horarum. Sub his & aliis paralogismis quos palam facere refutare est, crediderit licet Anonymus magnum esse aliquid quod nos lateat, satis tamen sic hos euentialasse: sunt enim hæc omnia tam imperita, vt quisquis ea responso digna duxerit; ipse merito videri possit impetrator.

Capite tertio de magnitudine Solis & Lunæ disputat, & contendit ex scriptura sacra, duò creata fuisse luminaria magna, quorum unum cùm Luna sit, hanc necessariò excedere debere reliquas omnes stellas, quæ ab Astronomis majores etiam ipsâ terrâ censentur: demonstratum verò fuisse cap. præcedenti Lunæ diametrum æquari 10 gradibus terrenis, ideoque ipsam Lunam esse satis magnam, immo maximam cùm toti Gallæ sit ferè æqualis, Sirtium verò seu Canem quem multis partibus Lunâ majorem efficiunt, ipsâ minorem esse tot partibus infra. Quoad Solem vltro fatetur illum esse terrâ majorem, & rectè probari ait ex umbra istius quæ est Conica, sed neque illum excedere terræ magnitudinem plusquam decies, quod probare seu potius obturbare contendit ex calculo temporis motus Lunæ sub Sole, vel in umbra terræ in eclipsibus: tum ex ipsius visibilitate, vt ita loquar, à conjunctione Solis, & tempore quo ipsa & stellæ occultantur à radiis, seu potius à nobis videri nequeunt pef partem à Sole illuminatam quæ terræ adversa est. Illud autem intervallum temporis nescio quo calculo gradibus 12 & paulo plus meritur: vnde concludit Solen occupare in suo circulo spatum plusquam 12 graduum ejusdemque esse diametri: cùm tamen, inquit, Astronomi quos ideo deridet, illum definiant solum 31 minutorum; ipsamque adeò magnitudinem Solis, ait non excedere decies magnitudinem terræ. Quæ si animadversione digna essent, quid non agerem, vt hæc omnia minutim falsi convincerem? Quis enim ferat Lunæ di-

*Summa
capitis ter-
tii.*

*Lunam
esse majo-
rem stelli.*

*Et aqua-
lem Gal-
licæ.*

*Diamo-
trum Solis
esse 12
grad.*

*Falsa que-
binc oriam
tur.*

qualis illi est 12 gradus continere? Quis item ferat diametrum illam Lunarem æquari 10 gradibus circuli terreni, diametrum verò Solis decies superare diametrum terræ? Cùm tamen posita distantia illius 12 diamet. terr. & magnitudine 12 grad. hæc Solis diameter non tripla sit diam. terr. si vero statuarit ut est 32 aut 33 min. ipsâ terrâ minor erit multis partibus, quæ portenta quis ferre potest? Quis denique paralogismos, quibus hæc probasse sibi persuaderet? Quos omnes si refellere nunc interesset operæ pretium foret elementa Cosmographiæ in hanc palæstram revocare. Amandandus igitur hic author & sectatores ad Astronomiæ rudimenta & præcimum instrumentorum, quibus ediscent quanta sit inter 45 minuta, & 12 gradus differentia, ipsis oculis & sensibus vel testibus vel judicibus, qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.

Summa capitis quarti.

Capite 4. & ultimo de ordine & situ Astrorum differit contra omnes quotquot haec tenus fuerunt Astronomos, vt ait, primumque & superiore locum Soli vt nobiliori impertit, vt inde lumen & influxus cæteris omnibus cæli & terræ corporibus tamquam è solio communicet, Lunam in inferiori sede sistere sinit, stellas vero fixas inter utrumque luminare loco infra dicendo collocari indubitanter afferit. Quod ad reliquos planetas attinet silentio prætermittit, donec in systemate generali quod pollicetur aliquem determinatè locum illis assignet sub Sole. Hæc porro tam audacter affirmata, & tam certò falsa quam ipsa falsitas dum probare conatur, aliquid verisimile pro medio assumit, quod nobis ansam dedit inquirendi ipsam veritatem, tam certum est nihil adeò malum esse, ex quo aliquid boni non possit hauriri. Videamus igitur quid ipse peccarit, & nos quid inde boni elicere possimus. Quotquot, inquit, huc usque fuerunt & sunt Astronomi afferunt indubitate horizontem dividere cælum & præcipue fixarum in duas partes æquales, hemisphærium scilicet inferius à superiore, ideoque cùm totus circulus sit 360 graduum, ipsius medietas erit 180, & quarta pars quæ est à Zenith ad horizontem 90 gradus exactè continebit. Ita ut verum sit dicere non videri medium partem cæli alicujus si non videantur de illo 90 gradus à Zenith usque ad horizontem: atqui de cælo fixarum non videntur isti 90 teste ipso Ptolemæo:

*Horizon-
tem non di-
videre ca-
lum fixa-
rum in bina
media.*

ergo falsum est videri medietatem circuli fixatum, quemadmodum videntur bina media cæli Solis ut supra dixit; vnde rectè concluditur stellas esse propiores terræ, ipsarumque cælum jacere sub solio Solis. Minorem suam sic probat. Ptolemæus, inquit, asserit ultimam fixarum quæ stringunt horizontem Alexandriae, & sunt ipsi visibles, esse Canobum primæ magnitudinis in constellatione navis Argo: atqui Canobus ex ipsius Ptolemæi longitudine & latitudine reperitur declinare tantum ab æquatore ad austrum 51 gradib. 18 min. (Anonymus male dixit 31 min.) æquator vero distat à Zenith Alexandriae 30 grad. 58 min. æqualibus latitudini) quæ duo simul addita efficiunt 82. grad. 16. min. ergo ex Alexandria & quovis alio loco in superficie terræ non videntur ex circulo stellarum plus quam 82 aut 83 gradus à puncto verticis ad horizontem, adeoque media pars illius cæli non conspicitur ut cæli Solis, ergo proprius illud est terræ quam istud. Eandem conclusionem elicet ex historia itineris Ioan. de Lery in Americam, qua refert se sub æquinoctiali linea constitutum neutrum polarum detexisse, ipsique procedendum fuisse hinc & inde per duos gradus ut alterutrum videret: vnde concludit ambos cæli fixarum polos infra horizontem esse duobus ad minimum gradibus iis qui sub æquinoctiali versantur, ideoque non videri semicirculum.

Quod si perspiciantur ut aiunt Astronomi Palilitium & Antares diametraliter & per 180 gradus opposita, simul horizontem stringere, id apparer, inquit, ex defectu instrumenti, sicut oriens Lunæ ab ipsius occidente distare videtur per totidem gradus 180. dum est in æquinoctiali, cum revera non distet; quodque eventum semper asserit etiamsi terræ multo vicinior esset Luna quam creditur. Quia, inquit, circuli quibus vtuntur Mathematici ad mensurandos illos gradus, sic divisi sunt, cum tamen habeant centrum diversum à centro cælorum, vnde orbita fallacia visus, nec per dioptras unquam detegi possunt 180 gradus cuiuscumque volueris cirouli cælestis, etiamque regula fiduciae dum est horizonti parallela tot in instrumento demonstrat, cum tamen ipsius diameter non sit eadem quæ circulorum cæli, quorum centrum est in centro terræ, non vero in superficie illius. Vnde concludit erratum in observando semper

*Probatur
ex stella Ca-
nobo.*

*Ex historia
Americana
Ioan. de
Lery.*

*Ex fallaciis
instrumen-
torum.*


fuisse ad minimum vno terræ semidiametro , quod maximi est momenti vt pollicetur ostendere in suo systemate : cùm tamen ipsa fixarum globo comparata tantilla sit vt ejus quantitas propemodum evanescat , eamque ob causam observationes quæcumque in superficie terræ institutæ nihil differant ab iis , quæ in ipsius centro fierent si nobis hîc statio concederetur . Interim prosequitur intentum suum probare hac experientiâ , quam certus sum ab eo numquam aut parum accuratè factam fuisse . Accipiatur , inquit , stella quæcumque sub æquinoctiali circulo constituta , velut vna ex cingulo Orionis , observetur que tempus quod elabetur ab ortu illius usque ad occasum , non reperiatur plusquam 11 horarum 50 minutorum quæ conveniunt 177 gradibus 30 min. cùm deberet esse 12 horarum seu 180 graduum , si semicirculum suum stella hæc absolvisset supra horizontem : ergo pars inferior illius circuli major est superior , idéoque medietas cæli fixarum non videtur à superficie terræ , quia proprius est ipsi quæm cælum Solis . Quod si fixæ supra Solem essent , & in distantia à terra 19000 semidiametrorum , vt quidam aiunt , multo diutius spectarentur supra horizontem quæm Sol , ita vt sub æquinoctiali ab ipsarum ortu , inquit , usque ad meridiem interessent plusquam 120 gradus , & plusquam 16 horis essent conspicuæ , sphæræque ipsarum tertia pars tantum sub horizonte lateret , & duæ tertiae ad minus semper visibiles essent . Quod cùm minimè verum sit , imò Solem diutius morari super horizontem quæm stellas , sequitur vt dictum est , ipsas terræ viciniores existere Solēmque omnium astrorum à terra maximè remotum esse , cùm diutius super ilam moretur . Idem etiam inculcat ex motu Lunæ , sed quæm depravato , & iterat ab illa mora astri alicujus supra horizontem tutius judicari de illius à terra distantia , quæm ex quocumque alio modo , ibidemque pro certo dat Lunam orientem distare à puncto verticali 87 gradibus ; à quo tamen ex ipsius hypothesi minus abesse deberet , cùm sit terræ vicinior quæm stellæ quæ distant ab illo tantum 83 gradibus . Sed hæc & similia menda sibi etiam ipsis pugnantia tanta sunt in toto libro , vt si omnia emendare necessum foret , dissertatio hæc in volumen excresceret non exiguum . Cùm autem major illorum pars

*Ex mora
stellarum
supra hori-
zontem.*

*Stellas vi-
ciniores esse
terre quæm
Solem.*

ex se corrut, de iis solum fiet sermo quæ censurâ aliquâ digna judicabuntur; cùm addidero vltimam rationem, quâ stellas omnes infra Solem, Venerem & Mercurium esse concludit, ex *probat* apparitione scilicet illarum, cùm è radiis Solis emergunt. Ait *stiam ex apparitione* enim si Venus videatur in distantia à Sole quinque graduum, & *illarum à sole.* Mercurius duodecim etiamsi peregrinus, quia Soli viciniores sunt, faciemque ab illo illuminatam nobis exhibent citius quā si essent inferiores, cur stellæ primæ magnitudinis multo majores his planetis non viderentur, cùm existunt in pari distantia à Sole, si à terrâ remotiores essent ipsis Mercurio & Veneri, & ipso Sole altiores? Tunc enim pars illuminata stellæ aliquis primæ magnitudinis terram citè respiceret & conspicuam se nobis exhiberet: cùm tamen non videatur nisi in distantia 12 graduum à Sole, quod arguit ipso multo inferiores esse, imò etiam Venere & Mercurio. Addit porro ex maculis solaribus *ex maculis* manifestè probari locum hunc sub Sole fixis rectè assignari, *solaribus.* cùm nihil aliud putet has esse quā stellas ipsas, & à terrâ distitas tantum 24 semidiametris, ipsasque plures millies globo terræ minores, ut verum perhibetur Deum fecisse omnia in pondere, numero & mensura. Tandemque librum hunc concludit invehendo contra motum terræ diurnum & annuum hoc præcipue argumento. Si moveretur terra à solsticio australi ad borealem, idem eveniret ac si homo super illam immobilem eodem ferretur: atqui si hoc esset, singulis diebus mutaretur elevatio poli, novæ stellæ detergerentur, totumque fixarum cælum in anni decursu lustraretur. Quæ cùm aliter habere se deprehendatur, afferit motum illum, quem vertiginosum & helleboro dignum appellat, non reperiti nisi in capite Aristarchi, Copernici & sectatorum ob malè intellectam, ut præfatus est, Pythagoræ Hermeticam Philosophiam, *terram esse unum ex astris.* Sed quā ipse malè intelligat hypothesim terræ motæ ex hac objectione conjicere licet, quā se proorsus indicat ignorare terræ mobilis axem parallelissimum suum servare, idemque cæli punctum semper quoad sensum respicere, nec à polis fixarum per motum hunc annum sensibiliter amoveri. Quæ cùm vulgaria sint, nec mereantur vberiorem dispunctionem, remitto ad impugnationes & Apologias doctrinæ illius; sicut & præter-

*Contra ter-
ra motum
instantia.*



mitto absque responsionibus plerasque alias ab Anonymo allatas rationes & instantias ad suum systema stabilendum, nec enim est instituti nostri omnes recensere, cùm id esset operis & otii longè majoris; propero igitur ad eas quæ præcipue sunt & notâ dignæ, postquam aliquid addidero de ipsius additamento.

Sciendum itaque Authorem hunc, longo post editum librum intervallo audaciorem factum quod nullus publicè respondisset, sibi persuasisse doctrinam suam ferè jam stabilitam esse; sed ampliores emissuram radices, si hanc novis argumentis fulciret; quod efficere præsumpsit quaternione in lucem emisso Appendix instar, cum hoc titulo *Vrania ad Astronomos Parisiensis*. Hoc autem folio repetit quæ jam dixerat cap. 4. stellas esse infra Solem, quia si essent supra, citius viderentur ab illius coniunctione quam Venus & Mercurius, eo quod pars illarum à Sole illuminata terram respiceret ut figura demonstrat; quam cùm omisisset in libro, huic Appendix adiunxit, ut mantissa obsonium vinceret, tantum illi artidet hæc personata demonstratio. Sit igitur Sol S, Venus V, Mercurius M. Fixa verò aliqua F supra Solem in eadem linea D V M F, certum est, inquit, ipsam F majus ad nos lumen reflextare debere & citius videri quam Venus aut Mercurius, tum propter ipsius magnitudinem, tuin quod major pars quantitatis illuminata terram respiciat quam Veneris aut Mercurii, quorum ne quidem quadrans aut triens videri potest, cùm tota stella videretur si supra Solem esset. Quod cùm minimè eveniat, imò contrarium ut suprà dixit, stellas nempe videri non posse nisi distent à Sole 12 gradibus, cùm tamen Venus radiet & videatur à quinque. Hinc sequitur, inquit, esse omnes infra Venerem ut in G. Quod autem ut confirmet, & pro demonstrato posteris relinquat vtitur alio medio, eclipsibus scilicet fixarum & errantium. Audivit bonus vir stellas & planetas aliquando à Luna eclipsim pati, cùmque ipsa deficiat solùm in umbra terræ, credit etiam stellas occultari ab umbra Lunæ dum in eam incurront: quam dum agnoscit conicam, nec apicem suum ultra terram seu Solem (in quorum est medio) protrahentem, concludit stellas aut planetas numquam cli-

*Appendix
Anonymi
circa stellas
inferiores
Sole.*

*Venere
etiam &
Mercurio ex
illarum
apparitione.*

*Ei eclipsibus
à Luna.*

psaturos si supra Solem essent. Sit verbi gratia Sol in N ; Luna in L , ipsiusque umbra L Y , clarum est , inquit , fixas aut errantes quae in eam incident deliquum pati. Cum autem haec non extendatur ultra circulum Solis , etiam certum est ab illa numquam passuras eclipsim si Sole aut umbrae vertice superiores essent ; atque patientur ut ex Astronomis liquet , ergo tam planetae quam fixae sunt inferiores Sole , & Lunae multo minores. Sed age quælo , quis ferre potest ratiocinationem tam putidam , & puerilem hanc hallucinationem in homine aliqui non imperito prorsus , & mediocriter saltem exercitato in sphæra & trigonometria. Proponit enim eo loco modum mensurandi fixarum distantiam per triangula , sed quam deprivatè. Quidquid sit nihil unquam inscritus dici , ne quidem cogitari potest. Sique novus hic Hermes qui se profiteretur intelligere *Astronomos inferiores & hermeticos* , saltem naturales percipisset , cum dicunt fixam aut planetam aliquem hoc aut illo tempore eclipsari à Luna , nihil aliud velle , quam occultari , obtegi , impediiri , quemadmodum Sol , aut ab ipsa Luna , aut alio quovis opaco , imo & ipsa manu sic regitur ut omnino non videatur ; in hunc miserandum errorem non incurrisse , ut crederet eclipses has fieri debere ex umbra Lunæ , quas ex illius interpositione sive cujuscumque alterius densi stellas inter oculos nostros fieri posse , præ oculis semper habebat.

Venio tandem ad ultimas , quæ mihi praecipue fuerunt illius objectiones , testimonium scilicet Ioannis de Lety , & aliorum qui sub linea æquinoctiali neutrum polorum visibilem asserunt : & Ptolemæi dicentis Canobum , stellam primæ magnitudinis in temone Argus , Alexandriæ horizontem strin gere , cum tamen à Zenith seu polo illius hemispherii non distet plusquam 82 gradibus , unde rectè concluditur semicirculum cœli fixarum è terra non totum videri ; majorēque ipsius partem sub horizonte latere. Quæ duo si vera sunt , actum est de tota Astronomia ; pressius igitur examinandi sunt laudati duo testes de Lery , & Ptolemæus , quorum unus obscurus satis & tenuis , alter idoneus & gravis. Atque ut à primo exordiar secundum est , nec Physicum , nec Mathematicum , nec artis navigatoriæ gñarum fuisse authorem hunc , ut ex ipsius historia

M. de in-
tellectu.

Testimo-
nnum Ioan-
de Lery ex-
pensatur.

constat, sed privatum hominem ad Americam Meridionalem seu Brasiliam è Geneva cum 14 aliis missum anno 1556. cuius proinde relationi viginti post annos scriptæ fides adimi posset, aut saltem exigua deberi si quereretur effugium, aut testis vita inspicienda esset. Quid autem ille? Post descriptam in Historia sua Americana cap. 4. aëris intemperiem, ventis, pluviis, tempestatibusque difficultiam navigationem, quam circa æquinoctialem lineam experti fuerant, hæc ait. *Sic itaque navigavimus usque ad 4 gradus ultra lineam æquinoctialem, unde polum Antarcticum primò vidiimus, quem naute stellam Meridionalem appellant, circa quam alias in cruxem figuratas adverti, &c.* Et infra. *Dicam etiam non solum videri sub æquatore duos polos, ut quidam putant, & ex doctrina sphæræ, fieri debere videtur, imò opus esse hinc aut inde duos gradus latitudinis habere ut videantur poli.* Ex quibus ultimis verbis apparet nullam fuisse tunc observationem factam sub æquatore, ex primis verò parum accuratam, dubiūnque manet an per cœli serenitatem, de qua hoc loco conqueritur, an per alia in causam stetisset, quominus citius deprehenderetur polus Antarcticus. Sed esto non viderint illi polum Meridionalem nisi sub latitudine 4 graduum, neque etiam visus sit Arcticus aliquando nisi sub latitudine Septentrionali duorum, ut ipse refert nullo authore: an ideo verum est polos non fore conspicuos, si aliquo signo visibili norarentur, iis qui sub æquinoctiali degunt? Minime certè. Nec adeò me movet vis hujus argumentationis ut reticere velim ipsius confirmationem quam suggerit Epistola quædam ex insula Madagascar, à Mendoslo ad amicum scripta an. 1639. quæ subjicitur relationi quam fecit Olearius, à secretis Legati Ducis Holsatiæ ad Moscoviam, Tartariam & Persiam: qua quidem Epistola monet hic nobilis se dum sub linea transiret in mari Indico neutrum polorum vidisse, imò borealem delituisse cum adhuc gradibus sex ab æquinoctiali distarent, nec Antarcticum nisi sub octavo latitudinis gradu confixerisse. Quæ dissimulare nolui, etiam si multo illustriora sint ad prebandum id quod impugnare proposui in Anonymo: de quo de Lery cum nihil aliud proferrem, quæ ipsum capite ultimo dixisse Oceanum altiorem

Ainsi nous
cinqièmes
jusques à 4
degrés, &c.
ou nous
commen-
çames de
voir le pol.
Antarcti-
que, &c.

Et confir-
matur testi-
monie Neu-
desti.

esse terrâ , illiusque superficiem à centro mundi magis distare
 quam superficiem terræ , & in Oceano ipso aquas que sub aequinoctiali jacent reliquias esse eminentiores , unde oritur tota difficultas lineam illam superandi , ad quam cùm naves magnò cum periculo & labore ascenderunt , inquit , ex qua velis parte , facili negotio in aliam descendunt & libera navigatione gaudent . Abunde sufficeret hæc inscritia ad detrahendam fidem huic relatori parum religioso , qui nequidem dicit se observasse nec obseruantem vidisse nauclerum dum esset sub linea aut ultra lineam , sed solum non ante sibi apparuisse stellas poli Meridionalis quam sub quarto gradu latitudinis , nec liquet ex illius relatione an obstiterint nubes , pluviae , & tempestates de quibus conqueritur , ut supra dixi , an fuerit ipsis liberum tunc temporis illas videre , nec tamen potuerint . Quod verò subjugat , ab aliis quibusdam referri neutrū m̄ polorum conspici posse sub æquinoctiali , sed à distantia solum duorum hinc aut inde graduum ; sive ut scribit Mendeslo sex à parte Septentrionali & octo à Meridionali , me patrum etiam tenet ; nec detinebit qui meminerint se vidisse aliquando stellas secundæ aut tertiaræ magnitudinis horizontem stringere , aliquando nequidem conspexisse primas etiam si multo lucidiores ; impediente scilicet aëris dispositione , aut radiorum Solis aut Lunæ nimio fulgore qui stellas minores præcipue circa finitorem offuscat , ut experimur aestate & nocte lucida , cùm alioquin omnes videamus in obscurissima . Quod idem demonstratur ex proposito à Ptolemæo topo cap . 6. lib . 8. Magnæ Construct . his verbis : *Sicut radii solares ad diversitatem aëris disponuntur , sic stellas quoque disponi necessè est , &c.* Fieri ergo potest ut duc essent sub linea hi relatores , aut dies esset , aut crepusculum , aut nox splendida , qua stellæ secundæ tertiaræ & quartæ magnitudinis , cuiusmodi sunt polares Arcticæ & Antarcticæ , conspici nequivant . Adde quodd fortasse ipsæ stellæ tunc essent sub horizonte , cùm à navigatoribus quererentur supra , nec idè videri possent , nisi sub aliqua latitudine tantum distante ab æquinoctiali , quantum polares istæ à polis mundi . Cauda verò Ursæ minoris quæ stella est tertiaræ magnitudinis polo Arcticæ vicinior , ab illo distat hoc sèculo per tres circiter gradus :

vnde non mirum est si aliâs dum magis distaret videri non potuerit sub latitudine duorum grad. cùm etiam nunc fieri possit ut non videatur sub latitudine trium , dum Sol est in Tauro , Gemini , Cancro , aut Leone, tunc enim de noctu occultatur sub horizonte , vel à radiis Solis ab Atmosphera refractis & albicantibus offuscatur.

Porro miraberis, Lector, cùm dixero totum illud testimoniū Leryanum de polo Meridionali sibi viso per stellas sub quarto grad. latitudinis falsum & supposititum esse , cùm nullæ circum polares Antarcticæ sint conspicuæ , nisi sub octavo , aut nono latitudinis gradu cælōque commodissimo , tum propter illarum exiguitatem , tum à polo distantiam. Nec quidquam falsum magis est quād quod refert hic de Lery , *é stellam polarem vidisse & circa illam alias in crucem , &c.* In hoc similis Eudoxo apud Hyparchum lib. 1. dicenti , ex versione Petavii: *Est verò stella quadam in eodem semper consistens loco , qua quidem polus est mundi.* Contra quem Hyparchus de falsitate præscribit his verbis, *in polo ipso stella nulla sita est , sed vacuus est locus ; &c.* Quod cùm verè tunc diceretur de Septentrionali , de isto Meridionali verissimè nunc dici potest ; ex catalogo enim & descriptione fixarum quæ circa hunc polum girantur , (quas Ioan. Bayerus in Astronomia sua anni 1603. refert ab Americo Vesputio , Andrea Corsalio , & Petro Medinensi obseratas , diligentissimè que à Pet. Theodori Naucloerо peritissimo annotatas publicèque divulgatas) constat duas esse tantum constellationes circa hunc polum , Hydrum scilicet & Apim Indicam , quæ conflantur ex stellis quartæ , quintæ & sextæ magnitudinis. Sicque viciniores polo , comprehensæ que intervallo novem ; aut decem graduum ab illo , sunt omnes quintæ & sextæ magnitudinis , vna aut altera quartæ , sed extra decimum gradum , & tres aut quatuor magnitudinis tertiaræ , sed quæ distant à polo plusquam 20 gradus : ita vt australissima stella secundæ magnitudinis (sicut cauda minoris Vrsæ seu nostra polaris) circulum Antarcticum tantum diurna conversione decircinet. Vnde non mirum est si nec Mendelso , nec quispiam aliis ullam viderit multò conspicuam sub latitudine octo graduum , cùm revera nullæ sint adēd vicinæ huic polo ,

*Et falsum
vincitur.*

*Nulla enim
sunt stelle
polo Antar-
cticæ vicina
8 grad.*

*Nec nubes
candida.
Nec stellæ in
crucem.*

sicut nec vlla *nubes candida prope polum*, nec *stellæ in formam crucis*, vt à nostro de Lery, & aliis fabulosè refertur. Nubecula autem hæc ex observationibus supradictis distat à polo Meridionali plusquam 12 gradibus, & alia major plusquam sexdecim: sed de illis neque de stellis polaribus Arcticis, & Antarcticis, visis aut non visis sub linea, aut citra lineam per duos aut tres gradus hinc inde, nihil quidquam perhibetur ab Andrea Thevet, qui anno ipso 1556. idem æquor confecerat, lineam transierat ad eumdémque portum appulerat ac de Lery: sicut nec ab innumeris aliis navium magistris & navigatoribus (quorum hic relationes & nomina recensere longius esset) quidquam annotatur simile scripto Mendoſli illius. Cujus rei non alios adducere testes velim, quām scriptores Historiæ fluviij Amazonum qui millies hac delinea loquuntur, cùm totus fluvius aut sub ea sit, aut ab ea parum declinet, nec tamen verbum faciunt de polis occultis aut detectis. Eximius verò nauclerus Ioan. le Tellier in diario sui itineris ad Indiam Orientalem, typis edito Dieppæ anno 1640. refert se octies lineam æquinoctialem transfractasse in hac navigatione trium annorum, nec quidquam profert de viso aut non viso hoc aut illo polo, etiamsi in ephemerides redigat quidquid singulis diebus egerit viderit obſervarit, circa longitudines, latitudines, variationes acus, ventos, rhumbos & alia ejusmodi quæ ab accuratioribus desiderari possunt; ipsique piaculum sit gradus quadrante à vera altitudine aberrare non tantum dum malacia est, sed etiam motis fluentibus. Nihili faciendum igitur quod scripsit Mendoſlo, & multo minus Ioan. de Lery, cujus autoritate nititur hic Anonymus ad confirmandum ſystema ſuum, & inferendum è terra videri non posse medietatem circuli fixatum ſicut videretur circuli Solis, ideoque cælum hoc esse remotius à terra quām illud. Quod cùm falsitatis arguature evidenterissimæ à tyronibus Astronomiæ, nec probari nunc debet, ſatis ſit huic relationi temere & perperam contra veritatem allatae fidem derogasse.

*Nec id refe-
runt optima
relationes.*

Nunc reſtat Ptolemaei testimonium in jus vocandum, & conſluſiones Anonymi ex illo elicitæ, amplectendæ, aut explodendæ. Quod ut agatur ſecuriūs, producenda eſſent verba te-

*Ptolemai te-
ſtimonium
examina-
tum.*

stis ipsius tam gravis & idonei, qui nec casu verus, nec credulitate falsus, nec ignorantia suspectus esse potest. Sed vbinam reperientur? Ignoro, cum locus allegatus non caput, non librum, non tractatum eriam praeseferat. Opus igitur mihi fuit totum illius Almagestum transcurrere, quo perfecto & praecepit capitulo ad fixas attinentibus, cum nihil in iis reperiresem quod allegationi consonum esset, miratus sum audaciam scriptoris affingentis Ptolemæo contra ipsum Ptolemæum, quod ne quidem terigerat, imò contrarium docuerat, hoc est medianam cœli fixarum partem à terra videri. Siquidem libri primi cap. 5. demonstrat sex semper omnibus supra terram apparet signa, & sex reliqua non apparere, &c. Et cap. 6. cui titulus est, terram quasi punctum esse ad sphaeram fixarum comparatam, concludit, hanc in partes aequales dividi semper, quod non fieret si ad distantiam cœlestium sensibilis esset terre magnitudo. Vnde sequitur à Zenith ad horizontem 90 gradus semper intercedere. Quæ cum proflus contraria sint ementitæ allegationi, qua pro certo datur Ptolemæum alicubi dixisse non videri nisi 82; haudparum fui commotus hac Anonymi falsitate, cuius prima fronte conjecturam hanc facere ausus fueram, potius quam in dubio versari tantum σφάλμα in Ptolemæum cadere potuisse. Quomodo enim singulari viro excidisset scribere, Canobum Alexandriae horizontem stringere? cum ex illius longitudine & latitudine ab ipso exhibitis, eruat declinatio ab æquinoctiali sit grad. 18 min. quæ addita elevationi poli 30. 58. itin. efficiunt 82 grad. 16 min. quibus distat Canobus à Zenith Alexandriae: ergo non stringit horizontem, sed ab illo elevatur plus septem gradib. Quod etiam Cleomedes post Posidonium, Geminus, & Plinius Ptolemæi ævo superiores scriptis maraverauerant. Quid illi porro? Cleomedes lib. 1. sic ait ex versione Balforei, *Stella Canobus appellata, longè lucidissima, ad meridiem in temone Argus navis, que quidem in Grecia omni non videtur, unde ejus Aratus non meminit in Phenomenis, sed ab Aquilone ad Meridiem euntibus primum in Rhodo conspicitur, & in finiente conspecta repente mundi conversione occidit, sed ubi à Rhodo Alexandriam versus quina stadiorum millia navigando trajeccerimus, & pervenerimus Alexandriam, invenitur*

*Contrarium
Anonymo.*

Canobus

elevatur

Alexandria

plus 7 gra-

dib. ex 1'0-

tem.

Ex Cleom.

de.

stella, quando in medio planè celo est, supra finientem sublata quarta signi parte. τέταρτον ζῳδιον sive gradibus septem & 30
Ex Geminio. minutis. Geminus Rhodius scriptor eruditus & perantiquus idem planè ait in Elementis Geographiæ cap. 2. interprete Hēdone Hildericō, sed insignis stella que sita est in summo gubernaculo navis Argus Canobus dicitur, atque hac Canobi stella in Rhodo difficulter videri potest, aut in locis planè excelsis apparet, at Alexandriae prorsus hac videri potest, nam ferè quarta parte signi Canobus ab horizonte elevatus apparet, εἰ Ἀλεξανδρεῖα δὲ ἐπὶ ταύτη λόδις ἐμφανῖς, χρέον γὰρ τὸ τέταρτον μέρος τῆς ζῳδίου ἔπει τοῦ ὀρείσκοτος μετωπομόδιος φαίνεται. Proclus verò in sua sphæra ipsissimis verbis idem confirmat. Plinius denum lib. 2. naturalis Historiæ cap. 70. Cleomedi prorsus adstipulatur his verbis, *Vt Canobus quartam fere partem signi unius supra terram eminere Alexandria intuentibus videatur, eadem à Rhodo terram quodammodo ipsam stringere, in ponto omnino non cernatur, ubi maximè sublimis Septentrio.*

Falsa ita que allegatio Ptolemai. Quæ cùm scripta fuerint ante Ptolemæum ipsique cognita, quomodo potuisse iis contradicere si vera deprehendisset? vel si secus, quomodo tacere, nec illos ut Marinum, Hyparchum, Eratosthenem, & alios redarguere, & falsi incusare? Quod cùm non reperissem factum in illius magna syntaxi, imò consensum exactissimum cum supradictis, Canobum scilicet elevari ab horizonte Alexandriæ plusquam 7 gradibus: parum fuit quin irasceret in Anonymum, ipsiusque Codici dicerem saltem, vñ tibi mendax & impostor qui summis Astronomiæ antecessoribus Ptolemæo, Copernico, & Tychoni insultas, ac præ te istos cæterosque omnes contemnis, cùm tamen risu vel miferatione digna sit hæc tui authoris hallucinatio. Verumtamen cùm in animum inducere non possem tantam fuisse hominis impudentiam & procacitatem, vt ascriberet Ptolemæo quæ nusquam dixisset, aut simile quidpiam; aggressus sum etiam lectionem Geographiæ illius, vt certus fierem num aliquid ipsi excidisset, quod ab Anonymo male intellectum occasionem dedisset ejusmodi figmento. Et certè mihi bene cessit hæc conjectura, peropportunèque ad restitutionem loci inextricabilis huc usque. In primo enim libro cap. 7. sub finem in hæc verba

Sed alius occurrit Ptolemai locus inextricabilis.

verba incidi ex editione Bertii Graeco-Latina. Potest enim Canobus iis conspicere qui longè aequinoctiali sunt septentrionales, multaque stelle quae semper apud nos sub terra sunt, in locis qui nobis sunt australiores, ac etiam iis qui aequinoctiali sunt borealiores, velut iis qui circa Meroëm habitant super terram. **QVEMADMODUM CANOBVS IPSE QVI NOBIS BOREALIORIBVS HIC MINIME APPARET.** Ex quibus faciliter negotio conjecti Anonymum hunc aut alium quempiam pro illo, malè etiam & contra ipsa verba quamvis mendosa, argumentari potuisse Canobum nequidem videri in horizonte Alexandriæ, ubi haec à Ptolemæo scribuntur οὐδὲ τὸν ὅ κάτιον εἰπεῖν τοῖς βορειοτέροις ἡμίν μὲν φανόμενος, quemadmodum ipse Canobus hic borealioribus nobis minime videtur. Nec enim alio modo ad verbum interpretari possunt. Ut autem res tota altius sumatur, sciendum est Ptolemæum capite hoc contra Marinum disputare de distantia latitudinis terræ cognitæ, ipsamque ab eo proditam corrigerem phænomenis. Marinus enim indefinitè scripsit, iis qui ab aequinoctiali ad aequinum progressiuntur tropicum, polum borealem semper plus supra horizontem attollit, australem vero plus sub horizonte deprimi, qui vero ab aequinoctiali ad brumalem pergit tropicum, iis polum australem supra horizontem elevari, borealem vero sub horizonte mergi. Ptolemæus vero addit non solum de polis & de habitantibus intra tropicos hoc verum esse, sed etiam astra quadam apud alios indiscriminatim apparere quae apud nos ne nominantur quidem. Potest enim, inquit, Canobus iis conspicere qui longè aequinoctiali sunt septentrionales: multaque stelle quae semper apud nos sub terra sunt, in locis qui nobis sunt australiores, ac etiam iis qui aequinoctiali sunt borealiores velut iis qui circa Meroëm habitant, super terram sunt. **Quemadmodum CANOBVS IPSE QVI NOBIS BOREALIORIBVS HIC MINIME APPARET.** Ex quibus verbis tota Ptolemæi ratiocinatio nihil aliud concludit quam stellas ex uno horizonte conspicuas esse quæ latent ex alio: sed an exemplum ab ipso allatum de Canobo constans sit & consonum argumentationi difficultas est. Potest enim ipse Ptolemæus & verò dictum Canobum hic minime videri, sed non ^{ipsique Pto-} _{lemaio contrarius.}

gni parte à finiore elevatus appareret, ut supra demonstratum est. Quod vt verum esset, oporteret alium quempiam à Ptolemæo hæc scripsisse, & de alio Hic. Veluti Marinum Eudoxum, aut alium de horizonte verbi gratiâ Byzantii, Romæ, aut Athenarum, quibus in locis æquum fuisse dicere, stelle quedam sunt quas non videmus, qui in modum Canobus ipse qui nobis borealioribus hic Romæ, Athenis, &c. minime appareat. Apparet autem Australioribus velut. Cypro, Egypto, Syena, &c. Sed Ptolemæo in Alexandria degenti & scribenti nequidem licitum fuit hoc cogitare salva veritate experientiæ, cum ipse & ante illum plerique alii contrarium jam docuissent: si enim videtur Canobus elevatus supra horizontem Alexandriæ plus septem gradibus, quomodo verè scribere potuit hic minime apparet. His igitur accurate perpenitus suspicatus sum mendosum fuisse codicem Græcum, quo usus esset Bertius, etiam si dicat Franciscum Sylburgum varias ipsius lectiones Palatinorum ope sua manu curiosè admodum annotasse. Itaque alios consulere tum Græcos; tum Latinos cūflos, aut manu exaratos operæ pretium duxi, Maginum ad hoc adii qui non mediocriter in editione sua laboraverat: hanc similem Bertianæ comperi, nec quidquam ex illius notis edoctus sum. Munsterum consului, Ortelium, Mercatoriem, Montanum, & quotquot hujus libri exemplaria Latina nancisci tunc potui, omniāque fertè innumera (nullus enim liber plures editus) inter se eadem, & vni versioni à Bilibaldo Pickermano exaratae prorsus consentientia reperi. Græcum item ab Erasmo, anno 1533. Basileæ primò publicatum Bertiano simillimum inveni, ait enim αὐτὸς ὁ Χρύσος ἀντίδικα τοῖς Βοειοτέροις ἡμῖν μὴ φαντάσθως. *Canobus ipse borealioribus nobis hic minime appareat.*

*Aliisque
anno illum.*

*Codices cūf-
& manu-
scripti evo-
luti.*

*Suspecti
menda.*

Quid inter tot authores Græcè & Latinè scientes agerent ipse nescius, ratiocinio solo ductus & edoctus in animum constanter induxi reluctantibus & invitatis Bilibaldo, Erasmo, Bertio, Munstero, Magino, &c. imò Scaligero (qui lib. 4. de Emendat. temporum, omnes sacerduli sui Astronomos arguit oscitantia in legendō Ptolemæo textuque illius intelligendo) reliquoque cœtu Criticorum hujus & præteriti ævi qui locum hunc intactum & incorrectum præterierunt, prorsus mendo-

sum esse & castigatione dignum. Hacque nixomihī certitudine, & rem omnem accuratiū expēdienti, tandem subiit in mentem occasionem errori factam esse mutationē vnius litteræ in pronomine personali, quæ sensum non solum variat, sed contrarium efficit, & ex vero falso, ac proinde emendandum vocalis illius restitutiōne. Scribatur enim *Borealis etemis* *μοῦς*, comparativē in genitivo cum omega, non verò *μῶν* conjunctivē in dative cum iota, tunc fiet *borealioribus quām nos*, non verò *borealioribus nobis*. Et sic quod falso dicitur de istis borealibus, dicetur verè de aliis magis borealibus, tuncque sensus erit omnino diversus & verax in hunc modum, *multa sunt stellæ que semper apud nos latent, que in locis qui nobis sunt australiores super terram videntur, quemadmodum Canobus ipse qui borealioribus quām nos hic, minimè appetet.* Sicque oportuit necessariō Ptolemaeū loqui, vt sibi ipsi & veritati constaret, hincque sequeretur Alexandriæ stellam hanc videri, non autem ab aliis qui Alexandriā essent multo borealiores. Hanc autem vocalis vnius mutationem facile factam fuisse ab amanuensibus, quis dubitare poterit in illo authore exscriben-
do, in quem plura fortè menda irrepserunt quām in quemcumque alium. Non animadversum autem hoc ab Erasmo, Bertio, Mercatore, Magino, Munstero, ceterisque illustribus Geographis, Mathematicis, & lingua Græca principibus etiam non miror; cùm ad illud nulla occasione aut ratiocinio adduci fuerint, vt mihi contigit. In hōcque solo argumen-
to rei literariæ profuit Anonymus, nec in posterum ut sperandum est cùm typis mandabitur textus, aut versio Geographiæ Ptolemaei amplius errabitur in hoc loco, ab iis qui viderint hanc exercitationem. Sed vt tota res hæc conficiatur, nec ullus dubitationi scrupulus relinquatur, ecce quid secutum sit felicem illius loci castigationem. Cùm videlicet in prefatione Gerardi Mercatoris alias atque alias tum versiones, tum editio-
nes Latinas Ptolemaei extitisse, quarum quinque præcipuas numerat, quibuscque vsum se dicit: has omnes quadrere & vide-
re si possem vchementer cupii, vt explorarem an sibi con-
gruerent, & mihi adversarentur, an aliqua pro me & veritate contra alias staret. Prima itaque, quam vocat antiquissimam

*Locus hic
Ptolemei
castigatus.*

*Vt sibi &
veritatis
conferat.*

anno 1409. à Iacobo Angelo Florentino ex Greco sermone in Latinum conversa fuit, & Alexandro III. Papa dedicata. Cujus exemplar ex ipsomet authoris autographo mandato Nic. de Cusa Cardinalis exscriptum naestum se dicit Mercator. Secunda fuit ejusdem sed typis mandata Romæ anno 1490. Tertia ex versione Bilibaldi Pykermeri à Michaelie Villanovano ad Graecam & prisa exemplaria recognita Lugduni 1535. quam ceteris præfert. Quarta ex versione Ioan. Noviomagi Colonie 1540. Quinta denique Iosephi Moletii, qui versionem Bilibaldi rursus cum multis Grecis codicibus contulit, huc usque Mercator. Quæstis igitur quotquot nancisci potui Ptolemæis, plures reperi à Bilibaldo traductos, & ab aliis innumeris recognitos ut aiebant & emendatos, sed omnes hoc in loco depravatos ut Pykermerus; Villanovano, scilicet, Moletio, Munstero, & aliis; quorum hic ultimus cum parvi faceret versionem Angeli Florentini, Græcè quidem, ut aiebat, callentis, sed Mathematicæ imperiti, exiguum spem reposui in illius traductione, omnésque contra me unum pugnaturos non dubitavi: res tamen aliter profectò se habuit. Inventa enim editione illa Romana 1490. aliisque 1507. 1511. 1515. itemque aliâ Argentoratensi 1513. quam Picus Mirandulanus ad Iacob. Eseler mandaverat suppresso traductoris nomine, aliisque etiam Venetiis an. 1480. & Vlmæ 1486. quæ cum prioribus haud absimiles essent, præ se tamen ferebant à domino Nicolo Germano translatas

Et versionibus Florentini.

fuisse, & Pape Paulo II. dicatas. Collectisque hinc inde & collatis inter se his omnibus editionibus, & manuscriptis Bibliothecæ Regiæ Angeli Florentini, conjecturam meam non parum suffuli: sic enim loquuntur, Pluresque ex fixis quæ apud nos semper latent, in locis magis quam non australibus, ac magis etiam septentrionalibus quam equinoctialis, ut circa situm Meroës, supra horizontem videri possint. QVEM AD MODVM IPSB CANOBVS, HIC SVPRA TERRAM ELEVATVR, MINIME QVE AB HIS VIDETVR, QVI MAGIS QVAM NOS SEPTENTRIONALES EXISTVN T. En quantum differat hæc versio à Bertiana, & aliis? Sed cum in illam incidi quam Mercator loco quarto reponit ex versione Ioan. Noviomagi Colonie 1540. amplius non dubitaviliter legisse hunc & Florentinum,

quàm Bilibaldum, Erasnum, Mercatorem, Munsterum, Bertium & sectatores: sic enim Noviomagus, *Et multe sunt iner-* ^{Et Novio-} *rantes stelle, nonquam ex subterraneo loco in conspectum nostri magi.*
 orbis emergentes, qua etiam in locis magis australibus quàm nos sumus, magisque septentrionalibus quam est equator, velut circa Meroë situm accidit exorientes emergunt. Quemadmodum Canobus ipse, in locis vicinioribus quàm nos sumus Septentrioni, super terram non exoritur. Ex quibus indubitate colligitur aliud fuisse exemplar istius & Florentini, (cujus tamen facile credere rem verba tantum mutata fuisse à Noviomago) quàm aliorum, aut istos rationem sequi maluisse quàm textum, quo duce decepti sunt Bilibaldi, Munsteri, Bertii, Magini, aliquique omnes. Maneat igitur ratum fixum in Ptolemæo legendum esse loco citato, τοῖς θεριστέροις ἡρθεῖ μὲν Φανόμηνος, non verò ήπη, vnde tantum absit ut sequatur ipsum dixisse stellam Canobum non videri ab Alexandria, vt potius constet ipsum docuisse hanc ibi videri, non verò ab aliis locis septentrionalioribus Alexandria. Quæ cùm ita sint, nullus profectò hærere debet scrupulus falsitatis Astronomiæ istius, everso Anonymi præcipuo fundamento, quo summis antecessoribus Hyparcho, Ptolemæo, Copernico, Tychoni, & aliis insultabat. In quo etiam funditus evertendo, & confutandis erroribus ex illo deductis, nonnullum operæ pretium feci; ne, qui fortè systemata mundi ratione & observationibus stabilita non noscent, putarent ab Anonymo contra Astronomorum placita probabile, aut saltem tolerabile aliquid esse conjectum. Cætera commenti illius *mei opus*, & consecaria, quæ non excussi (cùm risu potius & commiseratione digna judicarem) iis evulsis ac disjectis quæ præcipua sunt, & ex quibus ducuntur, sublapſa per se ac labefactata concidunt. Finem itaque disputandi facio, tibique, VIR CLARISSIME, nescio an gratulari debeam quod me ad hoc impuleris nec tam jucundum, nec tam facile, quàm tibi & mihi visum fuerat. Gratulor tamen & amari cupio, qui eximia tuæ virtutis sum observantissimus: fac igitur vt soles, & æternum vale, qui curas ut alii valeant. Authorem verò tam fastuosi & inficeri operis finamus

*Conclusio
dissertationis.*

Discipulorum inter posthac plorare cathedras.

P. PETIT.

E R R A T A.

PAGINA 4. *lin. 17.* utrumque non sivit, *lege* utriusque obstat, *lin. 24.* quorum, *lege* quarum. *Pag. 8. lin. 7.* ambo, *lege* amba. *Pag. 15. lin. 15.* aliter quam olim, *lege* aliter nunc quam olim. *Pag. 19. lin. 4.* posteritate, *lege* posteritati. *Pag. 29. lin. 21.* perstudiosus: contigit, *lege* perstudiosus, illasque percunctarer. Contigit. *Pag. 31. lin. 1.* ex ferri fodinis quae subinde generantur de novo, aut quasi vero, *lege* aut ex ferri fodinis quae subinde generantur de novo: quasi vero, &c. *Pag. 45. lin. 22.* sed neque illum, *lege* sed negat illum. *Pag. 50. lin. 6.* atque, *lege* atqui. *Pag. 53. lin. 12.* gradus, *lege* gradibus.